BIBLIOTH. C. R. VINDOBON.

Digitized by Google

MENTEM ALIT ET EXCOLIT

K.K. HOFBIBLIOTHEK
ÖSTERR. NATIONALBIBLIOTHEK

64.D.6

Digitized by Google

LXII 256.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google



Digitized by Google

Digitized by Google

MEMORIA REGVM, ET BANORUM, REGNORVM DALMATIÆ, CROATIÆ, & SCLAVONIÆ,

INCHOATA

Ab Origine ſua, & vſq; ad præſentem Annum

M. DC. LII.

DEDVCTA

Ex libris Francisci — Comitis de Nadasd

AVCTORE
GEORGIO RATTKAY,
DE NAGY THABOR,
Lectore & Canonico Zagrabienſe.

VIENNÆ AVSTRIÆ,
Ex Officinâ Typographicâ Matthæi Coſmerouij, Sac: Cæſ: Maieſtatis Typographi Aulici, in Aulâ Colonienſi, Anno 1652.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google



PRO DEO, ET POPVLO.

G: Subarich scul: et ex: Vien

Digitized by Google

FERDINANDO QUARTO, APOSTOLICO, Vngariæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclauoniæ, Ramæ, Seruiæ, Bulgariæ, Lodomeriæ, Galliciæ, &c. REGI.

GRande prorſus me auſum onus ſubiiſſe, non immeritò miraberis, REX Apoſtolice; *nempè, qui & hiſtoriā ſcribere præſumens, & Regio nomini Tuo conſecrare non erubeſcens, in publicum prodire attentauerim: quoniàm nulla ſublimior inter Sæculi poteſtates Imperatorijs ſceptris gloria, nulla penè ſcriptio aſperioribus difficultatibus veluti perpetuis ſpinis, aut, peracutis rupium cruſtis implexa magis. Scilicet quià rara prudentiæ & elegantis dictionis miſtio, cùm prima hiſtorici virtus prudentia ſit, eleganti veritati innixa; & nemo ſibi Hiſtoriam eſſe ſcribendam intelligere debeat, quem non ætas & longa rerum experientia docuerunt. Et quidèm haud ignoro in omni hoc opere ambulare me per doloſos cineribus inſepultos ignes;* Horat. *attamèn quòd ſcripſerim, præter impellentem Genium, majorum judicio atq; authoritati,*

 qui

Digitized by Google

qui jubere poterant, obaudire debui; quòd Regijs verò pedibus Tuis proſternere voluerim, Alexander Macedo impulit, qui terrarum orbe victorijs parto, moriens interrogatus, cui vaſtiſsimum hoc Imperij corpus poſt ultima fata relinqueret; non feliciſsimo, non ditiſsimo, ſed digniſsimo, generosè dixit, annulumq; non Arridæo fratri, ſed Perdiccæ tradidit, quid optimo cuiq; faciundum verbo ſimul & exemplo poſteritati conſignans. Supervacaneum porrò Te digniſsimum eſſe demonſtrare velle, cenſeo; cùm vel ſola nominis maieſtas omnem ſibi honorem venerationemq; impendi velit; nèc quicquam ſit, quod Regum Auguſtali amplitudini ſatis eſſe poſſe videatur. Sed præterquàm quòd digniſsimus ſis, cui etiam aptiùs conuenientiusq; præteritorum Illyrij Regum vitam geſtaq; conſecrem, quàm optimo eorum Succeſſori? Cui Pro-Regum, aliorumq; præclarorum Heroum merita, plerorumq; ſanguine ſuo teſtata, referam? quorum poſteritas, non degeneri maiorum ſuorum æmulatione, Tibi REGI *anteriorum Hæredi auitam fidelitatem commendat. Cui Principum decora ac heroica militum facta, quàm bellatorum Principi potiùs debentur? Cui demùm aut piorum Regum virtutes æmulandas, aut improborum vitia deteſtanda repræſentare magìs decebat, quàm Regi Sanctorum Nepoti, ac filio Regis Pietate Regna gubernantis, & Iuſtitiâ Scelera vindicantis? Porrò quemadmodùm digniſsimum ac congruentiſsimum fuerat, Librum hunc Regio nomini Tuo conſecrari, ità Tu viciſsim eundem à me Iure ſibi vendicare poteras; cùm & juxta conſilium Catonis, temporis hactenùs impenſi rationem reddendam, & juxta Diuinum præceptum Regi meo vectigal, gentis meæ nomine pendendum eſſe intelligeres.*

Quarè non hæc ideò Tibi ſcripta putes, REX optime, *quaſi docere, qualis eſſe debeas, velim; cûm*

hoc

Digitized by Google

hoc inter æquales neſcio periculi, an audaciæ maioris, in Principe verò ſuperbum, in militiæ Duce fatuum videatur. Bonos tamen Principes, Viroſque bello aut togâ claros, tanquàm in ſpeculo poſteritati proſpectandos proponere, vtilitatis habet plurimùm, arrogantiæ & audaciæ nihil. Atque hoc matutinæ Tuæ ætati congruum quàm optimè videtur, vt in pretioſo præſenti Tuo otio, & mentem eruditâ lectione imbuas, & mores clariſſimorum virtute Maiorum vitæ ac Inſtitutis conformes, & animum Martialibus exemplis accendas. Cæterùm ego, cùm & ætatem iàm ſuperiorem, atque aliquem rerum vſum adeſſe mihi intelligerem, nec inferiorem multò fortaſſis dignitati operis eruditionem, aſſiduâ lectione, ac improbo penè ſtudio mihi comparauiſſem, neque sic tamèn ab aduerſariorum impetu ſatis me munitum opinarer; Tui Regij nominis vmbonem in protectionem adlegi, illudq; vnum ſolatij loco repoſui, vt cùm magni illi, Cicero, Salluſtius, Tacitus, Liuius, Seneca, calamos repererint moroſiores, mihi multis paſſuum millibus infrà illos incedenti, meliora non eſſe ſperanda, ſatisq; mihi ad laudem exiſtimabam, vel luminis horum vmbram attigiſſe.

Tu verò REX Apoſtolice, *cùm in omni hoc opere Inclytæ huius gentis Illyricæ Heroës Auguſtiſſimis Tuis Maioribus, vtiliſſimos, fideliſſimosq; legeris, eorum verò Nepotes, ac me quoq; inter ipſos Similes quotidiè experieris Ipſe, vniuerſos juſtitiâ atq; clementiâ protegere haud intermittas, monentis Senecæ benè memor: Illius demum magnitudinem ſtabilem fundatamq; eſſe, quem omnes tàm ſuprà Se eſſe, quàm pro ſe ſciunt, cuiusq; curam excubare pro Salute ſingulorum, atque vniuerſorum quotidiè experiuntur.* Lib. 1. de clem.

EPISTOLA

ILLVSTRISSIMIS DOMINIS, DOMINIS

NICOLAO,

COMITI PERPETUO

â ZRINIO,

Regnorum Dalmatiæ, Croatiæ & Sclauoniæ

BANO,

Confiniorum eiuſdem Regni Sclauoniæ Colapianorum, Supremo, & Præſidij Legrad, totiuſq; Inſulæ Murakóz

HÆREDITARIO CAPITANEO;

COMITATVVM SZALADIENSIS, & SIMIGIENSIS COMITI SUPREMO,

SAC: CÆS: REGIÆQ; MAIESTATIS CUBICULARIO, CONSILIARIO,

SVPREMO VIGILIARVM PRÆFECTO, & AGAZONUM REGALIUM IN HUNGARIA MAGISTRO, &c.

Ac

PETRO,

COMITI PERPETVO

â ZRINIO,

SAC: CÆS: REGIÆQ; MAIEST: CVBICVLARIO, CONSILIARIO, AC EIVSDEM PRÆSIDII SILBERGENSIS ac SZLIVN CAPITANEO, &c.

HIſtoricum de rebus Illyricis Opus, Draſcouicio Pro-Regi à me deſtinatum, Tibi Pro-Rex Illuſtriſſime Superi annuerunt; è voto cœli dignitatem accepiſti, honos ipſi debitus vt ſequatur, æquum eſt: nempè & Gentilium more quod aræ vni ſacrificandum deſtinabatur, nefas

Digitized by Google

nefas alteri admouere ducebatur. Quàm opportunè portò Pro-Rex eximie, rerum noſtrarum ruinis, quas amiſſo magno Draſcouicio formidabamus, velut alter Atlas prudentiæ bellicique roboris humeris grauatam patriam ſuccolans, ſucceſſiſti. Succeſſiſti verè armata Pallas, nèc magis in Pro-Regiâ dignitate, quàm in amore literarum, in voto juuandæ ornandæque patriæ, in munifico erga me animo. Non tango hîc inuicta arma Tua, quæ liber iſte meus ſuis locis Orbi vniuerſo luculentèr palàm dabit; literarum certè ac hiſtoriarum præcipuè ſtudium, quo cupidè flagras, non in eo ſolùm declaras, quòd reconditum quoddam elegantiſſimarum eruditionum ſcrinium habearis, ſed præſertim, quòd aliorum vtilitati & ipſe eruditè memoranda ſcribas. Vt æmulus fieres magnorum, vt ambi-dextèr euaderes, & in hoc magnis ſucceſſiſti; par enim decus ad vtrumque inflammari arbitrâris; neque tantùm nocumenti afferre inermem ſapientiam, quantùm inſipientem armaturam, putas; denique omnem quidem ætatem ſtrenuos habere milites, niſi otio planè marceſcant homines, at non omnem, imò nec ſæpè multas ſapientiam proferre intelligis. Paucos antiquitas Cæſari ſimiles numerabat, qui vtrâ laude præſtaret magìs, & an laureatæ Mineruæ, an armatæ Palladi, an Marti, an Apollini plùs gloriæ contulerit, dubium poſteris reliquit. Sanè qui bellicæ gloriæ, præſtantiam & amorem literarum coniunxiſſent, eorum penè omnium Græca vetuſtas numerum concludit in Alcibiade, Themiſtocle, Demoſthene, Hierone, Ageſilao, Conone, Niocle; Latina verò in Cicerone, M. Catone, Cn. Pompeio, M. Antonio, Iulio Cæſare, Auguſto, & paucis admodum alijs. Paucos omninò & tempora noſtra nôrunt; at quemadmodum nobis habere paucos dedecori eſt, ità tibi intrà paucos numerari gloriæ cedit. Quarè cùm Liber iſte meus & eruditionis quidpiam redolere videatur, & bellicas Heroum virtutes exprimat; tibi Martialis ingenij Principi, tibi Heroi ſapientèr armato debebatur; & illum patrocinium quærere conſentaneum argumento decuit.

Nec diſpari multùm Tibi ILLUSTRISSIME PETRE debetur ratione, qui Illuſtriſſimum tuum fratrem vt ætate ſequeris, ità virtutum actionibus comitaris; par enìm penè tibi in armis alacritas, in literarum ſtudio diligentia, in amicos amor, in hoſtes benignitas, in cunctos comis

vrba-

vrbanitas: vicina quoque ingenij viuacitas, memoriæ tenacitas, judicij firmitas: cunctas demùm corporis animique Veſtrum vtriuſque dotes, quorumlibet etiam generoſorum dixerim cotes. Verè Gemini eſtis, nec propè parem habetis; quarè Veſtra hæc in tuto laus manet.

Par nobile Fratrum.

Sed nec literis minùs opis tuliſſe cenſeris aliorum labores liberali munificentiâ promouendo, quantùm ille ſcribendo propria. eam inter linguam ac manum naturæ cognationem à maioribus accepimus, ità vtriuſque munera mutuâ quaſi conſpiratione conſentire, vt quemadmodùm lingua à nonnullis appellatur ingenij manus, ità manus totius corporis lingua cenſeatur: ex quô factum exiſtimem, vt non ingeniosè minùs Ambroſius linguam dixerit edentis manum, quam Artemidorus manum nuncupauerit ſermonem quendam mentis ac tacitæ voluntatis interpretem. Quod manus linguæ, hoc Tu mihi es COMES ILLUSTRISSIME, nam præter mutuam noſtri ſanguinis, quam natura dedit cognationem, adeò mihi in hoc literali exercitio cognatus eſſe voluiſti, vt ferè linguâ mutus hæſiſſem, niſi manus tua diſertùm feciſſet, maiorque jàm liberalis tuæ dexteræ eloquentia, quàm oris mei facundia habeatur; vt meritò proindè cum Artemidoro manum tuam ſermonem mentis meæ, & tacitæ ſcriptionis interpretem nuncupauerim.

In Hexam. lib. 6. cap. 9

Lib. 1. cap. 44.

Prodeat igitur monumentum obſeruantiæ meæ Illuſtriſſimo nomini Veſtro conſecratum, tametſi nec Veſtris reſpondens meritis, nec animo meo; quibus ego quidquid fecero, ſatisfaciam nunquam. Quia tamen amor otioſus eſſe nequit, accipite à me honoris Veſtri debitum, amoris mei pignus. quod ſi non ſurdâ, vt ſoletis, aure, intimas quoq; voces exceperitis obſeruantiæ in Vos meæ, intelligetis profectò quanta ſit non jàm Libri huius, ſed pectoris eloquentia, cuius lingua Cor eſt.

PROOE-

Digitized by Google

PROOEMIUM

AD INCLYTOS

Regnorū Sclauoniæ, & Croatiæ STATUS & ORDINES.

MEmoriam noſtræ gentis ſcripturus, & calamò tametsì non adeò graui & erudito primordia Imperij illius, Regnorum amplitudinem, Regum ac Pro-Regum ſeriem, populorum mores, militum heroica facta, poſteritati commendaturus; inuidiæ in me atq; odij flammas, in plerorumq; ſuſcitatas pectoribus, in incendium euoco. Eam enim hoc noſtro infelici ſæculo videre eſt vitæ corruptionem, morum diſſolutionem, ingeniorum petulantiam; vt nemo ferè, quòd pro poſterorum bono laude dignum ſit, agat; aut ſi reperias aliquem, is èueſtigiò acerbiſſimis Criticorum Cenſuris, altisq; ſupercilijs iniurioſiſſimè perſtringatur: vt non tàm calcaria tibi ad præclari quidpiam agendum, quàm fræna ad curſum jam inchoatum cohibendum adhiberi ſentias; vndè nec immeritò cum Æthnico dixeris:

Ætas parentum peior auis, tulit nos nequiores, Horatius.
Mox daturos progeniem vitioſiorem.

Etenìm quemadmodùm tota rerum natura jàm ſeneſcit, & vetuſtate redditur debilior, ità animi mortalium, quantò propiùs ad finem mundi acceditur, tantò efficiuntur debiliores, & veluti ſenſim denegenerare à primâ firmitudine, & integritate cernuntur. Quid aliud hoc noſtro ſæculo fieri videas, quàm quiâ hos veternus tenet; illos inquieta turbat inertia inanibus occupatos; libido alios viſcò tenaci implicat, alios inuidiæ & æmulationis ſtimulis ambitiò exagitat, alios habendi, dominandiq; cupido inſatiabilis in perniciem innocentum furentes agit; quot numerabis, quos nulla vnquam hamarunt munera, nec vlla viſcauit gratia, vt affectibus ſiniſtris, & prauis inclinationibus ſopitis ac demortuis, æquitatis rectitudinem, ad quam conditi ſunt, cuiq; jusjurando ſe famulaturos poſteà obſtrinxerunt, ſequerentur: quot ſunt proh DEVM immortalem, qui in aliena longè lateq; rapaces manus inferunt, alterâ manu

Digitized by Google

orientem, ſi fas tantum foret, occidentem attentarent alterâ, & cum Alexandro Macedone, quæ non capiunt, cupiunt tamen; nec meminerunt hi, qui in immenſum ſpes improbas cupiditatesq; extendunt, quod ea ipſa, quæ nullo ſuo bono, multorum malo quæſiuerunt, miſerabilem ſortientur exitum, & quicquid longo tempore, multâ DEI indulgentiâ ſtruxerunt, id vna ſparget dies.

Lucretius. - - - - Multoſq; per annos
Suſtentata ruet moles.

Hanc ipſam quæſo Illyriæ gentem in experimentum accipiamus, an non cernimus eam tot olìm plerarumq; orbis partium ſpolijs opulentam, tot victorijs claram, tot regna complexam. Heu quò non recidit! perijt alta, & ferè totius Europæ Sedes primaria; ac de tanto Imperio vix tot reliqua ſunt Oppidula, quot olìm regna referebat. Quid Illyrio acciderit quondam, Illyrij indigenam audite Hieronymum:

» *Horret, inquit, animus temporum noſtrorum ruinas proſequi,*
» *viginti & eò ampliùs anni ſunt, quòd inter Conſtantinopolim, &*
» *Alpes Iulias quotidiè Romanus ſanguis effunditur. Scythiam,*
» *Thraciam, Macedoniam, Dardaniam, Daciam, Theſſalonicam,*
» *Epiros, Dalmatiam, cunctasq; Pannonias; Gottus, Sarmata,*
» *Quadus, Alanus, Hunni, Vandali, Marcomanni vaſtant, trahunt,*
» *rapiunt; vbiq; luctus, vbiq; gemitus, & plurima mortis imago.*

Epiſtola 3. ad Heliod.

An ab ijs verò temporibus, feliciora noſtra putamus ſæcula? Vtinam & nos, & ventura poſteritas, Mahometanam barbariem, ex tot illatis bellis, bellorumq; miſerrimis appendicibus, ex tot Arcium, Oppidorum, Vrbium exuſtionibus, ex quibus nihil, niſi fumantia ſuperſunt rudera, ex tot vaſtationibus Prouinciarum, expoliationibus diuitum, deprædationibus mediocrium, exilijs pauperum, irritis lacrymis non deploraremus, & vel ipſo Illyrico ſanguine rubeſcentes patriæ campos, Signa Numinis in vindictam laceſſiti, & ad meliorem vitæ morumq; frugem nos reuocantis, vel ſerò agnoſceremus. Vt quid nos perditum ampliùs imus? ponamus odia, ambitionem malorum omnium officinam, aut ſi mauis nutrices cineres dicere reſtinguamus, & quicquid demùm malæ ſementis eſt, ex patria eradicantes gleba, in alieno ſinamus creſcere ſolo: Atq; ita in duas nos omnes diſtinguamus claſſes, & pars vna pulcherrimarum virtutum ornamentis patriam exornet, pars verò altera in patentem laudabilis æmulationis campum, id eſt, ad Illyrici Imperij res præclarè geſtas, aliaq; calamo digna poſteritati tradenda, inuicem prouocata excurrat; nè, cùm tot ſint omnium aliarum nationum, præclariſſimi Heroës, & Heroum

Scriptores,

Digitized by Google

PROOEMIVM.

Scriptores, hæc vna tàm ampla natio ſuâ priuetur laude, & velut infœcunda tellus nullum germen rerum benè geſtarum, aut fructum eruditorum Virorum produxiſſe exiſtimetur. Moueat nos, obſecro, ad præclara qualibet atq; laude digna aggredienda, immaniſſimi Chriſtiani nominis beſtiis barbara crudelitas, quâ adeò ob deteſtabilem plerorumq; negligentiam, ob execrandas animorum ſimultates atq; priuata ſtudia, in exiguum redacti ſumus pugillum, vt meritò cum Ierrm. 3. *Propheta immortales* DEO *gratias, pro miſericordijs Domini, quià non ſumus conſumpti, reddere debeamus; moueat innata Illyricæ nationi generoſitas, auorum, atauorumq; virtus; moueat Diuini honoris incrementum, propriaq; ſalus, nè vel iàm proprijs ſepulti obruamur cineribus; neq; ſit nobis tantùm gaudij atq; tripudij perire, aut fortè penitùs periſſe. Vos verò,* Proceres Illuſtriſſimi, *cæteriq;* Optimates Inclyti, *hunc meum laborem ſerenâ legite fronte, ac vobis perſuaſum habete, non paucos eſſe Viros, eruditione & tempore præclaros, iugi tamen torpere otio: quò verò maiori crimine, maiorum noſtrorum vetuſtas arguenda eſt; quòd ſuarum memoriam rerum, altâ obliuione ſepeliuerit, eò grauioris ac moleſtioris mihi erat laboris, tàm vetuſta, tàm multa, paucis admodùm auctoribus, ſubſidium ferentibus in lucem dare; nam vt rectè Bonfinius: Quid Sauromatæ tot gentium auctores, quid Longobardi, quid deniq;* In præfat. ad Wladiſlaum Regẽ. *Sclauones per tot nationes, & linguas amplè diffuſi geſſerint, à ſenioribus potiùs quàm Scriptoribus accepimus. Itaq; laborem magnum, ac diuturnum, veritate ſummâ, qua fieri potuit, quæ princeps eſt hiſtoriæ virtus, collectum ac confectum probato æſtimare debetis iudicio, & beneuolo ſuſcipere animo; vt cùm ità vitiatos hominum mores eſſe ſciatis, vt ipſos etiam laudabiles conatus, carpere non ceſſent, beneuolentiâ ſaltem mihi compenſetis: minimè ſiquidem id ego mihi polliceri auſim, vt omnes laudatores audiam, cùm nullus vnquàm vel probatiſſimorum hiſtoricorum fuerit, qui alicuius non ſubierit cenſuram. Atq; ideò non doceo hic, nè audiam Græculus apud Hannibalem, narro tantùm, & vt imperitus Comœdus, ignorantiam meam in hâc Scenâ proludo. Reducetis vos benignâ manu veſtrâ cortinam, ſi peccaſſe videar, ſin placitura dixi, tuebimini dexterâ veſtrâ, & conatum laudabitis, cùm rem non poſſitis. Vtrumq; ſi feceritis humanitatis erit veſtræ, non eruditionis meæ, quam nunquàm agnoui, illam ſemper*

CONFITEBOR.

Digitized by Google

MAGNIFICO ET ADMODVM REVERENDO DOMINO,

GEORGIO RATTKAI, LIBERO BARONI

DE NAGY THABOR,

Lectori & Canonico Cathedralis Eccleſiæ Zagrábienſis.
In Sclauonicam ſuam Hiſtoriam accinebat.

QVæ virtus alijs diuiſa, GEORGIUS illam
Vnitam RATTKAI noſter hic unus habet.
Illi ſi populus ſacro in ſermone docendus,
In Cathedra, in Templo, primus & alter, adeſt.
Si caſtra, in caſtris ſi Cæſaris arma ſequenda;
Militis, & Myſtæ pertulit officium.
Sclauorum ſi geſta petas, ſi geſta Banorum,
Hiſtoriæ Primas Illyris Auctor adeſt.
Dùm Sclaui, & Bani, dùmq; Illyris ora manebit,
Illyricâ RATTKAI viuet in Hiſtoriâ.

IOANNES SZAKMARDI de Diankoucz,
Prothonotarius Regnorum Croatiæ, & Sclauoniæ, AA. LL. & Philoſ. Magiſter.

IN LIBRVM, & PRO LIBRO

Magnifici & Admodum Reuerendi Domini

GEORGII RATTKAI,

de NAGY THABOR, LIBERI BARONIS, LECTORIS & CANONICI CATHEDRALIS ECCLESIÆ ZAGRABIENSIS.

EXigui liber eſt fructûs, nec dignus honore,
Inter Scriptores hic nouus Hiſtoricos.
Ambitio & faſtus mentis, non publica Regni
Comoda, fuderunt hanc Methodū hiſtoricam.

AD

Digitized by Google

AD AVCTOREM LIBRI.

MAgne Vir ingenio, titulis & ſtemmate, clare,
Qui cultum, docto pectore, promis opus;
Quod tuus iſte liber, non eſt à ſcommate liber
Parce; verecundo cultius ore loquar.
Ex falſo, verum, Dialecticus elicit arte,
Ex IN, PRO, verſus arte Poëta facit.
Sim licet Aonia modicum verſatus in arte,
Arte exclamabo, PRO, mea vota dabo.
HIſtoricos nouus hic Scriptores inter, honore
Dignus, nec fructûs eſt liber exigui.
Hiſtoricã Methodum hanc fuderunt cõmoda Regni
Publica, non mentis faſtus & ambitio.

Imò

Ingenium, virtus, ſtat Nobilitatis in illo
Pulcher honos, nec non cultæ facundia linguæ.

EPIGRAMMA
DE AVTHORIS INSIGNIBVS.

MAgna per abruptos qui ducitis agmina mõtes,
Bellorum Proceres, Martia corda, Duces.
Si poſcet gelidos ſitiens exercitus amnes,
FONS hic abundantes ſuppeditabit aquas,
Magnus Alexander ſi duceret amplius agmen,
Non alio cuperet FONTE leuare ſitim.

Aliud.

IMbibit ut tellus pluuiales arida guttas,
Vndiquè flumineas ut bibit æquor aquas.
Sol ut arenoſi ſalſas bibit æquoris undas,
Vt Solis radios æmula Luna bibit.
Nectareum quod FONTE fluit, manatq; Georgi
Flumen, poſteritas ſic bene grata bibet.

CHRO-

Digitized by Google

CHRONOSTICHON

Annum complectens, quo verum erat dicere.

Nobile prodit opus, cultè quod Nobilis Author edidit.

Alphabeto iam olim ſic æſtimato.

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	o	p	q	r	s	t	u	x	y	z
1	2	3	4	5	6	7	8	9	0	10	20	30	40	50	60	70	80	90	100	110	120	130

RESOLUTA.

N	30	t	90	u	100	u	100
o	40	o	40	o	40	t	90
b	2	p	50	d	4	h	8
i	9	u	100	N	30	o	40
l	10	s	80	o	40	r	70
e	5	c	3	b	2	E	5
p	50	u	100	i	9	d	4
r	70	l	10	l	10	i	9
o	40	t	90	i	9	d	4
d	4	e	50	s	80	i	9
i	9	q	60	A	1	t	90
	269		628		325		429

Collectio quatuor columnarum per additionem Arithmeticam.

2 6 9
6 2 8
3 2 5
4 2 9

Facit 1651. Annum.

Poſuit

PETRVS BAXAI,
Vice-Comes Comitatus
Varaſdienſis.

EPI-

Digitized by Google

EPIGRAMMA.
IN AVCTOREM.

MArs, pietas, Pallas, pariter de fronte duellant,
Quidquid ineſt atauis, exprimit illa, tuis.
Clarus auis ſcribens memori ratione Parentas,
In cineres cupiens, gratus obire pios.

LVDOVICVS BEDEKOVICH, Archidiaconus Goricenſis, & Canonicus Cathedralis Eccleſiæ Zagrabienſis.

ANTELOGIUM VEL ELOGIUM.
ADMODVM REVERENDI, AC MAGNIFICI DOMINI
GEORGII RATTKAY, LECTORIS, ET CANONICI ECCLESIÆ CATHED: ZAGRABIENSIS.

Heroica Inclyti Regni Illyrici geſta ſcribentis.

ILlyrici florent illuſtria lilia Regni,
Illyrico binum ſidus in orbe micat.
Sanctorum vitas redimitus fronte Thiarâ
Lector & Antiſtes Tomcus in orbe dedit.
Stirpe Baro, virtutē Maro, ſpectabilis arte,
Lector Rattcaius Martia facta dedit.
Heroum referens inſignia geſta Virorum
Quorum ſunt Manes, & celebranda manus.
Viuite Lectores meritis poſt fata manentes,
Illyrici Doctor Lector vterq; ſui.

ALIUD

Digitized by Google

ALIUD EIUSDEM.

ZRinius Illyici ſplendeſcit gemma decoris
Quæ primi, ſuperans, arma tulere viri.
Jllyrici Rattcay ſplendeſcit lumen honoris,
Quæ primi, ſuperans, ſcripta dedêre viri.

Cecinit

CHRISTOPHORVS KALMANDI,
Cathedralis Eccleſiæ Zagrabienſis
Canonicus.



PRO-


PROLOGVS AD LECTOREM.

PEtiuerat à me Joannes Draſcouicius Prorex Illuſtriſſimus, imò Jure ſuo, quod in me Banus habuerat, exigebat; ut quod priuata de rebus noſtris Hiſtoriarum lectione pro me collegeram, breui pagellâ, Regum, ac Banorum præſertim originem, ſeriem, atq; geſta in hiſtoriolæ formam redacta, è tenebris excitarem, & ſaltem utilitati poſterorum noſtræ gentis aperirem. Morem geſſi utpotè Bano, & Patrono: & Patrono quidem, cuius in me præ cæteris merita compendiosâ narratione explicari nequeunt, Bano verò æmulatione Atauorum innatâ virtute per immortalitatis iter incedenti. Neq; enim perſuaderi potui alio ipſum id à me fine poſtulaſſe, quàm ut omnium virtutes atq; præclarè geſta hîc expreſſa intuens, atq; auiditate quâdam boni inardeſcens, in ſe uno exprimeret, & quod eorum ſinguli longiſſimè inter ſe diſtantibus geſſère temporibus, id ipſe ſolus vitâ ſuperſtite præſtare niteretur. Verùm, dùm miſeranda naufragia trium fermè ſæculorum, quibus gens noſtra iactatur aſſiduè, ac extremam Maiorum noſtrorum in ſcribendo negligentiam conſideraſſem, bonâ veniâ illius, quam in me habebat, authoritatis, flagitato me ſubtraxiſſem officio, niſi & ipſius mihi tranſgredi voluntatem, & priorum imitari ſocordiam ſceleri duxiſſem; maximè cùm necdùm quidam inordinato tumentes faſtu, effutire

ceſſent, nos vix è noſtris aliquem habuiſſe Regem. Et verò cùm ſimilia audire cogimur, noſtræ indignemur inertiæ, cùm non pauci Maiorum noſtrorum ingenio ac eruditione eximij, omni ſæculo viſi ſint, nullus tamen repertus, qui res patrias literis mandaſſet: contenti forſitan virtute, quæ laudata patrare nouit, laudari negligit, nec proſperam ſuorum geſtorum memoriam relinquunt poſteris; ignari prorsùs contemptu famæ contemni virtutes, & quod ſuum cuiq; decus poſteritas rependere ſoleat, herosq; honor Annalium æternus, non breuis & plebeia prædicatio colit & conſecrat. Itaq; cùm rari apparuerint nantes in gurgite vaſto, *ex omnibus horum contraxi ſeriem, atq; vitam Regum ac Banorum, quorum & ex Hiſtorijs, & ſcripturarum familiarium reliquijs notitiam aſſequi potui. Fruere proindè opere induſtriæ Draſcouicianæ, beneuole Lector, & ſi quid tibi profuiſſe cognoueris, ipſi acceptum referas: nam & nos, ſi quem animum in ſuperſtitem indueramus, minimè in defunctum exuimus. Mors dolorem addidit, non minuit amorem, & feralem de ſublato ex viuis memoriam ſoporare, non extinguere poteſt. Porrò quantumuis cautè, & omni ſinceritate ſtudeamus veritatis iter uſquequaq; tenere, vix ij tamen, qui conamur eſſe, poſſumus apud omnes haberi; nihilominùs ut & hiſtorici partes exequar, & ſeueriorum Criticorum cenſuram minùs timeam, rem ità mihi agendam propoſui, ut nèc ob metum à veritatis tramite declinem, nec adulatione cuipiam blandiri videar.*

ME-

Digitized by Google



Stemma vetus genuit, Virtus nutriuerit Aula,
Musæ, Nobilitas, Arma dedêre Virum.
Vir scripsi, dixi, feci quod proderit olim,
VIXI; posteritas sit mea Vita Tibi.
Ætatis 38.

Digitized by Google

MEMORIÆ REGVM, *ET* BANORUM, DALMATIÆ, CROATIÆ, & SCLAVONIÆ, GEORGII RATTKAY LIBER PRIMVS.

Cùm Deus Opt: Max: reſtitutâ pace cataclyſmum illum generalem ſuper faciem terræ diminuiſſet, & icto cum humano genere pacis fœdere, Noë, cum tribus filijs ſuis, Sem, Cham, & Iaphet, illæſos ex Arca abire feciſſet, ab his teſtantibus diuinis literis: „*Diſſeminatum eſt omne genus hominum ſuper vniuerſam terram.*" Geneſ. 9.
Scriptores deindè tàm ſacri, quàm prophani, Iaphet, in diuiſione hæreditatis paternæ Europam ſortitum fuiſſe tradunt, eius verò filios, qui Sclauicæ linguæ principium fecêre, ſeptentrionalem

Digitized by Google

plagam verſus, eam terræ partem, quam magnam Scandinauiam in longitudinem protenſam 800. in latitudinem autem 600. milliaribus, extenſam, appellârunt; incoluiſſe, primamque ibi fixiſſe Sedem perhibent. Scandinauia mari Baltico vndique alluitur, ac cingitur, excepta ſolâ Orientis parte, ex quâ duobus ingentibus clauditur montibus. Longo deindè temporis decurſu, ob innumerabilem hominum propagationem dilatauêre ſeſe in Sarmatiam ſub Duce Gomer, cuius & Scriptura meminit, quæ in ſe Poloniam, Ruſſiam, Lithuaniam, Moſcouiam, Pruſſiam, Pomeraniam, Valachiam, Tartariam occidentalem, & partem Tanais, quâ Aſia ab Europâ disiungitur, continet: rursùm deindè factâ copioſiori multitudine ad Taurunos montes, & ab his in Siciliam vſque, & ab Aquilonari ponto vſque ad Adriaticum, meridiem versùs ſeſe protenderunt; vndè nec mirùm quòd noſtratum lingua tàm latè per Orbem vniuerſum pateat, vt ſuo loco dicemus.

Geneſ. 10

Initio Chronicæ.

Quià verò, vt Thurocius in Hungarorum Chronica ſcribit, „*ex his poſteà propter longi æui irreminiſcibilem vetuſtatem mutata* „*ſunt plurima, paucaq; in ſe, vel ſibi ſimili aut propinquo permanſe*-„*runt;* hinc quòd anteà telluri huic nomen, quiuè incolæ fuerint, cognoſcere non potui: Appiano tamen facem præferente (licèt magnam temporum reuolutionem omittere debeamus) ejus Prouinciæ nomen ab Illyrio Polyphémo ortum habuiſſe reperio. Polyphémo quippè Cyclopi ac Galateæ, Celtum & Illyrium filios extitiſſe, eoſque ex Sicilia progreſſos, Celtis & Illyrijs ab „ipſis nomen aſſumentibus imperitaſſe: Et hæc mihi, inquit, „Appianus, inter pleraque à multis commemorata placuêre. Illyrio deindè filium inter cæteros Dardanum & Autarium, huic verò Pannonium Latinâ voce, Græcâ verò Pæonum, & Scordiſcum filios fuiſſe; Pæono Tribalum, & ſic de cæteris, à quibus paritèr Nationum cognomina traducta ſunt. Porrò omnis ea Regio, quæ Illyrij nomine latiſſimè ſumpto intelligi deberet, ab aliquibus anguſtioribus conſtricta, ab alijs autem amplioribus dilatata eſt limitibus, quæ omnia ex Illyricanæ Regiæ ſanctitatis fœcunditate Joannis Tomco Epiſcopi Boſnenſis, Viri noſtro ſæculo de rebus Hiſtoricis benè meriti, tranſumenda „breuitatis ac eruditionis gratiâ iudicaui. Nam ſicut; inquit, „videre eſt apud Liuium & Florum, quo primùm tempore Romani

Appian. de bellis Illyricis.

Illyriorum origo, & Regionis amplitudo.

In Præfatione ad Lectorem.

vltrà

Digitized by Google

vltrà ſuperum mare arma protulerunt, eam terræ portionem, »
quæ Plinio & Pomponio teſte circa Labeatem paludem jacet, »
quam Illyricus fluuius inibi, Antonino in ſuo itinerario notus, »
interfluit Scodra Vrbe nobilem, tanquàm à Dalmatiâ, & reliquis »
Regionibus eiuſdem linguæ diuerſam, hoc nomine appellârunt. »
Adultâ verò Romanâ potentiâ, Suetonius, dum maximam par- »
tem Illyrici per Tiberium ſub Auguſto debellatam ſcribit, »
Totum, inquit, Illyricum, quod intra Italiam, regnumque Nori- »
cum, & Thraciam, & Macedoniam, interq; Danubium flumen, »
& ſinum maris Adriatici patet, perdomuit. Plinius, Pompo- »
nius item, & Appianus, amplioribus terminis dilatant. Illud »
itaque Illyricum hìc intelligimus, quod vergente ad ſenectutem »
Romano Imperio, Valerianus Imperator apud Trebelium Po- »
lionem ad Zozimionem epiſtolâ, dùm Claudium Illyricanæ gen- »
tis, Ducem Illyrici factum ſcribit, amplioribus deſcribit limiti- »
bus, cùm ait: Dux factus eſt, & Dux totius Illyrici; habet in »
poteſtatem Thracios, Mœſos, Dalmatas, Pannonios, Dacos »
exercitus; Illam denique Europæ portionem, quam Sextus »
Rufus Vir Conſularis ſub Valentiniano adhùc ampliori ſepſit »
ambitu, cùm decem & ſeptem Illyrici recenſuit Prouincias, ſex »
poſtremas juriſdictione tantùm Illyrico adſcribendo, vtpotè »
maiori ex parte Græcanicas. Maximo verò finium termino »
Illyrici indigena, & proindè optimè omnibus alijs, paucis licèt, »
ob oculos poſuit Diuus Hieronymus, dùm Illyricum à Conſtan- »
tinopoli ad Alpes Iulias producit: quâ ratione Illyricum totam »
eam terræ plagam accipimus, quæ inter Ponticum, Ægeum, & »
Adriaticum maria, Danubium fluuium, ſeu Iſtrum, & Græciam, »
atque Italiam regiones clauditur. Hactenùs Tomco. »

Hæc igitur omnis Regio, tàm amplis incluſa finibus, omni tempore viros literis, rerum gerendarum peritia, bellicâ virtute præſtantes, atque etiam vitæ integritate conſpicuos, vbi veræ fidei lumen affulſit, tulit, aluitque; nullis orbis Prouincijs inferior. Verùm, cùm jàm ſuprà ex Bonfinio dixerimus, plura nos à Maioribus, quàm Scriptoribus accepiſſe; ideò quibuſcùm, qualiauè ab origine ſua bella geſſerint, reperire non licuit; ab Amynthâ ſolùm magni Alexandri auo initium ſumere placuit. Anno itaque ante Chriſtum natum 359. Amynthas ipſe Philippi pater, Illyrijs Macedoniam incurſantibus, Vrbe ſuâ Pellâ (quæ

Geſta Illyriorum cum Macedonibus.

Philippi,

Philippi, & Alexandri natalibus illuſtrior poſteà reddita eſt) excidit, & Imperij ſeruandi ſpe deiectus, Olinthijs propinquum ipſis agrum dono dedit; quem poſt biennium, regno Theſſalorum ope reſtitutus, repetijt, & Spartanorum operâ recuperauit: Illyrijs nihilominùs vectigalis fuit, & fidei cauſa Philippum natu minimum illis obſidem dedit, quem illi Thebanis conſeruandum tradidêre. Thebis triennio obſes habitus, prima pueritiæ rudimenta vndecimum agens annum in Vrbe ſeueritatis antiquæ, & in domo Epaminondæ ſummi & Philoſophi & Imperatoris depoſuit. Amynthas fatis concedens, Alexandrum primogenitum, Philippi fratrem, regni reliquit hæredem, qui inter Imperij primordia bellum ab Illyrijs pactâ mercede, & Philippo fratre obſide relicto, redemit. Hic Regnum vnum dùntaxat tenuit annum, cui poſteà Perdiccas frater eius in regno ſucceſſit; cùmq; hic ſexto Imperij ſui anno Illyricum iugum excutere conaretur, ingenti prælio ab ijs victus in pugnâ cecidit, tametſi Q. Curtius veneni tabe ſublatum ſcribat. Orbato regno, Philippus è Thebanâ cuſtodiâ interìm elapſus, percommodè opem tulit, illudque admodùm malè affectum ſuſcepit: nam in acie contra Illyrios ſuprà quatuor Macedonum millia, cum Perdicca Rege occubuerant, & qui ſuperfuerant, Illyriorum vires tantoperè expaueſcebant, vt nihil eis ad inſtaurandum bellum animi ſupereſſet, præcipuè quòd Illyrij nouam in Macedonas molirentur expeditionem. Suſcepto itaque Regno Philippus, anno ætatis ſuæ quarto ſuprà vigeſimum, nihil habuit antiquiùs, quàm vt populum ſuum crebris concionibus ad benè ſperandum animaret, & militari exercitatione armorum benè peritum redderet: deindè vt placaret Athenienſes, hoſtem eo tempore grauiſſimum, Amphipoli decedens ſuis eam legibus viuere permiſit. Indè miſsâ legatione, Pannonum, qui eo temporis Macedonas infeſtis armis vexabant, alios muneribus corrupit, alios pollicitationibus retinuit, & ad pacem in præſens tempus ineundam adduxit. His Philippus vſus initijs, regnum ſuum breui omnium in Europa maximum reddidit, & Macedoniam, quam Illyricorum iugo preſſam acceperat, potentiſſimarum gentium dominam effecit: etenìm non ità multò pòſt rebus ſuis, obtentâ ab alijs pace, meliùs conſtitutis; Amphipolim crebris pulſatam machinis expugnauit ac poſſedit. Athenienſium verò bello liberatus, cùm

Agim

Digitized by Google

Agim Pæonum regem mortuum audiſſet, commodam ſibi occaſionem datam exiſtimauit, Pannones, à quibus per contemptũ agrorum ſuorum populatione fuerat laceſſitus, inuadendi, ſibiq; ſubijciendi: armatâ igitur manu terram illorum ingreſſus, eoſdem acie vicit, gentemque deincèps Macedonibus parere coëgit.

Reſtabant hoſtes Illyrij, qui ſuperioribus annis Macedones cladibus multis affecerant, tributa ab eis exegerant, ipſum etiam Philippum in cuſtodia Thebis aſſeruatum habuerant: hos ergò cùm magno debellandi ſtudio teneretur, ſuoſque ad id bellum appoſitâ oratione animaſſet, ad Bardylem Illyriorum Regem feciales ex more gentium, qui omnium Macedoniæ vrbium, quas illi dudùm occupatas tenebant, repetundarum gratiâ proficiſcerentur, expedit: Bardyles verò Legatos pacis redintegrandæ causâ mittit ad Philippum eâ conditione; vt quas quiſque tùnc Vrbes in ſua haberet poteſtate, eas deinceps retineret; at Philippus cùm eam legem non admitteret, ſed omninò vellet, vt Vrbes Macedonicæ ſibi reſtituerentur, ad manus ventum eſt. Macedonum igitur & Illyriorum Legatis infecto negotio vltrò citroq; reuerſis, Philippus in Illyriorum fines copias ducit millia peditũ decem, equites verò ad 600. ſub vexillis habens; quibus ſuppares oppoſuit copias Bardylis, quem partæ iàm dudùm victoriæ ad retinendam gloriam, ſicut Philippum acceptæ clades ad iniuriarum vltionem accendebant. Diù anceps fuiſſe prælium Diodorus refert, propter eximiam vtriuſque exercitus fortitudinem, tandem Illyricus ſe in fugam dedit, cui Macedo â tergo feruidus inſtitit, quibus hactenùs dare terga ſolitus fuerat; & iuuabat alacritatem conuerſa belli fortuna, tantâque Illyrij affecti ſunt clade, vt plùs ſeptem millibus in eo conflictu occubuerint. Philippus Illyrijs magno prælio deuictis, omnes Lychnitidem vſque paludem habitantes, eiuſdem nominis Vrbi Macedoniæ Dalmatiæq; finibus conterminam, Imperio ſuo ſubjecit, & cum Illyrijs pace factâ, quam annis multis deſiderio ſummo fuerat præſtolatus, in Macedoniam regreditur. Anno inſequenti Pannones & Illyrij cùm nupèr à Philippo victi eſſent, & proprio malo, & incrementis inimici affligebantur, ità quòd ſinguli facere poſſe deſperabant, vt Philippum Regno ac fortunis omnibus euerterent, vniuerſi aggrediuntur. Verùm eos, dùm copias adhùc

in

in ipſum cogunt, Parmenio Dux ſubito aduentu oppreſſos in jura Macedonici Regni concedere coëgit. Philippus intereà diuerſis bellorum tumultibus in Græciâ diſtractus, ab Illyriorum infeſtatione quieuit vſque ad annum 343: atque ita Illyrij quatuor annorum reuolutionibus alienum inaſſueti tolerare jugum, feliciorem fortunæ ſucceſſum gratìs præſtolari cogebantur. Philippus ſiquidem anno ſuprà memorato 343. regno ſuo probè vndique ſtabilito, magniſque incrementis aliorum ruinâ amplificato, ex veteri in Illyrios odio, quod quaſi hæreditarium à patre acceperat, iterùm eorum terras ac Vrbes valido cum exercitu inuadit, & agros populatus, multiſque Dardanorum præſertìm Vrbibus expugnatis, cum maximâ prædâ Macedoniam repetit. At verò Bulgari damna Dardanorum ſociorum ægrè ferentes, & de Philippo vlciſci machinantes, anno ante Chriſtum natum 338. eidem ex Scythiâ ingenti onuſto prædâ in Macedoniam reuertenti occurrunt: negant ſe tranſitum daturos, niſi prædæ portionem accipiant; hìnc jurgium, & mox prælium exoritur, in quo ità in femore vulneratus eſt Philippus, vt per corpus equus eius interficeretur ducibus ac militibus occiſum putantibus, vniuerſam amittentibus prædam. Ità qui prædæ cauſa bellum ſuſceperat, & prædam amiſit, & penè mortis aut hoſtium præda factus eſt. Et certè tametſi Bulgarorum manus viuus euaſerit, attamen triennio pòſt arrogantiſſimi hominis ſuperbiam, quâ inflatus, duodecim Deorum ſigna populo in Theatro ſpectante cultu mirifico & artificio ſingulari, tùm tertium decimum ipſius Philippi ſimulacrum diuino per omnia ſimile, quaſi rege ſuprà humanam ſortem in Deorum conſeſſu admiſſo, oſtentare curabat: Summus DEVS, qui gloriam ſuam alteri dare non vult, Pauſaniæ familiaris ſui gladio, & morte turpiſſimâ vindicauit; quo modò poſteà Herodem ſimilia audentem Angelicâ manu percuſſit, & vermibus viuum conſumendum dedit. Contigit ea Philippi cædes anno ætatis eius 47. Regni verò, vt Salianus ſcribit, vigeſimo quinto.

Eſaiæ 42.

Actorum 12. & 13.

Geſta Illyriorum cũ Alexandro Magno.

Philippus turpitèr ac ignominioſè vitæ ſuæ periodo concluſa, quàm alioquin in ſummâ rerum benè geſtarum felicitate, & nominis ſui in vniuersâ Græciâ, atque Perſarum regno celebritate relictâ, Imperij denique Macedonici maximis factis incrementis traduxerat: Alexandrum filium Magnum poſteà cogno-

cognomento dictum, ſub finem anni antè ortum Chriſti 335. ætatis annos natum viginti, aliquot iàm anteà prælijs exercitum, hæredem & regni ſucceſſorem reliquit. Is cùm varios animorum motus in ſuis inter ſpem metumque fluctuantibus animaduerteret, quòd pro callido ac veterano Rege regnantem viderent feruidum adoleſcentem, Imperium Perſarum, totamque Aſiam laceſſitam ſcirent, Græciam nondùm perdomitam, Illyrios, inter quos præcipuè Dardanos ad libertatem priſtinam tùm ſponte ſuâ, tùm occaſione mutati Regis aſpirantes cognoſcerent: his omnibus alijſque difficultatibus vt occurreret, primùm aduocatâ concione ità ſuos pro tempore conſolatus hortatuſque eſt, vt & metum timentibus demeret, & in ſpem ſui omnes impelleret, tùm deindè animum prorſùs ac vires omnes ad Perſicam expeditionem promouendam, à patre ſuo inchoatam, adiecit. Verùm eam ſibi prouinciam minimè aggrediendam ratus, niſi priùs Illyrici populos Macedoniæ vicinos, ſibique vehementèr infenſos, ac patris ſui olìm dominos, omninò domitos ſubiectoſque ſibi redderet; præſertìm cùm nouis eos rebus ſtudere accepiſſet. Quare ineunte vere Anni 334. per Thraciam in eos copias duxit, arreptoque ex Amphipoli itinere, Thraces, tùm Triballos, Bulgaros, Sclauos, indè Getas Iſtri accolas, ſummo ſui, ſuorumque periculo, infracto animo, Sclauis præſertìm reſiſtentibus, maxima tamen in rebus difficillimis inuicti animi perſeuerantiâ vicit ac ſubegit; atque tantæ militaris gloriæ, quam omnibus deindè ſuccedentibus temporibus conſecutus fuerat, hîc prima iecit fundamenta. Verùm vt laborioſum ac periculi res plena ſimùl eſt, Gentes in armis exercitatas poteſtati ſuæ ſubdere, ac natiuâ eaſdem libertate priuare; ità Alexandro populos hos deuincere magni ſanè conſtitit. Cùm enìm Sclaui, vt Orbinus vult, Scytharum nomine à Quinto Curtio vocati, Legatos ad eum expediuiſſent, & graui oratione perſuadere conati fuiſſent, quô felicitati ſuæ frænos imponeret, armorum etiam ac belli exitus dubios, proindè fugiendos potiùs, quàm perſequendos eſſe; reſponſumq; ab eo retuliſſent, ſe ſuâ vſurum fortunâ; congreſſi cum eodem, minimo ſuorum damno, duo peditum millia, & 300. Macedonum equites, inter quos Menedemum Alexandri Ducem in ipſo feruore pugnæ deleuêre. Quià verò optimi quique authorum, Sclauorum orationem, quos, vt dixi, Q. Curtius Scythas & Bar-

baros appellat, ob ſententiarum grauitatem, & ad fortitudinem eximiam, ac militaris animi inuictum robur declarandum, laudatiſſimam cenſent, eam hîc velut gentis noſtræ propriam adſcribere viſum eſt; vt appareat iàm tum Sclauos ſapientiam egregiè cum virtute militari coniunxiſſe. Igitur vnum ex his maximum natu, ita locutum accepimus.

» Si Dij habitum corporis tui auiditati animi parem eſſe voluiſſent, Orbis te non caperet, alterâ manu orientem, alterâ occidentem contingeres; & hoc aſſecutus ſcire velles, vbi tanti Numinis fulgor conderetur; ſic quoque concupiſcis, quæ non capis. Ab Europa petis Aſiam, ex Aſia tranſis Europam. deindè ſi humanum genus omne ſuperaueris, cum ſyluis, & niuibus, & fluminibus, feriſque beſtijs geſturus es bellum. Quid tu? ignoras arbores magnas diù creſcere, vnâ horâ extirpari? ſtultus eſt, qui earum fructus ſpectat, altitudinem non metitur. Vide né dum ad cacumen peruenire contendis, cum ipſis ramis quos comprehenderis decidas. Leo quoque aliquandò minimarum auium fit pabulum, & ferrum rubigo couſumit: nihil tàm firmum eſt, cui periculum non ſit etiam ab inualido. Quid nobis tecum eſt. nunquam terram tuam attigimus, quis ſis, vnde venias, licetné ignorare in vaſtis ſyluis viuentibus? nec ſeruire vlli poſſumus, nec imperare deſideramus. dona nobis data ſunt, né gentem noſtram ignores, iugum boum, aratrum, & ſagitta, & patera: his vtimur, & cum amicis, & aduerſus inimicos; fruges amicis damus boum labore quæſitas, paterâ cum qua Dijs vinum libamus; inimicos ſagittâ emimus, haſtâ cominùs petimus: ſic Scythiæ Regem, & poſteà Perſarum, Medorumque ſuperauimus, patuitque nobis iter vſque in Ægyptum. At tu, qui te gloriaris ad latrones perſequendos venire, omnium gentium, quas adijſti, latro es. Lydiam cœpiſti, Syriam occupaſti, Perſidem tenes, Bactrianos habes in poteſtate, Indos petiſti, iàm etiam ad pecora noſtra auaras & inſtabiles manus porrigis. Quid tibi diuitijs opus eſt, quæ te eſurire cogunt: primus omnium ſatietate famem paraſti, vt quo plura haberes, acriùs quæ non habes cuperes. Non ſuccurrit tibi quàm diù circa Bactra hæreas? dùm illos ſubigis, Sagdiani bellare cœperunt, bellum tibi ex victoriâ naſcitur; nam vt maior fortiorque ſis quàm quiſquam, tamen alienigenam Dominum nemo pati vult. Tranſi modò Tanaim, ſcies,

Nota Oratores hos non fuiſſe Scythas.

quàm

Digitized by Google

quàm latè pateat, nunquàm tamen conſequeris noſtros; paupertas noſtra velocior erit, quàm exercitus tuus, qui prædam totnationum vehit. Rurſùm, cùm procul nos abeſſe credes, videbis in tuis caſtris; eâdem velocitate & ſequimur, & fugimus. Proindè fortunam tuam preſſis manibus tene, lubrica eſt, nec inuita teneri poteſt. Salubre conſilium ſequens, quod præſens tempus oſtendit melius, impone felicitati tuæ frænos, faciliùs illam reges. Noſtri ſine pedibus dicunt eſſe fortunam, quæ manus & pinnas tantùm habet; cùm manus porrigit, pinnas quoque comprehendere non ſinit. Deniquè ſi DEUS es, tribuere mortalibus beneficia debes, non ſua eripere. ſin autem homo es, id quod es, ſempèr eſſe te cogita; ſtultùm eſt eorum meminiſſe, propter quæ tui obliuiſceris: quibus bellum non intuleris bonis amicis vti poteris, nam & firmiſſima eſt inter pares amicitia, & videntur pares, qui non fecerunt inter ſe periculum virium; quos viceris, amicos tibi eſſe caue credas; inter ſeruum & dominum nulla amicitia eſt, etiam in pace belli tamen jura ſeruantur. Jurando gratiam nos ſancire nè credideris, colendo fidem iuramus. Cæterùm nos & Aſiæ & Europæ cuſtodes habes, Bactra, niſi diuidat Tanais, contingimus. Vltrà Tanaim, & vſque ad Thraciam, collibus Thraciæ Macedoniam coniunctam eſſe fama eſt. Vtrique imperio tuo finitimos hoſtes, an amicos velis eſſe, conſidera. Hæc ille.

Et quidèm meritò Alexander grauiſſimis Oratoris huius admonitionibus commoueri debuiſſet, niſi Illyriorum, & Sclauorum præſertìm pernicie & ſanguine vbiquè inuictum ſeſe arbitratus fuiſſet, nequè dubitaſſet eorum occaſu victori ſibi Europam patere: Et quià terminos gloriæ ſuæ non locorum ſpatijs, quæ tranſiuerat, ſed nominis ſui immortalitate, quàm affectabat, metiebatur, auidiſſimi hominis animus flecti nequaquàm potuit. Igitur & inexplebilis orbis potiundi fames, & damni illati, mortiſquè Menedemi, recens memoria ad vlciſcendum ſtimulabat. Quarè impoſitis in præparatas rates militibus, quorum pars maior à puppe nantes equos loris trahebat, Tanaim tranſit, aciem pro temporis opportunitate inſtruit, acerrimè dimicans hoſtium turbat alas, turbatiſquè acritèr pedem inferre cœpit, & per octuaginta ſtadia fugientes inſequi perſeueràuit; jamquè linquente eum animo ſuis tamen præcepit,

' vt donec lucis aliquid ſupereſſet, fugientium tergis inhærerent.
" Sed Macedonas longiùs ira prouexit, Marte eis arridente; quippè
' mediâ ferè nocte in caſtra redierunt multis interfectis, pluribus
' captis, equoſque 1800. abegêre. ceciderunt autem Macedonum
' 600. equites, pedites mille, mille læthali accepto vulnere ſauciati.
' Hâc obtentâ victoriâ Alexander, tametſi ſuis minimè incruenta, animo lætus, cùm inuictos Sclauos eſſe inaudiuerat, ijs fractis, nullam gentem Macedonum armis parem forè confitebatur. Tùm deindè Sclauos in fide permanentes ſummis proſecutus fauoribus, aduersùs alias omnes gentes deuincendas, belli ſocios ſtrenuiſſimos adhibuit: quorum cùm conſtantem ſempèr fidem, ac in maximè arduis quibuſuis prælijs inuictas vires expertus fuiſſet, in grati animi ſignificationem, ac dignam meritorum compenſationem, hoc eos ſub vitæ finem ſubiecto priuilegij Diplomate remuneratus eſt, vt apud Franciſcum Glauinich in vitis Sanctorum videre licet.

» NOs Alexander Philippi Regis Macedonum » filius, Archos Monarchiæ figuratus, Græcorum » Imperij Inchoator, magni Jouis filius nunciatus, » Dominus Bragmanorum & Arborum, ab ortu » Solis vſque ad occâſum, & â meridie vſque ad ſe» ptentrionem, Perſarum, & Medorum, Mundiq; » Dominus, Solis & Lunæ conculcator, Nobili » Genti Sclauorum, & eorum linguæ gratiam, pa» cem, & ſalutem à nobis, & à noſtris poſteris, qui » in mundi ſuccedent Imperium. Quoniàm ſem» pèr nobis conſtantes in fide, animoſi in armis, & » ſtrenui adiutores noſtri fuiſtis; Jdeò vobis damus » & donamus plenâ libertate in perpetuùm om» nem Terræ plagam ab Aquilone, vſque ad vltimos » fines meridiem verſus; eâ conditione, vt nulla alia » gens & natio ibidem reſidere, inhabitare, aut poſ-

ſidere

ſidere quidquam audeat,niſi veſtra: Et ſi qui ibi » habitantes reperientur, ſint ſubditi ac captiui ve- » ſtri,& filij eorum captiui filiorum veſtrorum. Da- » tum Alexandriæ,à nobis fundatæ, in magnâ Nili » ripâ, anno duodecimo Regnorum noſtrorum; » arridentibus magnis Dijs Ioue, Marte, Plutone, » & Mineruâ. Teſtes donationis huius ſunt, No- » bilis Athleta Theſaurarius noſter, & vndecim » Principes, quos (decedentibus nobis abſque » liberis). Succeſſores noſtros conſtituimus. Hæc » ille pro virtute præmia,quem vtinam & moderni Reges imitarentur,huius inclytæ gentis Viros ac Heroas,debitis eorum virtuti ac fidei honoribus proſequentes.

Alexandro Magno in ipſo ætatis flore,anno ſecundo ſcilicet ſuprà trigeſimum expleto,ex hac vitâ decedente, & vt res humanæ viciſſitudinibus variantur,cum bellicâ virtute Orbis parte majori ſubactâ,imperio diuinos æquare vellet honores, præter ſpem è viuis ſublato: Regnum Macedonicum celeberrimis amplificatum Vrbibus,Regnis,ac Prouincijs, intrà annos aliquot, tot,ac tantis bellorum tumultibus labefactatum eſt, vt per diuerſa Procerum ſtudia,& inteſtinas factiones, dùm quiſque ſibi Imperij dignitatem vendicare ambit,penè interierit: vt luculenter appareat,quantùm interſit prudentis atque magnanimi Principis Imperium ſuſtinere. Liberati igitur Illyrij Imperio Alexandri,belli atque amplificandi Regni cupidi,quamuis cum alijs etiam nationibus ſigna ſæpiùs contulerint (eâ quippè tempeſtate,inquit Polybius, Illyrij non aliquorum,ſed communes omnium hoſtes erant) cum Romanis tamen poſteà præcipua geſſère prælia; adeò,vt Appianus dicat: Quemadmodum autem » ſub imperium illos adegerint Romani, cùm de Celtis ſcribere- » mus,præfati ſumus, minimè nos abundè cognouiſſe, neque » bellorum principia aut occaſiones percepiſſe. Nos tamen quan- » tùm apud alios Hiſtoricos deprehendere licuit, eorum geſta, & variantem fortunæ ſucceſſum narrare progrediemur.

Illyrij & innatâ generoſitate,& potentiâ,quam ſub Alexan-

dro

dro conſecuti fuerant, elati, incuſſo Romanis terrore ab eorum prælijs per plures annos abſtinuerunt. Nam, vt Orbinus ait, omnibus ſibi obuiantibus occiſis, iam ſparſo Romanorum ſanguine, ebrij, prædis onuſti redierant, & quieuerant, donèc anno ante natum Chriſtum 221. Agro Illyrici Rex contra Ætolos re benè geſtâ, gaudio & ebrietate intra paucos dies conſumptus, regnum Teutæ Reginæ vxori ſuæ reliquit adminiſtrandum. Hæc, ſiuè ob præteritam victoriam faſtu tumens, ſiuè eorum voluntati acquieſcens, quorum conſilijs in Regni gubernatione vtebatur, ſuos contra obuios quoſque pyraticam exercere, non priuatis modò nauigijs, ſed totis etiam claſſibus permittebat. Itâque contigit vt pleroſque qui ex Italiâ nauigabant, damnis atque iniurijs afficerent: maximè autem cùm Phœnicem præcipuam Epiri Vrbem occupatam tenerent, plures ſimùl è claſſe diſcedentes mercatorum Italicorum alios deprædati ſunt, alios trucidârunt; nèc paucos cœpêre viuos, & cum ingenti prædâ ex Phœnice collectâ ſecum abduxerunt. Romani, qui hactenùs querelas ſuorum de Illyriorum iniurijs ſiluerant, tùnc cùm plures ſimùl iniurias in Senatum detuliſſent, Legatos in Illyrium decernunt, Caium, & Lucium Coruncanos, vt vult Polybius, Appianus vnum ſolùm vult fuiſſe Caium, vt de ijs accuratè cognoſcerent. Teuta reuerſis ex Epiro lembis multitudinem prædæ demirata, ad laceſſendos iniurijs Græcos animoſior eſt reddita. Cùm autem Iſſam, quæ Vrbs eſt in Inſula maris Illyrici, obſideret, Romani aduenerunt, qui ad colloquium admiſſi de ſuis iniurijs expoſtulârunt. Teuta, dùm illi verba faciunt, ingentem animi ferociam præſeferre, cùm autem finem dicendi feciſſent, ait;
» curæ ſibi futurum, né qua populo Romano ab Illyrijs publicè fiat
» iniuria: cæterùm vt impediat quò minùs priuatim quam poteſt
» quiſque vtilitatem è mari capiat, hoc verò Regibus in more nequaquam eſſe. Tulit indignè hæc illius verba junior Legatorum, & ſimul: *Romanis*, inquit, *ô Teuta mos eſt, priuatas iniurias publicè perſequi, & iniuriam paſſis opem ferre; itaq; dabimus operam, vt hæc tua inſtituta condemnes.* Eam libertatem tàm iracundè atque impotenter Regina accepit, vt ſpreto gentium jure mitteret, qui Legatos inſecuti, liberioris dicti auctorem ſecuri percuterent, ac præfectos nauium igne abſumerent. Authorum aliqui de numero interfectorum Legatorum diſſentiunt,

alij

alij vnum, vtrumq́ue cum ſocijs alij occiſos volunt. Teuta Regina pro ſua improuidâ ac muliebri ſuperbiâ, nihil cogitans quales ſibi hoſtes in Italiâ peperiſſet, nauales ſuas copias in diuerſas diſtribuit Vrbes, quô animaduerſo Demetrius Præſes, qui ex Agronis adhuc imperio Pharum obtinebat, earum aliquot, quibuſdam eum apud Teutam criminantibus, ſibiq́ue ab illâ metuens, Romanis tradit, cæteraq́ue omnia quæ in poteſtate ſua habebat. Inſuper continuò Senatus conſulto in Dalmaticam expeditionem Cn. Fuluius Centimanus mittitur, qui tractum illum vniuerſum perdomuit, & vt Legatorum manes inferijs placaret, in Principum Dalmatarum colla ſecures ſtrinxit. Vnde Regina metu conſternata, Legatis ad Romanos miſſis, pacem cum illis hiſce conditionibus ſancit, vt tributa quæ ipſi imperarentur quotannis penderet, Illyrico toto præter pauca admodùm loca excederet, & né vltra Liſſum Vrbem maritimam Dyrrachio vicinam, pluribus quàm duobus lembis, ijſq́ue inermibus liceret ei nauigare. His pactis conditionibus, decennium iàm exactum fuerat, quod Illyrij Romanorum poteſtati, prodente eos Demetrio, parebant; qui tamen oblitus beneficiorum, quæ populus Romanus in ipſum contulerat, cùm jam eos contemnere cœpiſſet, & cum Gallis ac Carthaginenſibus, aut cum Celtis Illyrij populis, vt vult Appianus, eos grauiter diſtentos cerneret, minimè ſibi formidabiles arbitratus, ab eis deficit. Vrbes itaq́ue Romanæ ditionis in Illyrico vaſtare cœpit, & in ſuam redigere poteſtatem, atq́ue vltrà Liſſum contra leges pacis quinquaginta lembis nauigare. In eum Romani ineunte vere L. Æmilium in Illyricum cum exercitu mittunt; ipſe ex omni ſubditorum numero ſex millia fortiſſimorum ſeligit, & Phari collocat, ipſe verò Dymalum ſiue Delminium, idoneo præſidio, rebuſq́ue neceſſarijs inſtructum tueri ſtatuit; Sed Conſul adhibitis machinis ſeptimo die expugnauit, profugiente tamen Demetrio ad Philippum Macedoniæ Regem, vbi & vitæ finem eum poſuiſſe tradit Procopius, quamuis Appianus in patriam reuerſum ſcribat. Æmilius Pharum deinde repentino incurſu inuadit, eamq́ue mox captam diruit. Illyrico inſuper vniuerſo in poteſtatem redacto, rebuſq́ue omnibus ex animi ſententiâ compoſitis, affectâ iam æſtate magnificum egit triumphum.

Demortuâ Reginâ Teutâ, in Illyriorum Imperium Gentius

ſuc-

Digitized by Google

ſucceſſit anno 179. vir calliditate ingenij vafer, & pacis impatiens, eodem anno Duronius vir Romanus in Senatu aduerſus eum queſtus eſt, omnes latrocinantium naues, & oram infeſtam habentium eius eſſe, nec Legatis ad eum miſſis conueniendi ſui poteſtatem feciſſe: multis Ciuibus Romanis, & ſocijs Latini nominis in Regno eius factas iniurias, & Ciues Romanos dici Corcyræ retineri. Aderant & à Gentio Legati, orantes, ne confictis in ſe criminibus crederetur, Regem ægrum in intimo Regno Legatis operam dare nequiuiſſe. Senatui omnes, qui detineri dicebantur, quiué de iniurijs quærerentur, Romam adduci placuit, & apud Prætorem Vrbanum diſceptare, nec ante Gentio, eiuſque Legatis reſponſum dari. Intereà verò temporis, Iſtri, in Romanos magnis cladibus & vaſtationibus irrupêre; Manlius, cui cæterùm Gallia decreta fuerat, Iſtrorum aduentum inaudiens, né conſulto quidem Senatu ab Aquileia profectus caſtra aduerſus Iſtros poſuit. Iſtrorum tria fermè armatorum millia, Duce Carmelo, occulto loco, ſub montem, in omnem occaſionem intenti, conſederunt. Albeſcente die, ad primum teporem ſolis, incerta adhuc lux ſpeciem rerum omnium multiplicem intuenti reddens, non ſolùm hoſtem patefecit, ſed multò maiores copias, quàm res ferebat, adeſſe perſuaſit. Ergò territi vtriuſque ſtationis milites ingenti tumultu cùm in caſtra confugiſſent, haud paulò ibi plùs, quàm ſecum ipſi attulerant, terroris fecerunt: nam neque dicere poterant quid fugiſſent, nec percontantibus reddere reſponſum, & clamor in portis, incertaque concurſatio erat; quaſi iam deletæ ſtationes, iam hoſtis in vallo eſſet. Indè ad mare ex caſtris ſeſe Romanorum pars armati, pars maior inermes proripiunt; cùmque eos nec auctoritate, nec precibus Conſul retinere potuiſſet, ipſe quoque caſtris deſertis ad mare profectus eſt, vbi non minor trepidatio pauorque fuit in naues è terrâ proſilientium, & commeatum expoſitum in naues conijcientium. Iſtri tanto Romanorum pauore animaduerſo, ſtatim in caſtra, ſed iam tùm vacua impetum faciunt, ibi paucos qui ad defenſionem caſtrorum ſubſtiterant, obtruncant; inde cùm rerum omnium paratam expoſitamque copiam inueniſſent ad mare, epulari omnes, hoſtium armorumque obliti, affatìm cœperunt, cùm alias pauidos, inermes, diſſipatoſque facili negotio opprimere potuiſſent. Manlius deinde anno inſequenti, principio veris,

in

Digitized by Google

in fines Iſtrorum vlciſcendi causâ rurſum irrupit, vbi cùm effusè popularetur, dolor magis & indignatio Iſtros exciuit, diripi res ſuas cernentes. Concurſu facto iuuentutis, ex omnibus populis repentinus & tumultuarius exercitus, acriùs primo impetu, quàm perſeuerantiùs pugnauit, ad quatuor millia eorum in acie cæſa, cæteri omiſſo bello Neſatium Iſtriæ Vrbem paſſim diffugerunt. Claudius Conſul cum nouo ſuperueniens exercitu, Vrbem circumſedit ac cœpit; duo deinde Oppida, Mutila & Faueria vi capta & deleta; præda ſpe maior militibus tota conceſſa, quinque millia capitum, 632. ſub Corona venierunt. Atque ita Iſtria tota trium Oppidorum excidio, & morte Carmeli Ducis ſuperata eſt, omnes tum deinde vndique populi obſidibus populo Romano datis in deditionem venerunt. Sed vt ad Gentium redeamus; Is ob diuturniorem ſuorum fecialium remiſſionem irritatus, acceptis intereà etiam à Perſeo Macedoniæ Rege trecentis pecuniarum talentis, coniunctioneque animorum ac virium cùm illo ſemper habendâ obligata, M. Perpennam, & L. Petilium Romanorum Legatos, qui tùm fortè ad eum venerant, in cuſtodiam ac vincula coniecit; cauſando non legationis, ſed explorationis causâ eos ad ſe veniſſe. Romani exacerbati animo, ac ſuprà modum indignum rati eam ſibi ſufferendam ignominiam, Anitium Prætorem cùm validiſſimo copiarum exercitu vlciſcendæ iniuriæ causâ in Illyricum misêre. Gentius exiguo tempore quindecim armatorum millia ad Scodram Albaniæ Vrbem & ingenio loci, & arte munitiſſimam, vt totius Regni arcem, ac belli caput contraxerat, eamque viribus omnibus tutari ſtatuit. Sed Gentius ſpe ſemper in Perſei auxilia fretus, ab eodem per ſummam fraudem perfidè deceptus ac deſertus, diuturnæ atque preſſæ Romanorum obſidioni tandem cedere coactus eſt, Anitijque in poteſtatem, expugnatâ per eum Vrbe, venit. Anitius Scodrâ vnà cum Rege, ſummâ cum nominis ſui gloriâ ac celebritate in poteſtatem redacto, Legatos in vincula coniectos ad ſe adduci juſſit, quibus ſplendore ſuo reſtituto, Perpennam extemplò mittit ad comprehendendos amicos cognatoſque Regis, inter quos vxor, frater, ac filij reperti; eundem deindè victoriæ nuncium Romam miſit; ac paucos poſt dies Gentium ipſum cum coniuge, fratre, liberis, alijſque Principibus captis Illyriorum: demùm Scodræ præſidio impoſito, cæteris etiam

Vrbibus Præfectis conſtitutis, quinque Româ nouos accepit Legatos. Euocatis ex tota deinde Prouincia Optimatibus conuentum habent, vbi è ſententia Concilij pro tribunali Anitius pronunciat Senatum populumque Romanum Illyrios eſſe liberos jubere, tributum, quod Regi ante pendiſſent, eius dimidium Romanis ſoluere. Indè in tres partes Illyricum diuiſit, quarum ſua quæque gens commune Concilium haberet. At Romani interim Gentium cum ſuis Spoletium Ciuitatem Vmbriæ in cuſtodiam, cæteris eius Principibus Romæ detentis tranſmiſêre. Hæc Gentij clades Perſeo quoque exitium ac perniciem, violatæque fidei, cæteris gentibus documento pœnam attulit. Nam Romanus exercitus ſuperato Gentio victoriâ elatus, mox in Perſeum arma conuertit, & collatis ſignis Duce Æmilio Paulo Conſule, Perſeus viginti millibus ſuorum cœſis, ac vndecim captis, miſerabili prorſus prælio fuſus eſt; hinc Vrbem ſuam Pidnam, tùm Pellam Macedoniæ regiam aduenerat, ſed terrore perculſus ijſdem Vrbibus deſertis & amiſſis in Samothraciam tandem cum duobus talentûm millibus fugâ delatus ſalutem quæſiuit. Verùm inſequentibus eum Romanis ſpe euadendi deiectâ hoc vnum priuatis obtinuit literis, vt aliqui ad ſe mitterentur cum quibus de rebus ſuis agere liceret; nihil tamen cum ijſdem perfectum eſt, Perſeq regium nomen tenaciter retinente, Paulo è contrario renitente, vt ſe, ſuaque omnia fidei ac clementiæ populi Romani permitteret. Perſeus fugâ denuò elabi conatus, nec vllam euadendi opportunitatem nactus, Prætori Octauio ſeſe cum Philippo filio dedidit. Is ipſum in prætoriam nauim cum filio imponi iuſſum ac pecuniâ, quæ apud Regem inuenta eſt, extemplò deduxit Amphipolim. Indè Octauius Regem ad Conſulem miſit in caſtra, vbi honorificè ab Æmilio, omnibus ad id ſpectaculum confluentibus, exceptus eſt, & ad ſpem bonam de Romana clementiâ erectus, Q. Ælio ſeruandus traditur; Romam deindè cum Gentio miſſus ante victoris Æmilij Anitijque currum pro triumpho ductus, poſteà Albam remiſſus, deprecante Æmilio pro carcere in liberâ cuſtodiâ tentus eſt, & ad cumulum malorum eius inediâ vltrò conſumptus. Hic finis belli cum Perſeo, idemque finis Regni Macedonici cum quadriennium totum pugnatum eſſet, duraſſetque ab Alexandri Magni obitu annis 156. Sed ad Illyrios ſermo reuocetur.

Dalmatæ,

Dalmatæ, qui in Scodræ Vrbis defenſione, Regiſque capti amiſſione ob exigui temporis moram adeſſe non poterant, vbi reliquos Illyrici populos Romanis adhæſiſſe, imò eis ſeſe ſubieciſſe viderunt; eoſdem hoſtilibus armis inuasêre, grauiſſimaque damna intulêre. hi Romanis, quos iam in Protectores admiſerant, de Dalmatarum populationibus queſti, Caium Fannium Conſulem ad diſſenſiones inter eos componendas impetrauêre; at Fannius longo fruſtrà fatigatus itinere aliud nihil Senatui retulit, quàm Dalmatas neque ſatisfacere ijs voluiſſe, quos plurimis intereà cladibus affecerant, neq; aures ſibi præbere, vt qui dicerent nihil ſibi cum Romanis eſſe commune; & non ſolùm nulla ſibi hoſpitij ac humanitatis officia exhibita, verùm equos etiam ademptos, ac plurimas illatas iniurias, vim demùm timentem ſilentio ſe eorum finibus excedere coactum. Hâc à Dalmatis acceptâ ſui Conſulis repulsâ, Romani aduerſus illos arma M. Figulo Conſule ducente expediuêre; at hi Figulo quàmprimùm inferente copias, eas aggreſſi ſuperauerunt, ac primam Figuli impreſſionem ita fregêre, vt ad Naronem vſque fluuium fugientes perſequerentur. Indè porrò incompoſitè reuertentes Conſul inuadens in fugam vertit, & ad Vrbem vſq; Delminium compulit. Ea plurium dierum ſpatio ſine fructu obſeſſa, cùm ſe operam perdere animaduerteret, bicubitales demùm ſudes pice ac ſulphure ſtuppâque componens ex catapultis iacit in Oppidum, quæ ab impetu ſuccenſæ quæcunque attigiſſent, igne corripiebant. Ea res multùm vexauit Dalmatas, nec tamen ad deditionem ad annum vſque ſequentem Conſule Naſicâ bellum vrgente compulſi ſunt, à quo & belli finis impoſitus, Dalmatis legibus libertateque ſuâ viuere permiſſis. Annis deinde pluribus ſine motibus ſub poteſtate Romanorum quieuêre Illyrij, tametſi poſt Figulum ſtatìm Cæcilius Metellus Conſulatum adeptus fuerit, & Dalmatis triumphandi libidine nihil illis delinquentibus bellum intulerit, nihil tamen eo bello aut ſibi laudis peperiſſe, aut Dalmatis damni commemoratur intuliſſe.

Porrò Caius Julius Cæſar, anno ante Chriſtum natum quadrageſimo ſeptimo Romani Imperij gubernacula ſuſcipiens, Liburnos Illyriorum gentem in poteſtate habuit; ſed Dalmatæ cùm proſperè rem geſſiſſe aduerſus Figulum ſeſe arbitrati fuiſſent, Promonam Liburnorum Vrbem vi captam abſtulêre. Cæſar

ad eos Legatos miſit, hortatuſque eſt, vt qui Promonam eripuiſſent, Liburnis reſtituerent; deſpicientibus verò illis mandata exequi exercitum ingentem intulit, qui tamen à Dalmatis acriter reſiſtentibus fuſus oppreſſuſque fuit. Cæſar curis præpeditus inſtante Pompeianorum ſeditione, cùm iam ad bellum inclinaret, nihil vlteriùs molitus eſt. Sed Gabinius cùm cohortes peditum quinque ſupra decem, equitum verò tria millia per Illyricum ad Cæſarem adducere tentaret, Dalmatæ timore eorum quæ paulò ante in Cæſarem egiſſent, cùm victoriam eius internecionem rebus ſuis allaturam arbitrarentur, Gabinio excepto pauciſque cum illo fugientibus, ad vnum interemêre omnes, magnamque ob hoc pecuniarum copiam, ſpoliaque innumera obtinuêre. Hæc Cæſar ob belli cum Pompeio neceſſitatem diſſimulantèr ferre cogebatur, deuicto deindè Pompeio, Aſinium cum tribus peditum legionibus, magnoque equitatu ad eos mittit, qui in iura Romani Imperij eos cogant; tributa imponant, & ob præteritas illatas iniurias obſides depoſcant. Sublato interim è viuis, execrandâ & indignâ cæde, Cæſare Imperatorum omnium gloria, rati Dalmatæ Romanorum res vt in illo potiſſimùm vires habuiſſent, ità funeſtâ eius morte extinctum penitùs iri, Aſinio parere recusârunt, neque tributa, aut obſides conferre voluerunt; quin potiùs motis in eum armis copias omnes deleuêre, Duce eorum Bebio acriter dimicante acie interempto, & Aſinio Epidaurum fugâ delato.

Geſta Illyriorũ poſt Chriſtum natum.

Adeſt iam placationis & miſerationis Diuinæ annus, quô vniuerſo terrarum orbe in ſummâ conſtituto pace, Princeps pacis, qui ab æterno de humano genere cogitationes pacis & non afflictionis in mente habuit, humanâ carne veſtitus, è Virgine naſcitur: decuit ſiquidem Authorem pacis, qui ruptum inter DEVM & homines concordiæ fœdus, redintegrare venerat, pacatiſſimo ſeculi tempore procreari; quo moderator Auguſtus Iulij Cæſaris ſucceſſor, tanta duodecim annis circa tempus Dominicæ Natiuitatis pace regnauit, vt bellis toto orbe ſopitis Prophetæ præſagium ad literam videatur impleuiſſe; Senatuique Romano maieſtas, Legibus vigor, auctoritas Iudicijs, populis demùm ſubiectis tranquillitas ſumma, ſecuritaſque parta refloruerit. Itaque non niſi ſexto æræ Chriſtianæ anno, tumultus iterùm in Illyrio cœpêre: Dalmatæ ſiquidem eo victoriæ

Iſaiæ 2.

ſucceſſu

ſucceſſu elati, quo Cæſaris legiones proſtrauerant, ad maiora animos conſiliaque erexêre; proindè cum Sclauis ſub Duce Marobaduo & cum Pannonibus belli ſocietate initâ, ac palàm bello Romanis indicto, octo centena hominum millia, vt Velleius lib. 2. affirmat, in caſtris numerauêre; è quibus vniuerſis ducenta peditum, nouem verò equitum millia armis promptiora ſelegerunt, quibus Batho & Pineus peritiſſimi bellorum, ſupremi copiarum Duces imperarent: in tres deindè exercitus legiones omnes diſtributæ, quorum vnus Romanos, alter Macedoniam ijs ſubiectam, infeſtis armis diuexaret, tertius patriæ tutamento præſidioque foret. Et quidem Pineus Macedoniam ingreſſus, eam omnem ferro flammâque incineratam in vaſtæ cuiuſdam ſolitudinis ſpeciem reddidit; Batho verò, non ſolùm Ciues Latini nominis ac Mercatores, verùm obuios quoſque gladio ſubmittens, eum Auguſto terrorem intulit, vt is conuocato Senatu, ni eueſtigio Romanæ Vrbi præſidio ſuccurratur, intra diem decimum eam hoſtem acceſſurum aſſeruerit. Non parùm Romanos hæc percelluit fama, quare Tiberij poteſtati (qui poſt Auguſtum imperauit) triginta legiones in prælium excitæ traduntur, atque is in mandatis accipit, vt coniunctis vltra Marinis Cecinnæ, & Syluani Plancij viri Conſularis, ac Metalci quoque Thraciæ Regis ingentibus copijs, nullâ interpoſitâ morâ, Illyrico Exercitui obuiam proficiſcatur. Illyrij vbi auxiliares ſuppetias aduentare cognouerunt, ac Thraciæ Regi potiſſimùm indignati, quod ſociâ gente deſertâ alienæ poteſtati ſubeſſe mallet, eas antequàm cum Romanis copijs coniungerentur, aggrediendas arbitrati, adoriuntur. Itaque celeritate fortunam auxêre, & parte exercitus Romani deprehensâ, acre cum ea contrahunt certamen, diu vtrinque fortiſſimè præliantibus, tandem ab Illyrijs victoria ſtetit, quinque Romanorum deletis legionibus; ex quo regreſſi prælio, aduentanti Metalco occurrunt, & Martio pleni feruore equitatum eius opprimunt. Tiberius cruentâ ſuorum clade intellectâ, mirùm quantùm indoluit, tùm ob perpeſſam nominis ſui jacturam, tùm ob miſerandum fortiſſimorum militum interitum, ac tantis ſuorum conciſis agminibus honore mulctatus remeauit.

Quarè Auguſtus Cæſar armorum felicitate cæterùm famâ præclarus, cum inter loquendum M. Antonij inertiam Senatui

expli-

Digitized by Google

explicuiſſet, Illyricam Gentem præ cæteris bellicoſiſſimam, & ſe moleſtiſſimè ſæpè numero infeſtantem, teſte Appiano affirmauit. Vndè mirari ſatis nequeo impudentiam ac ruſticitatem Petri Opmeri Bataui, qui non ita pridem opere Chronographico Orbis vniuerſi in lucem edito, Sclauos Illyrij populos ſordidum ac fœdum genus hominum, imò fæcem omnium hominum auſus ſit ſordidiſſimo ac fœdiſſimo ore, & velut fœx omnium Scriptorum compellare; etenim ſi quampiam vel vmbratilem ſuorum proiectorum adieciſſet cauſam, æquiori prorsùs animo prudens Lector tantam toleraret calumniam; at nullâ penitùs appoſitâ ratione, nullâ populi aut morum deſcriptione præuiâ, ob quæ id dixiſſe videri potuiſſet, tàm petulantes tamen ac modeſto Scriptore (qualis Hiſtoricus omnis eſſe debet) indignas effutire voces, petulantiſſimi omninò genij ac pectoris eſt indicium.

Digreſſio aduerſus Petrum Opnerum.

Quæ verò, aut de Pannonia, aut Illyrici partibus in eodem opere ſcripſit, ad cumulum infruniti animi inſcitiam adijciens adeò imperitè, ac è vulgi tantùm collecta rumoribus, atque eadem plùs quàm Laconicè perſtrinxit, vt nec hiſtoriam, quam dicere velit, ſatis aſſequaris, nec locorum perſonarumuè nomina tenuerit. Accipe candide Lector vnum è reliquis ignorantiæ argumentum, & ex eo cætera conijce, vbi Tomo 2. operis à Laurentio Bayerlinck continuato Caniſam Europæ decantatâ, Styriæ Oppidum ſcribit eſſe. Sed his prætermiſſis, quale genus hominum Sclaui fuerint, & Alexandri Magni priuilegium, & vniuerſi veteres probatiſſimiq; Authores, ea demùm omnia quæ hoc opere noſtro, ſummâ quâ potuimus veritate, poſterorum memoriæ tradidimus, luculento ſunt teſtimonio; quorum illos ſi Opmerus legit, peruicacē ſuam declarauit dementiam, ſi non legit, cùm publicus eſſe velit Scriptor, turpem ignorantiam. Verùm ſordibus eius mundicies ſcriptionis noſtræ vltrà maculanda non eſt.

Illyrij incineratâ Macedoniâ, cœſiſque Romanis atq; Thracibus, ampliſſimis onuſti prædis, vnà cum Pannonijs in Sedes ſuas dilapſi, reuertuntur, & annis pluribus pace fruuntur; donec Tiberius Auguſto in Imperium ſuccedens, præteritæ non immemor cladis atque ignominiæ, moto in Illyrios, Pannonioſque bello, omni potentiâ atque crudelitate in eoſdem ſæuijt: tametſi enim primis adminiſtrationis ſuæ annis optimi Principis, & ab omni faſtu alieniſſimi ſpecimen dederit, in eam tamen

rabiem,

rabiem atque tyrannidem, humanæ quaſi naturæ expers, commutatus fuerat, vt ſæuiſſimos quoſque crudelitate ſuperauerit. Nam teſte Suetonio nullus à pœna hominum ceſſauit dies, nè religioſus quidem aut ſacer; imò quòd mirêre, decreta accuſatoribus præcipua præmia, etiam teſtibus; & interdictum ab eo, nè capite damnatos propinqui lugerent. Ob quod non immeritò Cornelius Tacitus eum à natura in lucem editum dicebat, vt appareret, quid ſumma vitia in ſumma poteſtate poſſent. Itaque graſſante in Sclauos, Dalmatas, ac Pannonios Tiberio, ac in Thraces L. Piſone, qui omnes per abſentiam Tiberij res nouas moliti fuerant, vtriſque bello ſimul illato, eoque modò hàc, modò illàc tranſlato, vtroſque in ſuam poteſtatem redegit. Verùm Batho potens in Dalmatia Princeps, & victor nuper Exercitus contra Romanos ductor, impatiens Tiberij, ac Romanorum lupinæ feritatis, præfectorum, concitatis ſuis multùm Romanis damni intulit, ac poſt triennium primùm per tranſactionem Tiberio ſeſe dedidit; poſtridiè verò cùm ad eum pro tribunali ſedentem adductus fuiſſet, quærente Tiberio, quid ità deficere ac tantùm temporis repugnare Romanis ſtatuiſſet? Vos, reſpondit Batho, in culpa eſtis ipſi, qui ad veſtros greges cuſtodiendos, non canes, paſtoreſué, ſed lupos mittitis. Atque ita Dalmatia pacificatione demùm ad Romanos redijt, reliquis Illyriorum populis ſub Imperio conſeruatis, licet ſæpiùs in libertatem innatam enitentibus, donec anno Virginei partus ducenteſimo quinquageſimo quarto, vniuerſo omninò ſubacto Illyrico id in certas diuiſerunt Prouincias, vt Orbinus ſcribit. Eam nos diuiſionem hoc loci, vtpotè vetuſtam nimis, ac minùs neceſſariam, prætermittentes, aliam ſub Budimerio Catholico Illyrici populorum Rege factam opportunè ſubnectimus, his, quæ Illyrij gentilitatis tenebris inuoluti geſſêre, primum hunc librum concludentes.

Admonet proindè hic locus, cùm aliàs opportuniorem vix habituri ſimus, exactam horum Regnorum magnitudinis, limitum, Comitatuum vt vulgari voce dicam, ac aliarum rerum ad pleniorem deinceps Hiſtoriæ cognitionem conſequendam ſcitu neceſſariarum notitiam ſubijcere, quam ex probatiſsimis Authoribus, ac obſeruatione quoque noſtra deſumpſimus. Ac imprimis illud obſeruandum, nos initio huius libri abundè magnitu-

dinem

dinem Illyrij latiſſimè ſumpti poſuiſſe, attamen magis propriè nouem cenſeri Regna, quæ Illyrij appellatione, velut communi ac generali nomine intelliguntur; nempè Dalmatiam, Croatiam, Sclauoniam, Boſnam ſeu Mœſiam ſiue Ramam, Bulgariam Seruiam, ſeu Galliciam, Raſciam ſeu Thraciam, Dardaniam, & Epirum ſeu Albaniam, quibus adnumerari poteſt Lyburniæ Prouincia olim ad Croatiam pertinens, quemadmodum & Iſtria ad Dalmatiam: Sanè Orbinus & Ranzanus Sclauoniæ nomen Generale eſſe volunt, eò quòd lingua gentis huius latiſsimè omnium aliarum pateat, quippè quæ à mari Adriatico ad Oceanum Septentrionalem extenditur, nam præter ipſos Sclauos eâ vtuntur Dalmatæ, Croatæ, Boſnenſes, Bulgari, Thraces, Iſtrij, Morauí, Bohemi, Albani, Poloni, Luſatij, Sileſij, Lithuani, Prutheni, Moſcouitæ, Ruſsi, Pruſsi, Scandinauiæ incolæ, & aliæ Regiones Conſtantinopolim vſque, adeò, vt eius etiam vſus inter Turcas ſit, nec ibidem dignus honore putetur, qui eam ignoret. Quare Ranzanus in Epitome rerum Hungaricarum Indice primo: » *Ea Regio*, inquit, *hoc ſibi claritudinis vendicauit, vt ab ipſa nomen* » *acceperit vniuerſa Dalmatia cum ſibi conterminis Illyride atq;* » *Liburniâ, quæ vno vocabulo ab omnibus penè nationibus vulgò ita* » *vocitantur, qui verò ipſas tenent, Sclauones.* Verùm nos Illyrij nomine potiùs vtimur, velut apud omnes penè Hiſtoricos vſitatiori; nunc ſingillatim percurrentes, à Sclauonia ordiamur.

Deſcriptio Sclauoniæ ac eiꝰ partium.

Duplicem eius nominis originem haberi maiores tradidêre, quidam enim Savoniam abſque literis L. & C. à Savo fluvio denominandam autumant, ac Savones non Sclavones dicendos eſſe, ut Ranzanus adnotavit; alij Szlaunos non Slavos appellari volunt, à voce proprij idiomatis Szlava, quod gloria interpretatur, à quâ denominatione Szlauni populi id eſt glorioſi, & Provinciam Szlaunſam quaſi glorioſam appellandam eſſe; ob quam etiam cauſam Martem alteram virtutis gloriam, cùm prima ingenio ſit excellere, inſignibus præfert. Utramque hanc etymologiæ deductionem veram arbitror, ac genti ipſi conſonam, quam Valeriam olim à Valeria Meſſala Corvino appellatam Bonſinius tradit. Ea porrò regio celeberrimis duobus ijſque navigabilibus fluminibus clauditur Savo & Dravo juxta omnes authores, Iſthuanffio excepto, qui 2. lib. circa initium Hunnâ fluvio à Croatia dividi contendit, verùm id quâ ratione dixerit,

non

non ſatis aſſequor, cùm neq; juxta modernam vulgi diviſionem id verum ſit, quòd à Dravo Colapim uſque Sclavoniam protendit; neque vllibi Hunna Sclavoniam contingit, præter exiguum ſinum propè Dubiciam arcem vbi Savo commiſcetur; quod pro totius Regni limite ſtatui nequaquam poteſt. Verùm unum illud hîc opponi poſſe videtur, quòd ſi Sclavonia intra Savum Dravumque continetur, quorſum Siſcium cis Savum locatum adnumerandum erit? Sed Siſcium Romanis Scriptoribus Inſula Segeſtica, ac belli horreum Appiano appellatum fuit, Savo, Colapi, atque Odrâ in trianguli figuram circumfluentibus concluſa. Tametſi autem medium inter Savum ac Colapim obtineat locum, Sclavoniæ tamen ſemper, etiam veteribus, portio cenſebatur. Longitudo Sclavoniæ ab oppido & arce Vinicenſi, à parte læva uſque ad Dravi cum Danubio confluentem ad Valconem arcem, continet milliaria germanica 70. à parte verò dextra uſque ad Belgradum, qua Sirmium includitur, ubi Savus Danubio commiſcetur 80. Idem quippè de Sirmio dicendum, quod ſupra de Sciſcio adnotavimus, cuius tametſi partem aliquã Danubius alluat, Sclavoniæ tamen portio adnumeratur, quæ ultimò ſuos ad Belgradum fines conſtituit. Latitudo ab oppido Caproncià uſque ad limites Styriam Carniolamque verſus Szőſzediæ arcis, quos Savus cum minore amne Suttla efficit, per milliaria germanica 15. protenditur; quamuis olim Ciliæ Comitatus latitudinem Sclavoniæ, in qua continebatur, qui & Marchia Sclauonica appellabatur clauſerit. Sclavonia in novem Provincias ſeu Comitatus amplos omninò dividebatur, primus à finibus Hungariæ Dravo diviſis, qui Szaladienſis eſt Comitatus (tametſi & is iuriſdictioni Epiſcopi Zagrabienſis ſubiaceat, ac eidem Eccleſiæ Decimas obligetur) initium ſumit, Varaſdienſis dictus ab Arce atque Oppido, vallo foſſaque ſat validis ac firmis, niſi extrema Civium incuria vrbecula ſqualleret. Hunc per longum porrecto itinere, Zagrabienſis ſequitur hodie patentiſſimus, quippè ad mare uſque Adriaticum deductus, bifariam olim diviſus; pars enim montibus intercluſa Zagoriæ Comitatus appellabatur, qua verò planitie funditur Turopolia etiamnùm nomine retento nuncupatur. Zagoriæ ſedes Arx cum Oppido Crapina fuit, Chehy ac Lehy fratrum virorum in Regno potentium natale domicilium, qui ob

Digitized by Google

Civiles diſcordias, ut rara eſt concordia fratrum, inde rece-dentes alias ſibi quæſivêre ſedes; quorum ille eam terræ portio-nem quæ nunc Bohemia dicitur, hic verò Poloniam occupavit: Regiones deinde ac populos à ſe ipſis ille Chehios id eſt Bohemos, hic Lengelos hoc eſt Polonos denominatos voluêre, ut fusè tra-dit Ablavius in annalibus Bohemorum. Staniſlaus verò Ho-zius Cardinalis, eruditiſſimus Poloniæ Antiſtes, Patriam lin-guamque Sclavonicam pro matre agnoſcens, in Dialogo de ſa-cro miſſæ officio, ita loquitur. Quamlibet autem nos „ipſos amemus, tamen illud fateamur neceſſe eſt, Sclavorum „aut Dalmatarum linguam eſſe multò elegantiorem, quam „ſit noſtra. Ita ut ſi precationes & ſacras lectiones in ver-„naculam transferri linguam oporteat, in eam potiſ-„ſimùm transferendæ ſint, à qua noſtra duxit originem, quæ „præſtat. Hæc ille. Porrò Prouincia hæc nomen à loco Epiſcopa-li ſede celebri accepit, cui collis Græcenſis appellatus ad occi-duum ſolem oppoſitus vrbe ſuperimpoſitâ inſignis, à meridie vbere glebâ amœnâque planitie, quàm Savus allabitur; ab orien-te pulcherrimis vinetis egregio vino abundantibus, vallibuſque, torrentibus minoribus intercurrentibus, jucundiſſimus adiacet, ipſe porrò locus à hauriendo quod Sclavonicum nomen ſonat, Zagrabi, & ut Bonfinius ſcribit à rerum abundantia per Antiſti-chon, ſolique vbertate nuncupatur. Porrigitur deindè ab amne Sutla Ciliæ Provincia, Sclavoniæ olim pars, quippè inter Savum ac Dravum collocata, ob quam cauſam Bani horum Regnorum Ciliæ Comites habebantur, ut ſequentibus patebit Libris. Quâ verô ratione à Sclavoniâ hic tractus ſit avulſus, Styriæque adie-ctus, nondùm nobis innotuit. Varaſdino ad lævam Martin-iancium oppidum ſitum eſt, à quo deindè Criſienſis Provincia longè latèque protenſa diffunditur, à Civitate huius nominis ap-pellata olim ampliſſima, & Comitiorum frequentiâ, quibus Reges quoque Hungariæ intererant, celebri. Eſt in hoc Tra-ctu arx atque oppidum Chaſma, quinis decoratum ſat eleganti-bus Eccleſijs, Epiſcopi Zagrabienſis olim Sedes atque habitatio-nis locus, in quo deindè STEPHANVS II. Collegium duode-cim Canonicorum, amplis ex bonis Eccleſiæ ſuæ, attributis redi-tib⁹, eximiâ piæ liberalitatis cōmendatione, patriæ ornamento, ac poſterorum bono fundavit & extruxit. Huic adiacet Comi-

tatus

Digitized by Google

tatus Veruciæ ab arce & oppido muro cincto, ac libertatibus Regum donato denominatus, cuius titulum Epiſcopus Zagrabienſis inſtar aliorum Hungariæ Antiſtitum ſemper geſſit, ut diploma Regium ipſi datum teſtatur; oppidum peculium Regis erat, arx verò Comitum Banffiorum; locus Comitiorum honore ac Vladiſlai Regis præſentiâ celebratus. Finito Veruciæ Tractu, Poſeganus initium ſumit, qui, ut Ranzanus accuratiſſimus locorum obſeruator notat, intra Savum Dravumque amplè diffuſus iacet; arce atque oppido eiuſdem nominis arte ac naturâ munitiſſimis, & Capituli olìm Collegiati honore gloriatur. Szygethum quoque famoſum illud Sclavoniæ propugnaculum in ſe continens, perenni famâ, barbaricarum legionum in ſui defenſione virtute Zriniana deletarum, celebratiſſimum. Eam vnam huius terræ portionis inſignem à maioribus accepimus laudem, quòd Evangelica illa terra eſſet, quæ ex modicâ in tellurem iactâ ſemente, centeſimum referret fructum. Iſtuanffius lib. 13. fol. 211. Pannoniæ hunc Tractum adijcit, Garauicio monte à Sclavonia diſterminari aſſerens; verùm hæc quomodo cum ijs, quæ lib. 8. fol. 122. dixerat, cohæreant, non ſatis aſſequor. Ponè inſequitur Comitatus Valconienſis ſeu Valponienſis, eam enim arx atque oppidum tractui denominationem indidit. Claudit regionem Comitatus ac ſimùl Ducatus Syrmienſis, vbertate glebæ, ac generoſi vini copiâ præſtans; huic caput eſt oppidum Wylachum, atque arx in edita montis crepidine locata, quæ medium regionis locum obtinent; olìm verò à Syrmio veteri oppido, quod Syrmus Triballorum Rex condiderat, denominatus.

Hæc ex probatis Hyſtoriarum authoritatibus, ac Tabula præſertìm Geographica Ioannis Bléù, accuratiſſimè ordinata, deprompta, precium veritatis habent; ex quibus perſpicuè intelligi poteſt, quàm falſus, nulloque nixus fundamento Legum Hungariæ codicis catalogus ſit, qui tres tantùm primos Sclavoniæ attribuit Comitatus, poſteriores Hungariæ adnumerando, in quo & Stephanus Brodericus noſtræ cæterùm gentis ſcriptor erravit.

Sclavoniæ Croatia juncta eſt, Bonſinio Dalmatiæ pars, à

Deſcriptio Croatiæ ac eius partium.

Corvino Meſſala eam ſubiugante appellata, vndè & Corvatia veteribus dicta fuit, alma virorum in armis quaſi natorum procreatrix, terræ fœcunditate qua campis funditur (cùm pars altera præruptis & inaceſſis montium ac petrarum crepidinibus referta ſit:) amniumque frequentia nobilis; tota enim regio velut artificio quodam latis, atque variorum piſcium feracibus fluvijs exornatur, quales præcipui Colapis, Hunna, Cetina, Mreſnicia, Coranicia, Dobra, atque Kerka. Eam regionem à Savo initium ſumere veteribus placet. Hinc Ranzanus: *Quidquid agrorum eſt, inquit, trans Sauum, per quos fit iter Italiam verſus, Croátiam nominant.* Hic author initium quidem, ſed minimè fines regionis conſtituit; ſed nec illud appoſitè, per quos fit iter Italiam verſus. neque enim ad occidentalem ſolùm plagam, qua Italia noſtris eſt, verùm & ad meridionalem quoq; Croatia ſituatur; quare abſque ijs vocibus dixiſſe potuerat, quidquid agrorum trans Savum eſt Croatiam nominari. Aliter Iovius, qui lib: 13. & initium & limites ſtatuit: *Introrſus,* inquit, *Sauus flumen ex Carnicis alpibus per Illyricos placido curſu effuſus, ſimùl Cetina & Hunna minores amnes prouinciam claudunt.* Sed meliùs his Ioannes Blëu in Tabula Geographica fluuio Kerka terminari ponit, qui deindè per Dalmatiam decurrens in mare devoluitur. Undè Croátia 60. noſtratum milliaribus in longitudinem protenditur, à Savo Sumzediæ arci ſubiecto Tinninium vſque, vrbem Epiſcopali Sede nobilem, ac validis cinctam mœnibus Kerkæ fluuio adiacentem. Latitudo verò 20. milliarium ſpatium continet, ab Hunna Coſtaniciæ Dubiciæque ſubiecta vſque ad mare Adriaticum, ſivè Segniam mari incumbentem, tametſi & ipſa cum limitibns ſibi ſubiacentibus latitudinem regionis terminet. In quot porrò Comitatus veteres Croatiam partiverant, nondùm compertum accepimus, eorum quos cognitos habemus notitiâ, cæteros contentos cupimus. Atquè à Savo progrediendo Modruſienſis occurrit ſupra 15. Germanica milliaria in longitudinem protenſus; deindè Segnienſis, ac poſt eum Cetinenſis, quorũ omnium titulũ Frangepani Comites non ſolũ perpetui, ſed etiã ſupremi ſemper habuêre; ac Modruſæ quidẽ vrbis Epiſcopali throno decoratæ mœniorũ rudera quibus cincta fuerat, etiamnùm politi lapidis artificia ſpectantibus exhibent. Corbauiæ deindè, atque Licæ, Uduinæque Comitatus

prio-

priorum quaſi latera cingunt, quorum duo priores, eius amplitudinis fuiſſe traduntur, ut 72. in ſe dominia comprehenderint; Carlovitiorum Comitum è Torquata Romanorum progenie oriundorũ vterq; ditioni ſubiectus. Nec minor fama ſpaciovè Cliſſiæ tractus, cuius Comes Mladin⁹ Banus fuerat, de quò 2do. l. fuſius, quanquã is ad Dalmatiã iam ſpectet. Tùm Bihacianus ab ſplendida vrbe atque arce, & Hunna eas fluuio in Inſulæ modũ circumfluente, appellatus. Hoc Regnum celebrius Epiſcoporum ſedib⁹ habetur, quàm Sclavoniæ; deleta enim tyrannide Dacorũ Siſcienſi vrbe, & in Colapim demerſo D. Quirino vltimo eius loci Antiſtite, D. Ladiſlaus Zagrabienſem ſubſtituit, de quo ſuo loco, Syrmienſi in ſuo ſtatu permanente. In Croatia verò ſitus eſt Modruſienſis, qui quod Corbaviæ etiam ſuam habuiſſet habitationem, ſæpiùs Corbavienſis eſt appellatus: deinde Segnienſis, Novienſis, Roſonenſis, ac Tinninienſis.

A Croatia læuam tendendo Myſia, Mœſia ſivè Boſna imminet, à dextera Dalmatia iacet; Sanctiſſimorum Regum ac Rom. Imperatorum fæcunda mater. hæc magnitudine ſua Craotiam ac Sclavoniam exſuperat, de qua plura ſequentibus libris memoratu digna, quàm à Delminia vrbe appellatam quibuſdam placet. Illa in ſuperiorem ac inferiorem dividebatur, quarum prior Servia, poſterior Bulgaria, Bulgaris ac Tribalis eam incolentibus appellata eſt, Ciabro fluvio nobili eas interſecante. Serviæ caput Senderovia, ſeu Samandria eſt, non procùl â Belgrado in Danubij ripa ſita: Bulgariæ Nicopolis à ponte celebris, quem Traianus dùm cùm Getis prælio dimicaturus eſſet, extruxerat. Seruiæ deindè coniuncta eſt Dardania, Macedoniæ parte ab altera confinis, Anchiſis Æneæ patris natale ſolum, & gens Virgilij Pòetæ verſibus celebratiſſima. Sed Boſna ab eiuſdem nominis flumine appellatione ſumpta inter Hunnam, Savum, ac Drinum Bebioſque montes collocata, longitudinem inter duo flumina Hunnam & Drinum exporrectam milliaribus Germanicis 40. habet, latitudinem verò inter Boſnæ fontes ac confluentem Germanicis milliaribus 15. deductam. Eam regionem Sclavi Gotthis expulſis occupaverant, ſed variante concordia ac diſcordia Hungaris ceſſerat. Eius caput Iaicia eſt, arx in edito monte ad ovi ſimilitudinem conſtructa, ad cuius radices vrbs celebris

Pli-

Pliua ac Verbano fluminibus ſepta iacet. Duos Regnum iſtud velut principatus habet, quorum alter Ducatus S. Sabæ, alter Varboſania ſeu noſtrate lingua Herczegovina dictus eſt. Atq; hæc de numero, magnitudine, ac terminis horum Regnorum paucis adnotaſſe ſufficiat, cætera ſi quæ deſiderari poſſunt, ex decurſu Hiſtoriæ ſupplebuntur.

FINIS LIBRI PRIMI.

GE-

Digitized by Google

GEORGII RATTKAY
MEMORIÆ
REGVM,
&
BANORVM
Regnorum
DALMATIÆ, CROATIÆ, ET SCLAVONIÆ,
LIBER SECVNDVS.

ILlyricam Gentem alteram omnium aliarum ab Apoſtolo Paulo Eccleſiæ membrum ſub capite Chriſto effectam; ex actis Apoſtolicis diſcimus; primam ſiquidem Syriam fuiſſe ex eorundem Apoſtolorum actuum cap. 11. conſtat, vbi Barnabas Tarſum profectus dicitur, vt quæ- » reret, inquit Lucas, Saulum, quem cùm inueniſſet perduxit An- » tiochiam, & annum totum conuerſati ſunt ibi in Eccleſia, & » docuerunt turbam multam, ita vt cognominarentur primùm » Antiochiæ Diſcipuli, Chriſtiani. Pertranſeuntes autem Syriæ

Ciui-

Ciuitates, ac Phrygiæ & Galaciæ Regionem, tametſi in Aſiam iter inſtituerint, vetati tamen ſunt à Spiritu Sancto, inquit idem ſacer Textus Cap. 16. Loqui verbum Dei in Aſia, ſed profecti in Myſiam Illyrici Prouinciam, quæ omnium Hiſtoricorum conſenſu nunc Boſna dicitur, eandem Chriſtiana Religione imbuerunt, nec in Bythiniam redire conatos Spiritus Jesu diſcedere permiſit, donec pertranſita Myſia Troadem Vrbem maritimam Antigoniam alijs dictam deſcenderent, vbi mira Paulus viri Macedonis per ſomnium viſa ſpecie, ſe nutu Dei in Macedoniam vocari perſenſit. Porrò etſi Tullius in oratione pro Flacco Myſiam inferioris Aſiæ Regionem eſſe dicat, quia tamen Paulum Spiritus Dei abſolutè in Aſia loqui, teſtante Luca, prohibuit; non hanc proinde Myſiam Aſiæ Prouinciam, ſed aliam Illyrici portionem Pannoniæ vicinam eſſe dicimus, præſertim cum Strabo eoſdem Aſiæ populos vt originem, ita & nomen ab his duxiſſe aſſerat. Quamquam etſi Myſios Illyricanos non conuertiſſet, & Aſiaticam pertranſijſſe Myſiam nemine conuerſo dicatur, vt Scripturæ littera ſonare videtur, quia tamen inde Troadem poſtremam Aſiæ Regionem, ac poſtea Macedoniam venit, Macedoniaque juxta plures, ac præcipuè D. Hieronymum in Illyrico contineatur, vt ex Epiſtola ad Heliodorum in Epitaphio Nepotiani, & Epiſtola ad Geruntiam ſiue Ageruchiam, vbi à Conſtantinopoli vſque ad Alpes Iulias Illyricum producit, conſtat; Alteram Illyrici Gentem à Paulo conuerſam fatendum eſt.

Altera ex gentibus Illyrica à Paulo ad Chriſtum conuerſa.

Diſſeminato Neapoli ac Philippis verbo Dei, Paulus deinde Theſſalonicam clariſſimam Macedoniæ Vrbem præſens acceſſit, & Timotheo, quem ex Aſia ſocium ſibi adſciuerat, ad Irenam Licinij Thraciæ Regis filiam Theſſalonicæ eò temporis commorantem introducente, eo Doctore Chriſtianis inſtituta diſciplinis ex Ethnica fit Chriſti Virgo Timotheo eam ſacris vndis eluente, quæ multis deinde grauibuſque ſubjecta cruciatibus, pro Chriſti nomine ad Virginitatis laureolam Martyrij adiunxit palmam. Eoſdem Paulus Theſſalonicenſes longiore deinde Epiſtola, fidei documenta continente, erudiuit. Hinc & ipſemet Epiſtola ad Romanos teſtatur ſe ab Ieruſalem per circuitum vſque ad Illyricum repleuiſſe Euangelium Chriſti; neque illa verba, *vſq; ad Illyricum*, eo accipienda ſunt ſenſu, vt terminos duntaxat Illyrij attigiſſe intelligatur, ſed quod verè ipſum Illy-

Irena Virgo Illyricana à Paulo conuerſa.

Illyrium pertranſiens Euangelio Chriſti prædicato, eoſdem populos Chriſtianos effecerit, omninò dicendum, vt ex locis Scripturæ ſupra citatis manifeſtum redditur. Vnde & S. Hyeronimus dum ſcribens ad Marcellam, verbum Dei totum vbique fuiſſe docet: verſabatur, inquit, cum Thoma in India, cum Petro Romæ, cum Paulo in Illyrico. Petrus porrò Damianus multò amplius Pauli labores per Illyricum amplians: reſpice, inquit, Paulum totum peruagantem Illyricum, ſuſcitantem mortuos, ſubuertentem templa Deorum. Hoc idem Gregorius Nyſſenus ſermone de S. Stephano, hoc Dorotheus Tyri Epiſcopus, hoc Ioannes Octauus ad Regem Bulgarorum conteſtantur. Quare non exigua ſubit animum admiratio, quod Joannes Tomcus Epiſcopus Boſnæ in Regia Illyricana fœcunditate Romæ Typis Vaticanis edita, Illyricam Gentem primam ab Apoſtolo Paulo Chriſto acquiſitam aſſerat. In vita quippè Irenæ Virginis & Martyris hæc habet: cum æternæ, inquit, benignitatis conſilium » eo tenderet, vt Illyrica Gens amplitudine ſuâ inter omnes alias » Nationes per Aſiam Europamque maxima, prima ex Gentibus » effuſo per Chriſtum ſanguine mercaretur; & quod immediatè » verbis S. Lucæ in actis Apoſtolicis Cap. 16. opponitur, ſubiungit; ſed & vlterius in Myſiam progredi eodem Spiritu obſtante prohibentur. Eadem in vitâ Tryphoniæ Virginis repetit, & authoritatibus SS. Patrum paulò ſupra à nobis recitatis perperàm examinatis, quibus Paulum in Illyrico fuiſſe affirmant, is eò verborum ſenſum protraxit, vt primos à Paulo Illyrij populos conuerſos, ijs verbis affirmari contenderet. Succeſſêre Paulo Lucas Euangeliſta in Dalmaticæ Eccleſiæ cura, Lino Petri Succeſſore teſte, quemedmodum & Titus eodem Apoſtolo ſecunda ad Timotheum atteſtante, ac poſtea Hermes. Ex Petri autem Schola Marcus Evangelicâ clarus hiſtoriâ, in ea parte quam Dalmatiam ſupra mare propè Carnos Stylus Eccleſiæ Romanæ appellat (nos verò Croatiam vocamus) ſuam impendit operam. Domnio Salonarum condidit Eccleſiam, vt alios omittam complures vtriuſque Apoſtoli Alumnos; vt mirum non ſit Illyricos eiuſcemodi Magiſtris primi ſubſellij, tantum in Chriſtiana pietate profeciſſe, quantùm clariſſimorum Heroum agmina in Illyrico, tabulis Eccleſiaſticis atteſtantur.

Serm: de SS. Petro & Paulo.

Verum diuerſis in his Prouincijs imperantibus vti nonnun-

Digitized by Google

quam alia Imperatorum ſuperuenit potentia, ita incolarum plantata à Viris Apoſtolicis fides, nutauit ſæpius: Anno ſiquidem Chriſtianæ ſalutis DXLVII. Strogilus Totilæ frater Illyrici Regno per vim potitus, Myſiam inferiorem, quæ nunc Boſna dicitur ingreſſus, cùm & ipſam breui ſubiugaſſet, in Dalmatiam deſcendit, ac Vrbes maritimas deprædatus eſt; Scardonam Oppidum & Salonas totius Prouinciæ emporium diruit & euertit. His necdum malis ſatiatus, miſit cum parte exercitus filium ſuum Sueioladum ad Dalmatiam Mediterraneam, quæ nunc Croatia dicitur expugnandam, (olim Crouatia vti & Coruati populi, vetuſtioribus verò Scriptoribus Latinis Curetæ dicti, Lucani Poëtæ verſibus celebrati) quo tempore mirum quantum Chriſtiana fides debilitata eſt in Boſna, Dalmatia, & Croatia, quibus eo temporis Sueioladus ſummo cum Imperio præerat Chriſtiano nomini infeſtiſſimus. Strogilus cum Cæſare Juſtiniano interea confligens, prælio victus occubuit, Sueioladus verò anno Imperij ſui duodecimo vita decedens, filio ſuo Selimiro Regnum reliquit, æra Chriſtiana 559. Hic Patri natura ac moribus longè diſſimilis, tametſi & ipſe Gentilis eſſet, omnes tamen ſibi ſubiectos perhumaniter ac perbenignè habebat, Jus ſuum cuique tribuens, neminem lædi permittens, & in exigendis vectigalibus nullum inter Chriſtianos ac Barbaros habens diſcrimen. Quare plerique de cœtu fidelium, qui ob perſecutionem & ſæuitiam Patris dilapſi fuerant rediêre, breuique effectum eſt, vt tota Croatia populoſior fuerit numerata; Selimiro autem, cùm vnum & triginta annos regnaſſet, è viuis ſublato, ſucceſſit Mladinus, anno nimirum Quingenteſimo Nonageſimo, filius mitis admodum, & paternæ manſuetudinis æmulus, qui filium tamen ſuæ probitatis minimè parem, ingenioque auerſum dictum Razimerium progenuit: hic cùm jam adoleuiſſet, cœpit inſoleſcere, & regnante adhuc Patre par in Regno dominium exercere. Fatis concedente Mladino, Regni gubernacula ſuſcepit Razimerius, auitæ humanitatis penitus expers, ac inimico prorſus in Chriſtianos animo. Non pauca Regni Oppida, quæ ab illis habitabantur euertit incolis in ſeruitutem redactis, ſed ijs præcipuè infeſtus, qui maritima Dalmatiæ incolebant loca. Itaque quæ aui, patriſque benignitas coli frequentarique fecerat, vaſta ac deſolata, eius reddidit duritia. Plerique Chriſtianorum late-

Sueiolad9 Rex. *Selimirus Rex.* *Mladinus Rex.* *Razimeri9 Rex.*

latebras ſibi quærebant, ad ſyluarum deſerta,montiumque ſolitudinem ſeſe transferendo,ac vitam miſerè admodum ſuſtinendo,dum ſpem fouent, ſe Deo miſerante meliorē tandem Dominum ſortituros. Neque ea ſpes eos fefellit, quamuis ad quintum vſque Regem dilatus eſt euentus. Etenim haud multò poſt moritur Razimerius abſque liberis,nullaque poſt ſe prole relicta, multis interea pro Chriſti nomine,quibus fides vitâ potior erat; omnia extrema perpeti magis eligentibus, quàm gentilitatis erroribus implicari, occumbentibus. Vnum illud memoria dignum de illo, Aimonius apud Baronium in Annum Sexcenteſimum Quadrageſimum notat, (omiſſo quidem eius nomine; quod tamen in veteri quodam manu ſcripto codice è tenebris à nobis eruto repertum eſt) quod cùm Dagobertus Francorum Rex fecialem ad eum miſiſſet,pro repetendis mercibus, quibuſdam mercatoribus Francis ablatis,dixiſſetque Razimerius expetere ſe Regis Francorum amicitiam, legatus verò reſpondiſſet; non eſſe poſſibile, vt Serui Chriſti cum canibus fœdera jungerent, tum deinde Razimerius repoſuit; *Quandoquidem vos Seruos Dei eſſe profitemini, & nos Canes ſumus; ideò,quæ vos nequiter contra eius geritis voluntatem,vt inutiles famuli,nobis frequenter conceditur,morſibus ipſa vlciſci;* atque ita legatum è conſpectu abjecit. Scitum prorſus à Gentili dictum, quod ſi Chriſtiani noſtri fortius animo ſuo imprimerent, non dubium, quin optimus Deus rabidiſſimi illius Mahometici Canis exacuatos dentes, aut omninò contereret, aut ſaltem magis retunderet. Sublato igitur abſque omni poſteritate Razimerio, diuinâ ita diſponente prouidentia,quintus ab ijs in regnum vocatus, nomine Satimerius,qui omninò abſtinuit à fidelium infeſtatione, atque in omnes partes æquo animo fuit. Eo regnante in publicum prodibant, qui diu latuerant, quique antea metu conterriti, partim à fide defecerant,partim diffugerant,priſtina libertate vſi,ad ſua quæque loca redibant; Ea tempeſtate Vir quidam nomine Conſtantius Theſſalonicus,multa vitæ ſanctitate prædítus viuebat, Philoſophiæ documentis apprimè eruditus; hic diuinitùs inſpiratus, cùm de Theſſalonica ſe tranſtuliſſet, totam ferè Bulgarorum Prouinciam veritatis prædicatione ab erroribus vindicauit; Imperauit hic Satimerius cum Razimerio Tyranno, atq; Mladino optimo cuique amabili annis vno ſupra quinquaginta;

Multi in Croatia Martyres.

Satymerius Rex.

tametſi ignoretur, quot eorum quiſque Imperij tenuerit gubercula, hoc vno ſolum Satimerius præcipuè dolendus, quod necdũ expleto Imperij anno, quod pijſſimè inchoauerat, vitã terminàrit. Sed Dalmatarum Regum nomen & Authoritas, ab eo præſertìm enituit tempore quò inclinato Romano Imperio, & eius reliquijs in oriente vix retentis, vaſtato Illyrico eiuſque præcipua portione Dalmatia, deletis Romanis Præſidijs ſub Heraclio Phocæ ſucceſſore, per Auares, qui Simacato eorum temporum ſcriptore Conſtantinoque Porphirogenito teſtibus, cum Gothis Sclaui ſunt habiti; Heraclij hortatu in ſuos deſolatores armis inſurgentes; Patrio ſolo recuperato, authoritate legibuſque ab Apoſtolica Romana ſede acceptis, hoſtiumque reliquijs per Sacerdotes ab Apoſtolico throno ſubmiſſos ad veram pietatem adductis & ſibi admixtis, Reges ſibi ex ſuis Croatarum Dalmatarumque titulis decorârunt. Quare hoc ipſo anno Satimerio vitâ ac Imperio functo cùm Budimerius vir humanitate, animique manſuetudine & ipſe præclarus, anno inſequenti Diadema ſceptrumque ſuſcepiſſet, Conſtantio viro integerrimo Chriſti religionem edoctus, eam vtriſque amplexus eſt vlnis, fideique ſtatìm lauacro purificatus. Et quoniam literis quoque non parum inſtructus erat, cum Philoſophis alijs incredulis, diſceptatione auſus contendere, nonnullos ex ijs in Chriſtum credere compulit. Erat tunc Summus Eccleſiæ Pontifex Ioannes IV. natione Dalmata, qui per omnem Dalmatiam plurimas miſiſſe pecunias refertur à Baronio, in annum Sexcenteſimum quadrageſimum primum, ad redimendos nimirum captiuos, quos Sclaui Gentiles ſub Razimerio in illas Regiones graſſantes fuerant deprædati Hic Pontifex cum mirifica Conſtantij opera inaudiuiſſet, videre illum cupiens, vt ad ſe veniret, per literas petiuit; Vir igitur ſanctus Conſtantius, cùm interim apud Budimerium credentes in fide confirmaſſet, & authoritate Apoſtolica Presbyteros aliquot ordinaſſet, Romam eſt profectus juſſis Apoſtolicis id poſcentibus, fideles verò, quibus Budimerius præerat interea temporis omnes vno ore laudabant DEVM, & Dominum IESVM Chriſtum qui pro ſalute in ſe credentium ſuſtinuit Crucem. REX porrò quibuſdam Latinæ linguæ peritis negotium dedit, vt coactis in vnum litoralis Dalmatiæ quondam accolis atque habitatoribus, loca oppidaque ſuperio-

Budimerius Rex, & Apoſtolus.

rum

rum Regum impietate diruta ac deſolata reſtaurarent, quò Chriſti nomen longiùs latiùſque diffunderetur. Videbat præterea diuerſos genere, ac lingua permixtos confusè conſtipari, & eos quemque ſuis locis, ſuiſque legibus diſtinguere maturabat. Sed dum ſeniorum ſapientumque Concilio ſuper ea re deliberat, nec quicqam, quid facto opus eſſet, ſatis compertum haberet, legatos Romam ad Summum Eccleſiæ Præſulem, & Conſtantium ad Auguſtum mittit, ab eis rei quam facere decreuerat, conſilium auxiliumque petens, & aliquos de ſapientum numero viros, cum veteribus locorum vrbiumque ſcripturis, Regnique ſui finium atque iurium, qui diſponere omnia ritè edocti ſcirent, & in ſtatum ſuum redigere; quò religionis à ſe populoque ſuo ſuſceptæ fides, rebus rectè conſtitutis, certior atqne diuturnior haberetur; Hac audita legatione Pontifex, & Chriſtianam propagari fidem intelligens, incredibili afficitur gaudio, poſtulataque concedit vltro, & extemplo ad Regem, Cardinales duos, totidemque Epiſcopos ſimùl deſtinat, quibus Tertius Honorius Cardinalis præerat. Aduenienti Regi in campo Cliuna, propè arcem Cliſza Regni Dalmatiæ, cum magno procerum ſuorum Comitatu Apoſtolici hoſpites occurrere, & ab vniuerſis honorificè ſuſcepti, ſunt. Ibi per dies octo Viri Apoſtolici & Cæſarei aliud egerunt nihil niſi vt omnibus perſuaſum eſſet in Chriſtum credere, fidem religionemque propagare, communi omnium ſaluti conſulere, & quidquid deindè Romanæ Sedis authoritate definitum fuiſſet, ratum habere. Per illos deinde Presbyteri conſecrati, fundatæ & erectæ Eccleſiæ, leges rogatæ, & quæcunque nouitijs Chriſtianis neceſſaria erant, plenè perfectèque fuêre conſtituta. Tùm demùm cunctis audientibus, ſcripturæ per dies quatuor lectæ, & prout hæ monebant regiones diuiſæ, metæque finium ſingulæ impoſitæ, ac Iura conſtituta. His peractis Budimerium Regem ſacro Chriſmate delibutum ſanctificauêre, & in dignitate Regia quam iam obtinebat, opportunis benedictionibus confirmauerunt, imponentes reliquis omnibus, vt ſemper dicto eius audientes eſſent, iuſſaque perficerent, & ſuis poſt illum hæredibus pari ſtudio obſequerentur. Tùm Archiepiſcopos duos creauêre, quorum vnum Salonas (cuius quidem vrbis pars maxima erat diruta, & quæque egregia Gothorum immanitate atque ſæuitiâ vaſtationibus deformata) al-

terum

terum verò Dioclea Dalmatiæ vrbes miſerunt; Epiſcopos autem, alios alijs locis præficientes, horum Archiepiſcoporum iuriſdictioni ac regimini ſubiecerunt; Eccleſiarum ædificia, quæ proſtrata iacebant, rurſum ſunt erecta, & ipſorum conſecrationibus ſanctificata, Regis præterea edicto cautum eſt, ne quis illius Eccleſiæ Ius vſurparet, ne quis Clerico iniuriam faceret, ne quis aduerſus Eccleſiaſticam libertatem ire præſumeret; Sed vt omne Clericorum Ius, ac poteſtas Præpoſitorum Eccleſiæ arbitrio definiretur, læſæ Maieſtatis reus eſſet, ſi quis contra auderet attentare. Poſtquam cuncta in ſuum redacta ſunt ſtatum & ordinem, hoc eſt maritima mediteraneaque Dalmatiæ loca, & quæ inter flumina Drauum & Sauum Danubium influentia iacent. Regionemque, quæ à Delminij ruinis uſque ad locum, qui Valdemini appellatur, & ab hoc vſque Dyrachium vrbem Adriatico mari incumbentem protenditur, quam & Boſznam ſtatuerunt ripa Drini fluminis diuiſam à Dalmatia. His itaque ſeparatis Duces deinde conſtituerunt, quos Banos dictos voluerunt, Latini Tribunos vocant. Porrò nomen hoc Ban dictum (meo quidem iudicio) puto à voce proprij idiomatis Boian id eſt timendus, quaſi ille, qui huius eſſet officij ac dignitatis, cæteris ſibi ſubiectis, metuendus ſit, ea ratione, qua apud Raſcianos etiam eiuſdem dignitatis perſona Staroſta, à ſenectute dictus appellabatur. ſub his creati ſunt Centuriones, ita dicti à militum numero, quibus præerant; ſinguli Bani, ſeptem Centurionibus imperitabant, maior natu ex Centurionibus, cum Banis Ius dicebant; Huius Centurionis locum, ac dignitatem, modo Vice Banum tenere credo; Duces verò ad Ius populo dicendum cum quinque Conſiliarijs Prætoribus conſidebant. Inſuper Magiſtratus, officiaque diuidentes, qui Prouinciam regerent, exigerentque Vectigalia, à Ducibus conſtituta, & quæque Regno, plebique expedientia prouiderent. Ita Ludouicus Tubero, qui quamuis plures etiam de rebus Hungaricis ſcripſerit libros, Francofurti poſtea poſt mortem eius Anno milleſimo, ſexcenteſimo tertio, teſte Iſtuanffio in annotationibus manu ſcriptis, editos, hunc tamen de rebus his Illyricis, nulla ætas impreſſum vidit. Et ſane, quamuis diligentiſſime plurima luſtrauerim, in paucorum tamen Banorum nomina incidere potui vſque ad Annum Milleſimum ducenteſimum, decimum ſecundum. Quia verò

Immunitas Eccleſiaſtica in his Regnis.

Origo Banorum.

Bano-

Banorum incidit mentio, plura de ijs annotanda videntur; & imprimis nulli mirum videri debet, olìm plures fuiſſe conſtitutos Banos, nunc verò vnum duntaxat poni, cùm ex primæuo eorum ſtatuto quilibet Banorum, non niſi ſeptem Centurijs præeſſet. In tanta verò populi plurium Regnorum multitudine, plures numerarentur Centuriæ: ſed & poſterioribus temporibus plures eiuſdem Regni Banos ſimùl fuiſſe conſtat, aliquando verò vnum duntaxat, prout nimirum rerum ac temporum ſtatus, perſonarum in officio conſtitutarum virtus, & regionis cuiuſque exigere videbatur conditio, quod id ipſum ex literis Ferdinandi Primi, ad Petrum Kegleuicium Banum datis luculentèr patet, quarum tenorem hic ſubnectimus, quaſque in ſpecie amici cuiuſdam opera legimus.

Cur aliquando plures aliquando vnus fuerit Banus.

FERDINANDVS diuinâ fauente Clementia Romanorum, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, & Sclauoniæ Rex. Magnifice fidelis dilecte; Præteriere jam multi dies, cùm literas tuas, per proprium hominem ad nos miſſas accepimus, ad eas tamen reſpondere noluimus; priuſquam nos de omnibus rebus, pro conſeruatione tuitioneque regnorum iſtorum noſtrorum ordinanda reſolueremus, ſicque & tibi magis conueniens & reſolutum reſponſum dare poſſemus; Tibi itaque nunc gratioſè ſignificamus; Nos ſtatuiſſe cognita nimirùm fidei tuæ perpetuæ conſtantia, animique in re militari fortitudine, & in adminiſtrandis rebus iſtis noſtris prudentia & dexteritate, vt tu ſolus ſine aliquo Collega Banatus officium pronunc geras; non dubitantes quin vnus rebus iſtis dirigendis & gubernandis (quemadmodum nunc earum eſt ſtatus) bene

ſatis.

ſatisfacere poſſis, neque Collega opus habeas. Et quò ei muneri commodius præeſſe poſſis, decreuimus intertenere tibi trecentos Equites leuis armaturæ, quorum opera pro rerum neceſſitate vtaris; deque intertentione tibi quouis tempore ſuppeditanda, in proximo Conuentu, quem in Sclauonia indiximus, vnà cum nonnullis alijs agi & tractari curabimus: confidentes vtique iſtius Regni ſtatus, noſtræ in hoc petitioni obtemperaturos fore. Datum in Ciuitate noſtra Vienna, die decima ſecunda Menſis Ianuarij, Milleſimo, Quingenteſimo, Quadrageſimo, Regnorum Noſtrorum decimo, aliorũ verò decimo quarto. Hæc Cæſar Ferdinandus.

Quamuis & alia rei huius ratio eſſe poſſit, nam cum Banus & iuri dicundo præeſſe, & militari exercitationi publiciſque rebus prouidendis incumbere debeat, quò commodiùs ac utiliùs in tanta plurium Regnorum amplitudine ſatisfiat, partitis inter ſe curarum ac negotiorum oneribus, plures ſtatui quandoque neceſſe fuit, præſertim cùm vnius tantùm tanto muneri, inſufficiens ſatisfactio impendi videretur. At verò noſtris hiſcè temporibus, cum fatali quorundam incuria, ac extrema prorsùs negligentia, dulciſſimæ fines Patriæ nequaquam amplientur, ſed mutuis potiùs contentionum flammis, iam ferè in cineres conſumantur, haud pluribus opus eſſe ſatis liquidò conſtat; imò, ob plurima eaque Procerũ inteſtina, ac vatiniana odia, ne in immenſum ſerpant, expedit prorsùs vnum ſolùm præeſſe. Hoc porrò officium omnibus poſteris, Regum quoque Hungariæ temporibus ſummæ dignitatis æſtimatum fuit, maximoque in honore habitum, nam ut poſtea dicemus, ſæpè Banatus cum Vaiuodatu Tranſyluanico in vnum conferebatur, ſemper verò vbi diſtinctæ gerebant perſonæ Bani nominis prærogatiua ampliori loco honeſtata eſt, vt vel hinc, non mediocritèr appareat, quantùm quidam Hungarorum, à maiorum ſuorum receſſerint huma-

Digitized by Google

humanitate, minori quàm par eſſet, hanc dignitatem æſtimatione proſequentes; Sed nunc vndè digreſſi ſumus, vt reuertamur; Cardinales, Epiſcopi, Cæſariſque legati probè ac laudabiliter ſuo defuncti officio, magniſque à Rege Budimerio muneribus donati, reuerenterque habiti; mox etiam multitudo omnium hominum, cum ſuis Banis, Centurionibuſque dilapſa eſt in ſuas quiſque ſedes Patriumque ſolum. Rex autem ipſe Budimerius, Anno à ſua unctione quadrageſimo menſis Martij die tertio, cùm populum à Deo ſibi commiſſum opera ſua Chriſto deuotum vidiſſet, omniaque pij, pacifici, Clementiſque Regis officia expleuiſſet, extremum ſanctiſſimè clauſit diem: Et cùm ingenti funebralis pompæ apparatu, in æde Diuæ Virginis in vrbe Dioclæ ſic dicta, quod à Diocletiano Imperatore extructa eſſet, hodie Cliſſia dicta, ſepultus eſt. Luxit eum populus cum Proceribus dies plurimos, conuenientibus vniuerſis ex omnibus Regni finibus, vt funus eius debito cum obſequio & ſplendore, non ſolùm vt optimi Regis ſed etiam ut eximij in his Regnis Chriſtianæ fidei propagatoris & Apoſtoli tantò decentiùs maiorique cum pietate honoraretur. Orbino placet, hunc à Sclavis populis, Suetopelek fuiſſe appellatum à ſanctitate dictum; Budimir verò, eo quod Chriſtianæ fidei Dogmata amplexus quaſi accepta iam vera fide, ipſi ac Regno pax inſtituta ſit. Non multò ante natus Budimerio filius fuerat, quem infantem licet, & in cunis adhuc iacentem, omnes vno animo Regem ſalutant, Anno Chriſti Sexcenteſimo, octuageſimo primo, vncto deinde ab Epiſcopis, & coronato in eadem Diuæ Virginis Æde, vrbe Dioclæ nomen inditum eſt Szuetolicus, quod in latinum verſum, Sanctulum ſonat, ſeu potiùs vltima ſyllaba dictionis primæ relicta, & ſecundæ prima detracta, Sanctum Catholicum dicere potes, ea ratione, qua Carolus Rex Hungariæ, olìm Carobertus, id eſt Carolus Robertus nominabatur, vbi & vltima primæ, & ſecundæ dictionis ſyllaba prima detrahitur. Ita igitur, cognominatus eſt, vt ipſo nomine Chriſtianæ pietatis, ac optimi patris probitatis imitandæ admoneretur; qui cùm adoleuiſſet, Patris omnium, qui ante illum regnârunt, præſtantiſſimi veſtigia ſecutus, ſacris deditus, ſacræq; religionis plurimum ſtudioſus erat. Cùmque in omnibus ſeſe ſumma cum laude geſſiſſet duobus ſupra viginti annis, mortem-

Mors Budimerij Regis.

Szuetolicus Rex.

Wladiſlaus Rex.

que obijſſet, filius eius Wladiſlaus anno æra Chriſtiana ſeptingenteſimo tertio ſucceſſit in Regno: hic quidem & corporis viribus, & animi fortitudine præſtabat, ſed vita & moribus Patri Auoque non ſatis ſimilis habebatur. Parum enim admodum religioſè vixit, nec iuſtitiæ ſeruiens, nec legibus parens, quin imò prauis animi cupiditatibus deditus, nihil ſibi non licere exiſtimabat, quod collibuiſſet; venationibus delectatus plurimum, cui cùm intentus die quodam citato equo feram inſequitur, in foueam non modicæ altitudinis corruit, vnde eum totis artubus eliſum, exanimemque extraxêre, tam inopinam ſcilicet, juſtè numine vindicante adeò liberam viuendi legem, incurrendo pœnam. Non abs re exiſtimauerim hîc adnotare, quod quemadmodum olim hæc noſtratia Regna, cum Hungaria ſub vnam coiuêre Coronam, ita initia conuerſionis ſuæ ac pijſſimorum Regum primordia ſimilia prorſus habuêre. Vt enim primò Geyſa Chriſti fidem amplexus, nequaquam id efficere potuit, quod de omnium ſubditorum conuerſione animo conceperat, ſed filio Stephano perficiendum relinquere debuit, qui deinde ab Alberto Pragenſi Archiepiſcopo fidei lauacro purificatus, & in fide, ac dignis Chriſtiano Rege moribus eſt imbutus, ipſe quidem tum per ſe, tum per alios religioſæ vitæ deditos, omnes ferè ſibi ſubiectos ad veri Dei cultum, diſciplinæ jugum & Euangelij legem eis perſuadens, adduxit: Aſtricum Abbatem ad ſummum Chriſti Vicarium petiturum deſtinat, vt recens conuerſæ Pannoniæ largam benedictionem impertiretur, omniaque ab ipſo conſtituta, ſua firmaret authoritate. Filium verò Emericum habuit Angelicis inſtructum moribus juuenem, at Regni Succeſſorem Petrum prorſus degenerem, & tantis priorum Regum ac Ducum pietatis exemplis, nec quicquam ad bene viuendum atque gubernandum motum. Ità paritèr Satimerius Primus in fide Orthodoxa, ſuaui Chriſti ſeſe ſubmittens jugo, populum ſibi à Deo concreditum ad eandem Chriſtianæ vitæ religionem reducere ſatagebat; ſed mirabiliter altiſſimo Dei conſilio hanc Apoſtolatus prærogatiuam Budimerio reſeruante, Satimerius nevtiquam ad finem perduxit, ſed Budimerius adhibita ſimul pia Conſtantij induſtria, omnem ſacræ fidei, Eccleſiaſticorum dogmatum, Chriſtianorum morum, Iuſtiæ legum, Regni finium ac limitum, cæterorumque vniuerſorum grauiſſimorum negotiorum molem ſuis humeris ſuſti-

Collatio Regũ Dalmat. Croatiæ & Sclauoniæ cum Regibus primis Vngariæ.

Digitized by Google

ſuſtinuit, ſuâ virtute ac induſtriâ ſtabiliuit, ſuis deniq́ue ſanctiſſimæ vitæ meritis pijſſimè terminauit. Cui tametſi deinde optimus fuerit filius Szuetolicus, poſt hunc tamen regni ſucceſſor Wladiſlaus, omni humanitate orbus, cunctiſq́ue auſterus, exitu Diuinæ vindictæ pleno, & longè miſerabiliori Petri Regis, vitam cum Imperio exhalauit. Sed ad Reges redeamus.

Extincto Wladiſlao non minùs infelici, quàm inopino mortis genere, vt nec annorum numerus, quibus regnauit, nec initium filij eius quo regnum ſuſcepit, Poliſzlai reperiatur; ita nimirum, vti proborum in benedictione memoria manet, ſic apud DEUM inuiſorum deperit, vt nec in annalibus prolixitas flagitioſè traductæ vitæ poſteritati tradatur. Et quamuis hunc Poliſzlaum Iuuenem animo quidem præſtantem, Ludouicus Tubero aduerſus Attilam ſtrenuiſſimè dimicaſſe, eumq́ue in Pannoniam ignominiosè regno ſuo pulſum receſſiſſe referat; hic tamen author in hoc falli & ſibi non conſtare, vel ex eo conuincitur, quod Patrem adhuc huius Wladiſlaum, Regnum ſuum inchoaſſe Anno Chriſti Septingenteſimo Tertio, vnà cum alijs bene ponat vt ſupra diximus: Attilam verò omnino conſtat morte ſublatum, multis antequam vel in mundum editus Poliſzlaus fuiſſet annis, nimirum Quadringentis Quinquaginta Quatuor, hîc itaq́ue Poliſzlaus, tametſi nullam poſt ſe maſculam reliquerit prolem, filia tamen eius nubilis Viro tradita, duos genuit filios, & cum Poliſzlaus anno regni ſui decimo ſeptimo vita deceſſiſſet, alter ex nepotibus eius natu maior nomine Sebeſzlaus regnare cœpit, cumq́ue circa initia quaſi Imperij ſui Scodram Oppidum Regni Albaniæ Gotthi obſediſſent, ille coacta non parua manu, audactèr impigreque caſtra eorum inuaſit, vt primo ſtatim impetu eos opprimeret; hoſtium igitur, qui bello Regnum ſuum laceſſiſſent, & aggredi non dubitauerint, ſtatim pars alia cæſa, alia capta, alia in fugam conuerſa, nobilem illi victoriam reliquit; Neq́ue enim proſperè pugnare ſemper poſſunt, qui plus audaciæ, quàm virium præſeferunt. Et hunc quoque Sebeſzlaum Tubero Attilam Regnum ſuum poſt Gotthos fuſos inuadentem inſecutum ſcribit, ſed vt in priori errauit, ita in poſteriori craſſius adhuc hallucinatur. Abſolutis itaq́ue viginti quatuor regiminis annis, haud parua rerum bene geſtarum fama poſt ſe relicta, vt qui pacis, belliq́ue artibus plurimum prçſtitiſſet, duos de ſe liberos reliquit,

Poliſzlaus Rex.

Sebeſzlaus Rex.

Bladimerius Rex.

Mibiuorium natu maiorem & Bladimerium minorennem, qui licet regno inter ſe partito, amicè inuicem, ac cum alijs nationibus vixiſſent, Mibiuorio tamen poſt annos duodecim abſque poſteritate decedente, in Bladimerium fraternitatis jure reſidua regni pars deuoluta eſt, qui cùm ex filia Pannoniæ Regis liberos procreaſſet, anno vigeſimo Imperij ſui fatis concedens Canimerium primogenitum in regem ſubſtituit, qui quidem regnum inter Patrueles antea diuiſum ſolidè coniunxerat, & præcedentium potentiam regum ſuis opibus æquauit; ſed quoniam ob quandam animi duritiem inuiſus plurimis erat, Croatia præſertìm ab eo deſciuit. Quamobrem rex in furorem actus, coacto repentè exercitu Macedoniæ, Epyri, Myſiæque ſuperioris, ad eos qui defecerant debellandos eſt profectus. Cæterùm non minor illis ad repugnandum animus erat; armati itaque obviam proceſſere, in Campo qui Clunia nuncupatur, (vbi Budimerium cum legatis Apoſtolicis ac Cæſareis, primum habuiſſe conuentum iam ſupra retulimus) acriterque inter ſe concurrunt: diu æquo marte pugnantibus, tandem interfecto Canimerio rege, victoria à Croatis ſtetit, belloque impoſitus finis. Poſt hunc intra quadraginta annorum decurſum, quatuor conſequenter regnauêre Turdiſlaus, Oſtriuorius, Zolimerus, & Tribiſlaus, quorum ſub Imperio, quia calamo digni occurrit nihil, eos compendij facio; otium & pax erat, & ab armis quies, præterquàm quod horum poſtremus, cum multa in eos, quibus præerat, intolerandè commiſiſſet à Myſijs, qui nunc Boſnenſes appellantur, interficitur, interfectique cadauer in fluvium conijcitur, vt ſepultura quoque hominis careret, qui ab humanitate alienus erat; hunc ſecutus filius Cepimerius, qui poteſtatem nactus paternæ cœdis authores pœna affectos vitâ ſpoliauit. Eo regnante ambitioſa Germanorum Gens à Septemtrionis partibus prædæ alienique auida veniens, nulla data cauſa Iſtriam occupauit, cùmque Dalmatiæ fines armis laceſſere cœpiſſet, rex eis obuiã procedens inito prælio eos facili negotio maiori ex parte neci datos, pauciores fuga dilapſos vincit, ac è Regni finibus eliminat. Germanorum Princeps vt excitata iam odia in amicitiam verteret, metuens ne ijdem, quos iniuria affeciſſet, ſibi ſuiſque vices rependerent, regis natam filio ſuo matrimonio jungi poſtulat: quam tametſi difficulter, vt temerarius alieni regni inuaſor, poſteą maximis mune-

Canimerius Rex à Croatis bello interficitur.

Turdiſlaus, Oſtriuorius, Tribiſlaus, & Zolimerus Reges.

Cepimerius Rex Germanos prælio fudit.

Digitized by Google

ribus ad regem miſſis obtinuit tamen, & amicè poſthac alter altero eſt vſus per annos viginti quinque, menſes ſeptem, quibus Cepimerius imperauit.

Excepit regnum Szuetoszlaus filius, qui Bulgariæ quoque imperauit, ob in ſitam ſibi animi manſuetudinem omnibus pariter charus: hic Radoſzlaum filium adeò tenero complectabatur amore, vt viuens adhuc illum pro ſe regnare iuberet; Radoſzlaus verò, vt tanto beneficio ſe non indignum probaret, mortuo breui Patre, non tantum Regni eius, ſed etiam virtutum ſeſe præſtitit ex aſſe hæredem, paternoſque mores imitatus, laudabiliter prorſus in omnibus geſſit, hoc vno infelix, quod prolem ſibi ſuiſque longè degenerem ſortitus ſit: filium enim Szeiſlaum habuit in tantum vitijs corruptum, vt ei Apoſtatæ nomen palàm ab omnibus exprobraretur; Eccleſiæ inobediens, viuente adhuc Patre regnum affectans, in omnes demum proteruum ac iniurioſum exhibuit ſeſe, quibus tandem commotus Banus Croatiæ dictus Bilitus, eiuſque proteruitate grauitèr offenſus, cùm ijs, quibus præerat, à rege defecit. Rex verò grauiora ex hac ſcintilla veritus incendia graſſatura, deſertores ſuos perſecutus, facilè in poteſtatem redegit vltrò ſeſe dedentes, ne regi ſuo aduerſari viderentur, dum filij impotentem animum deteſtantur. Verum Banus ipſe, cùm nonnullis pertinacius Regi quoque reſiſtens, fuga ſolus elapſus eſt; eis qui ſeſe regi ſubmiſerant, crimen remiſſum, veniaque data, quos autem Szeiſlaus cœperat, in ſeruitutem redegit Præfectis Copiarum ſuarum oblatos, monitus tum à Patre filius, vt affabili comitate benignoque in omnes animo eſſet impoſterum, nevé communem Reipublicæ pacem ſimilibus perturbaret diſſenſionibus, cùm ipſius, ſi quando rex eſſe vellet incumberet curæ, excitatos ab alijs ſedare potius, non nouos excire motus. Sed indignè ferens paterna monita, jam diris deſtinatus filius, primum iratus patri, quod rebellantibus peperciſſet, ſeditionibus deinde nefarijs animum intendere cœpit, plurimos militum Centurionumque Croatarum terrore compulſos, ſub ſuis ſignis militare cogens, quorum deinde opera vſus, Patrem è Regno expulit, & in Croatia ſedem dominatus fixit. Radoſzlaus regno exutus, Caſtrum cum paucis quos ſecum habebat confugit, quo cum filium ſibi adhuc infenſum aduentare inaudiuiſſet vehementèr angi cœpit, comitum magis quam ſuum dolens

Szvetoſzlaus Rex.

Radoſzlaus Rex.

Bilitus Banus Croatiæ à Rege defecit.

peri-

periculum, cum quibus inde raptim decedens, ad mare vſque ſe ſe fuga proripuit: ſed tunc etiam tergo inſtare hoſtem filium cernens, cum equis in mare ſimul irruit, & ad ſcopulum quendam continenti proximum, natando omnes peruenere; atque ità tandem infelix Pater, ne una cum illis, qui eum ſecuti fuerant, perditiſſimi filij manu trucidaretur, vix effugit: cumque ibi per dies aliquot manſiſſet, nec ſe ſatis in tuto putaret eſſe, fato quodam, Deique miſeratione contigit, vt navis quædam de Apuliæ finibus, Dalmatiam verſus iter habens præternauigaret, quæ clamoribus evocata ſcopulo applicuit, deindè Regem cum toto comitatu excipiens conuerſa nauigatione tranſuexit in Apuliam, vbi illi expoſiti, terreſtri deinde itinere Romam contenderunt, Scopulus verò ille, qui fugientes exceperat, Regis nomine Petra Radoſlai eſt nuncupata; Interim impius ille filius fugato Patre Regna omnia poſſidet, donec DEO vlciſcente, hoſtili manu interemptus pœnas daret, ſcilicet, ne quis diuturnam impunitatem ſceleri ſuo ſperet; Etenim cùm inter venandum feras, cum Principe quodam inter Pannones potente, dicto Vido, (fuit hic vir nobilis eius familiæ, ex qua Vidus ſimilitèr dictus, apud Salomonem Regem ſummi habitus, tempore Diui Ladiſlai & Geyſe Ducum originem traxit:) iam antea mutuis intricati odijs obuiam facti fuiſſent, & nouæ repentè inter eos, incertum quâ de cauſa exorirentur rixæ, Szeiſlaus Vidum in fugam cum ſuis coniecit; ac inter perſequendum iam hunc, iam illum irrequieta enſis rotatione cędens, ipſum conſecutus Vidum inflicto primum vulnere, ex equo deturbat in terram, ruentique imminens caput abſcindit. Inaudiens hæc Vidi vxor ingentis animi mulier, adit Pannoniæ Regem auxilium petitura, quò cuncta concedente, continuò vim magnam militum comparat, Szeiſlai Regnum occultè ingreditur, ac ipſum in agro fortè venantem reperit, inſperatoque milite vndique cingit. Capitur igitur Szeiſlaus nihil tale veritus, & ad Vidi Coniugem captiuus ducitur. Iuſſit mulier exacerbata mariti cæde Szeiſlaum in vincula conijci, naribuſque atque auribus truncari, & omnibus oſtentui eſſe; fœdum ſanè ſpectaculum, ſed tantis hominis flagitijs nō indignum; Veſpere tandem in flumen Sauum cum vinculis deiectus, aquis præfocatur. Atque hunc demùm habuit exitum, illa in Pa-

Szeiſlaus miſera perit morte.

trem

Digitized by Google

trem impietas, in Deumque contemptus. Audita filij nece Radoſlaus Deo gratias egit, iuſta eius iudicia, qua poterat laudatione extollens, qui & noxios punire, & innocentibus miſereri conſueuit: accepta tandem à Summo Pontifice benedictione, Româ diſcedens in Regnum ſuum eſt reuerſus, (quamuis Orbinus Romæ mortuum, ac in Sancto Ioanne Lateranenſe ſepultum ſcribat) manſitque inter Dalmatas maris accolas, Croatis iniuriam omnem remittens quod impium ſecuti fuiſſent filium, nec quicquam iniquè in ſe commiſſum exprobrans, ad Clementiam, quàm ad vindictam ſemper propenſior. Atque ita inter proſpera & aduerſa ſemper conſtanti in DEVM pietate perſeuerans, fine beato Anno Chriſti Octingenteſimo ſeptuageſimo quinto conquieuit. Natus ei interea filius Colomanus fuerat, qui cùm ob infantilem adhuc ætatem ſceptra tenere nequiret, ne Proceribus inter ſe diſcordantibus Regnum ruinæ pateret, ſalubritèr ad Branimirum eligendum conſenſere: Refert quidem Tubero, defuncto Radoſzlavo ſtatim filium eius Colomannum omnium conſenſu in Regnum ſuffectum; ſed malim Baronio fidem adhibere, qui in Annum Octingenteſimum ſeptuageſimum ſcribens affirmat à Ioanne Octavo Pontifice, Branimiro Principi quandam ſcriptam eſſe Epiſtolam; hunc verò Branimirum Ioannes Tomcus, ex alijs etiam ſcriptoribus Dalmatiæ Regem & Patrem Goſtumili, Illyricanæ fœcundiatis in vita Beati Iuani deſcribit. Electo igitur, ac de more vncto in Regem Branimiro, Anno Octingenteſimo, ſeptuageſimo ſexto, qui defenſor pacis interpretatur, omnium in eo animi defixi hærebant, tùm quod in omnes æquo fuiſſet animo, tùm quia ſumma iuſtitia, prudentia, ac felicitate Rempublicam gubernaſſet. Huius Principis tanta in DEVM pietas, & obſeruantia erga Petri Cathedram extitit, vt quod aliquot anteceſſorum iniuria fuerat varijs caſibus omiſſum, publica legatione ſe Sancti Petri ſubditum ſit profeſſus. Extant hinc Apoſtolicæ literæ ad eundem à Ioanne Octavo Pontifice tranſmiſſæ (quarum paulò ſupra, ex Baronio meminimus) quibus exaggeratâ ſingulari eius pietate, benedictionem Apoſtolicam expetitam Regi, Regnoque Romanus Pontifex impartitur; Hunc Branimirum Bonfinius nulla de cauſa Sueropilum appellat, conſtituitque ad Annum Octingenteſimum, octuageſimum, quo ſimul

Branimirus Rex.

mul

Digitized by Google

mul tempore Bulgari longè priùs ad fidem Chriſti reducti, cùm adhuc Schiſmatici forent, Catholicæ fidei dogmata receperunt, quorum deindè Rex delegato filijs Regno ad monaſticam Religionem confugit. Expletis demum Imperij ſui annis quatuor ſupra vigeſimum, & ſubrogato in Regnum filio Goſtumilo nono Chriſtiano ſeculo, Branimirus in cœlum migravit; demortuo ſimùl Colomanno Radoſlai filio, Iuuene Paternarum virtutum ex aſſe hærede. Antonius Wramecz in ſuo Chronico ſcribit, hunc Goſtumilum Anno Octingenteſimo trigeſimo ſecundo in Regiam evectum dignitatem, ſed eruditiſſimus Baronius omninò contrarius eſt, qui anteceſſorem huius Branimirum circa Annum Octingenteſimum ſeptuageſimum octauum, vt ſupra dictum eſt, collocat, cuius ſemper authoritati libentiùs adhæremus. Itaque Goſtumilus Anno Nongenteſimo, ritu ſolenni in Regem vnctus, omnia optimi Regis executus munia, quamuis filium progenuerit Iuanum, attamen abſque Regiæ dignitatis ſucceſſione deceſſit è viuis; Iuanus enim ardentioribus cœleſtium deſideriorum flammis incenſus, viuente adhuc Patre, Eremum elegit Bohemicam, & magni præcurſoris, cuius nomen gerebat, æmulando virtutes, ſalutatis Parentibus formidoloſos ſyluarum flexus Duce Angelo pererrabat; Cuius vitam vberius explicatam apud Ioannem Tomcum in Illyricana fœcunditate eſt videre; Virum cæteroquin judicij approbati, niſi quod in Cronographia lapſus, hunc Iuanum ad Annum Domini Octingenteſimum quinquageſimum ſeptimum, Eius verò Patrem Goſtumilum ad Annum Nongenteſimum ponat, vnde neceſſe eſt eum in annis triginta tribus fuiſſe lapſum. Cæterùm Goſtumilus annis regnans duodecim viuere deſijt. Aduenerat iam annus reparatæ ſalutis Mileſimus ſecundus, quo Chean Samuelis ſucceſſor Bulgariæ Regnum gubernabat; Rex potentia atque animi magnitudine clariſſimus; hunc Sclaui ſuum quoque voluere. Inauguratus igitur Cheanus Rex Sclauorum, amplificata virium potentia, vlturus vt putabat ſuperiorum temporum, quas Bulgari acceperant iniurias, & ſi fata voluiſſent, paraturus ſibi in Hunnos Imperium, cum recens primo Divi Stephani in Pannoniæ Regem Anno Milleſimo primo, Inauguratio præceſſiſſet, Exercitum educit. Stephanus vix à Schytico Bello, quod aduerſus Gyulan Auunculum ſuum geſſit,

Margin notes: Goſtumilus Rex. — Cheanus Rex Sclauoniæ cum Diuo Stephano pugnat.

Digitized by Google

ſit, conquieverat, cum repentè nuntiatur Cheanum Bulgarorum Sclavorumque Regem, qui Imperio Ducum paruiſſent, in ordinem ab eis redacti, patefacto ſibi per Mæſias itinere, eduxiſſe Exercitum in inferiorem Pannoniam, & paſsìm oppida incendere, populari agros, prædas agere; Tùm verò aduerſus hunc hoſtem, ex priori victoria factus alacrior, nihil cunctatus obuiam procedit Stephanus, & referre pedem inter ſuos fines Cheanum cogit, Cheanus cui nota erat Hunnorum multitudo, validis denuo comparatis Exercitibus anguſtias montium, quâ Stephano iter erat, occupat, Præſidia ſuis locis diſponit, ipſe verò vbi pro re ſua viſum eſt, idoneo loco caſtra facit; Laboratum grauitèr eſt à Stephani militibus, dum iuga montium occupata aduerterunt, repulſis deindè non ſine ſuorum graui ſtragè hoſtium præſidijs, & per decliue deductæ aliquot Cohortes, quæ hoſtium impetus ſuſtinerent, dum Stephanus cum reliquo agmine ſubſecutus aciem inſtitueret: non vires, non animus, non peritia militaris Cheano defuit, ſed fortuna; nàm vt certaminis dedit ſignum ſuis, tanta vi atque impetu Stephani aciem adortus eſt, vt non Ducis tantùm, ſed & militis boni officio functus videretur. Sed poſt aciem cruentamque dimicationem, ſuorum multitudine adiutus Stephanus, cedere tandem Cheanum coëgit; ſed & captum viuere noluit, niſi hominem armorum peritiſſimum proindè quietis impatientem, quod ex captiuis cognouerat, ſuis reſtituiſſet, noui identidem belli illis author fieret, quantumuis alijs parcitum ſit captiuis. Et ſanè mirùm videri poteſt, virum iam tum ſanctitatis opinione celebrem, adeò ſe ſeuerum erga potentiſſimum atque eximium Regem exhibuiſſe, vt omnibus vitâ condonatâ, in ſolùm Regem, & iam captum ſæuire ſit viſus. Præda ingens in caſtris capta, & in ipſis Bulgarorum oppidis & vrbe, quæ Cheani fuerat ſedes, quam Themonam Sede Archiepiſcopali Bulgariæ notam fuiſſe puto. Erat omninò vt Caſpar Pechius refert, auri atque argenti, & margaritarum vis magna, quàm Bulgaris tunc debellatis in Pannoniam transferebat, maior longè quàm ante ipſe Stephanus poſſederat; Memorabile hoc atque cruentum prælium inter potentiſſimos duos Reges commiſſum, ſuccinctè nimiùm, nec quicquam pro honore Cheani laudatiſſimi licet Regis, Petrus Ranzanus perſtringit,

Ioannes verò Thuroczius in Chronica Hungariæ capite trigeſimo, tametſi & ipſe breuiſſimè tangat, ſat tamen virruti Cheani tribuit, dum multis laboribus, & bellicis ſudoribus deuictum ſcribit; ſed optimè Pechius, qui vtrique Regum ſuam reddens laudem in neutrum eſt iniurius. Antonius Wramecz, Anno Milleſimo trecenteſimo quinto, hanc ſcribit contigiſſe pugnam, ſed hic author frequenter in Chronographia labitur, vt proindè dignius ſit tribus ſupra memoratis Hiſtoricis, qui Anno Mileſimo ſecundo factam aſſerunt, fidem adhibere. His ijſdem temporibus naturæ debito concedente Goſtumilo, Croatiæ Regnum Regis titulo Szudomir, Dalmatiæ, & Croatiæ Banus occupauit ac poſſedit, & duobus fermè imperauit annis, quibus Chean in Sclauonia regnabat. Sublato deindè indigna cæde Cheano Sclauoniæ, ac demortuo abſque hærede Zudomiro Croatiæ Regibus, orbata regna Principe, mira premebantur ſollicitudine, atque vt tantò validiora aduerſus hoſtes quoſlibet in futurum efficerentur, pro more vnanimi conſenſu indictis Comitjs, Terpimeri Principis filium Generum Bani Zudomiri, Creſcimerium appellatum, qui tunc Boſnæ & Dalmatiæ imperabat, (alijs Criſimerium, alijs Craſimerium dictum.) in Regem eligunt vnguntque Anno Milleſimo tertio. Hic Princeps in omnibus ſanè laudandus, naturæ fortunæque bonis æquè inſignis, ſed præcipuè in DEVM obſeruantia atque cultu, publicæque pacis amantiſſimus, cuius virtutum famam cum Diuus Stephanus Pannoniorum Rex inaudiuiſſet, & vt præterea Bulgarorum atque Sclauorum animos ob Cheanum interfectum, vaſtatamque Bulgariam concitatos ſedaret, filiam Creſcimeri in Connubium Emerico filio poſtulauit, vnde poſtea Diuus Emericus Ducis Sclauoniæ titulo decoratus fuit: Meminit Connubij huius etiam Ioannes Tomcus in Illyricana fœcunditate, vitæ Emerici: vixit Creſcimirus regnans annum vuum ſupra trigeſimum. Addit Orbinus Iure huius matrimonij, inter Emericum & filiam Creſcimeri initi, Hungaros Croatiam vendicare ſibi voluiſſe, atque Banos ad adminiſtrandum Regnum quoſdam deſtinaſſe: Verùm Croatæ repudiantes Hungarorum Adminiſtratores, ex ſuis ſibi Regem elegerunt. Reperi fragmentum quoddam Conſtantini Porphirogenitæ, in quo filius Creſcimeri Miroſlaus in Patris locum ſuffectus, annis quatuor imperans,

Zudomir Dalmatiæ & Croatiæ Ban. Croatiam occupat.

Creſcimerius Rex.

& à

& à Bano Sclauoniæ Privvnio refertur vitâ priuatus. Ludouicus verò Tubero, ſucceſſorem Creſcimerij filium Zuonimerum aſſerit, quod niſi Creſcimerium duos habuiſſe filios dicamus, vnumque alteri in imperio ſucceſſiſſe, ſtare non poteſt. Sed vt vt ſit de Miroſlao Zuonimerum certò conſtat omnium Hiſtoricorum conſenſu, Dalmatiæ & Croatiæ fuiſſe Regem, quamuis nemo certos Imperij ſtatuat annos, excepto Tuberone, qui eundem ſeptem Olympiadibus imperaſſe narrat, niſi fortè & ſic dicamus, quod veroſimilius arbitror, Miroſlaum Sclauoniæ Regno præfuiſſe, Zuonimerum verò Dalmatiæ & Croatiæ, vt breui clariùs eluceſcet ex Baronio. Zuonimerus igitur (alij Zolimirum appellant, ſed alter etiam fuit Zolimirus, qui poſt Oſtriuorium vt ſupra retulimus, regnauit) Zuonimerus inquam, Patre licet Catholico genitus, ab auitæ tamen fidei ſynceritate in initio deflexerat; quo tempore gens Seruorum vt refert Curopalates apud Baronium, quos etiam Croatas vocant, exijt vt Bulgariam redigeret in ſeruitutem, quamuis irrito conatu: cuius belli cauſa Bulgarica Eccleſia grauibus affecta eſt moleſtijs tùm ab hoſtibus, cuncta rapinâ, cæde, igneque miſcentibus; tùm à Magiſtratibus & Exactoribus, ipſos Epiſcopos crudelitèr diuexantibus; quæ mala eius tunc Prouinciæ Arhiepiſcopus Theophilactus eximiæ Eccleſiæ Doctor, ſuis deplorat ad diuerſos Epiſtolis. Sub idem tempus Paulus Croatiæ Banus, non ſolùm opibus ac clientelis, verùm prudentia atque animi magnitudine quoque inſignis, præclaram nactus opportunitatem (ut potè qui aduerſus Bulgaros vniuerſas Croatarum copias, ſummo cum Imperio ducebat,) Zuonimero factus refractarius, totam ſibi ſubiecit Croatiam; nec hac contentus adſcitis in ſocietatem Rauſeijs Comitatum Chelmi occupat, & ad Raſciæ Regnum ſubiugandum proficiſcitur. Verùm Stephanus Cœcus Raſciæ Rex, numeroſo conflato Exercitu occurrit Paulo Bano, eumque ab ingreſſu ſuorum finium arcet; Zuonimerus quoque interea comparatis è Dalmatia copijs eundem prælio fundit, ac in veterem reſtituit fidelitatem; Circa hæc fermè tempora, potentiſſimi etiam in Boſnæ Regno fuere Bani, qualis fuit Tuartcus à Samuele adhuc Bulgarorum Rege, Knez Veliki id eſt Comes Magnus cognominatus, poſtea verò etiam in Boſnæ Regem electus. Hunc ſecutus Barich, quo mortuo Culinus Banus ſex ſupra tri-

Priuunius Sclauoniæ Banus.

Zuonimerus Dalm: Croatiæ & Sclauoniæ Rex.

Paulus Croatiæ Banus eandem occupat.

Bani Regni Boſnæ.

ginta annis Boſnæ præfuit, cuius ſub Imperio mirum quanta felicitas,& rerum omnium affluentia per illas partes floruit, vnde prouerbium ad poſteros manauit,quando feliciora tempora memorabantur, CuliniBani æuum prædicari & in memoriam reuocari ſolere. Vir ſanè non tantum militari virtute fortis, ſed & religione pius, multumque Romano Pontifici, ſæpius ad eundem miſſis muneribus, iuxta vetuſtiſſimamBoſnenſiumBanorum conſuetudinem, ſemper affectus extitit. Sed ad Zuonimerum regrediamur, qui & ipſe deinde ab impia idolorum ſuperſtitione reſipiſcens, & germanam Romanæ fidei amplexus veritatem, non ſolùm ornamentis ac Religione ſuperiorum regum nulli poſtponendus, ſed legum prætereà præcipuus obſeruator, & proindè peſſimo cuique maximè inuiſus erat. Eo tum regnante proſperè inoffenſèque ſuccedebant omnia, vt fama virtutum eius Salomon, Geyſa, & Ladiſlaus commoti, ei ſororem matrimonio iungere non dubitauerint: bellum nullum geſtum, niſi cum Carinthis, qui aliquid Dalmatiæ vaſtaverant, & eiuſdem regni Marchiam occupauerant, pro qua recuperanda Zvonimerus Salamonem Pannoniæ regem affinem ſuum aduocauit, hic cum Geyſa Duce aduolat, Marchiamque receptam Zvonimero reſtituit, acceptis ab eodem maximis & rege dignis muneribus. His abſolutis quieuerant bella, opes augebantur, nec pauperibus timori erat diuitum auaritia, nec plebs potentiorum vim formidabat, omnes pariter tuente & protegente ipſa Regis Juſtitia, quæ neminem prorſus à nemine vexari patiebatur. Cùmque omnium pro ſe par cura eſſet arua colere, pecudes alere, negotiationibus exerceri; nunquam antea regna illa vllâ rerum copiâ opulentiora eſſe memorabantur. Abundè in Ciuitatibus erat veſtis precioſa, decoraque arma, & phalerati equi; exquiſita ſuppellex, aurique & argenti vis maxima, gemmæ, margaritæ, & quæque alia, quæ mortalium animos vel æſtimatione vel pulchritudine allicere ſolent. Memorat Tubero Zuonimirum à Croatis interemptum, eo quod per literas ſummi Pontificis, ad recuperationem Terræ ſanctæ inuitatus, id ſeſe facturum promptiſſimè obtulerit. *Sed Croatarum Gens*, inquit Tubero, *protinus indignari cœpit, ita vt vix perlegi pateretur literas, non ſolùm itaq; non conſenſerunt literis, & hortationi Pontificis, verùm etiam in Regem ſuum inſurgentes, magno tumultu & vociferatione*

con-

conqueſti ſunt, illum huiuſce rei authorem eſſe, vt ipſi relictis Coniugibus, Liberis, patrioq́; ſolo, procul per alienas domos errent, aliena ſequantur Imperia; nec expedire ſibi loca illa ſancta ſi liberentur. Atq́; ita infeſta concio peſſimis vſa conſilijs nequiuit inhiberi, quin repente ſanctiſſimum Regem Zuonimerum inuadentes, multis conficerent vulneribus atq́; interimerent. Hæc Tubero. Sed præterquam quod hæc Zuonimeri cœdes à nullo Hiſtoricorum alio, qui de illo tradidere memoretur, Tomcone excepto qui Tuberonem videtur ſecutus, in hoc tamen Tubero ſibi conſtare non videtur; quod cùm & ipſe Regem ſanctiſſimum ac præcipuum diuinarum humanarumq́ue legum obſeruatorem aſſeruiſſet, cuiuſque ſub imperio nulli diuitum potentia formidini eſſet, & qui populum per tot annos in tanta continuiſſet diſciplina: is idem deindè populus ipſi Regi in publico Comitiorum alterius etiam Dalmatiæ Regni Conſeſſu, violentas inferret manus, qui nec ruricolæ aut gregario cuipiam nocumento eſſe audebat. Accedit deindè, quod non Zuonimeri tempore Romanus Pontifex Chriſtianos Principes ad Terræ Sanctæ recuperationem ſit hortatus, ſed ſeptem annis poſtea eo ſcilicet tempore, quo Diuus Ladiſlaus Hungariæ Regem agebat: nàm conſtat ex Ranzano, Bonfinio, & alijs, Diuo Ladiſlao iam creato Regi, ſummam belli huius præfecturam à Romano Pontifice fuiſſe delatam, quo tempore Zuonimerus omninò ex hac deceſſerat vita. Demùm ſuſpectum ſe mihi Tubero reddit cùm de Croatis ſcribit, cùm ſemper ferè oblata occaſione, ſine cauſa hanc gentem inurbanè perſtringat. Et fortè quod Sclauoniæ Regi Godeſcalco à ſuis accidit, vt mox dicemus, id Tubero de Zuonimero eſt ſuſpicatus: mortuus itaque Zuonimerus abſque liberis pijſſimè, qui totum à conuerſione ſua piè vitæ curſum traduxerat, Anno Milleſimo, ſexageſimo nono, Coniugi interea ſuæ Læpæ Divi Ladiſlai Sorori, Regna legans Teſtamento. Iam ſupra retulimus, Miroſlaum Creſcimerij filium annis quatuor Sclauoniæ præfuiſſe, cui Godeſcalcus in Regnum ſucceſſit. Hic Princeps Authore Baronio, in Annum Milleſimum ſexageſimum quintum, Chriſtianæ Religionis ſtudioſiſſimus extitit propugnator, qui cum per plures annos regnando magnam

Godeſcalcus Sclauoniæ Rex & Martyr.

gnam

„gnam Sclauoniæ partem, à paganiſmo ad fidem conuertiſſet, & „in reliquis conuertendis indefeſsè laboraret, ab ijſdem coniura- „tione ſacta comprehenſus, ac fuſtibus cæſus, deindè per ſingulas „Sclauorum ciuitates ductus ad ludibrium, cùm à Chriſti nomine „flecti non potuiſſet, truncatis manibus & pedibus in plateas „corpus eius proiectum eſt, caput verò diſſectum, pagani conto „præfigentes, in titulum victoriæ DEO ſuo Radigozt (quod in- „terpretari poteſt charus hoſpes) immolauerunt: ipſiuſque Vxor „Regis Danorum filia nuda diù cœſa eſt, ac demùm cunctis occi- „ſis, qui perſtiterunt in fide, omnes Sclaui ad paganiſmum relapſi „ſunt, authore huius cladis Pluſſo, qui ſororem Godeſcalci ha- „buerat, qui & ipſe domum reuerſus obtruncatus eſt. Hactenùs „Baronius ex Adam. Cùm verò Godeſcalcus Martyrium ſubijſ- ſet, orbatum Sclavoniæ Regnum Principe, poſt longas inter diſſentientes Proceres agitatas controuerſias, tandem Zuo- nimero adhuc tùm in viuis Dalmatiæ & Croatiæ imperanti de- fertur; vt quæ ferè ſemper Regna eodem gaudebant Principe, iam rurſum eiuſdem Regis Imperio, ac ſocietatis fœdere iunge- rentur. Cœperat Imperij Iura Coniux Zuonimeri eodem de- functo Ladiſlai Soror exercere, cùm nonnulli Principum, qui vi- ri ſui hoſtes fuerant, arma paraſſent, quibus Reginæ regna illi relicta vellent adimere: illa in nomine IESV Ladiſlai Fratris au- xilium implorans obtinuit, vt & ipſe ſuas cogeret copias, ferret- que Sorori opem quâ fugatis aduerſarijs, quæ ſua erant tranquil- lè impoſterum retineret. Interiecto dein tempore, ſeptimo iam elapſo Regiminis anno, moriens & illa eadem Regna Ladi- ſlao Fratri, quo nemo illi ſanguine propinquior erat, reliquit; Ipſe verò ea Regna Hungaricæ adiunxit Coronæ; Atque ita demùm horum trium Regnorum ab Anno quingenteſimo, qua- drageſimo ſeptimo, vſque ad Diuum Ladiſlaum, & reliquos ſibi ſuccedentes Hungariæ Reges, viginti quinque continuata ſeriè, Regina excepta Coniuge Zuonimeri, & Zudomiro Bano, fuere Reges. Sed grauiſſima hic oritur difficultas, ob inſignium Au- thorum diſſenſionem, etenim Cardinalis Baronius in Annum Milleſimum, ſeptuageſimum ſextum, vult Demetrium quendam dictum Zuinmur à Gregorio Septimo Pontifice Summo, in Dal- matiæ Croatiæque Regem ſuffragantibus Procerum votis, crea-

Diuus Ladiſlus Sororem iuuat.

tum;

tum; cùm cæteri ferè omnes qui de Hungarorum Regibus accuratiùs tradiderunt, Diuo Ladiſlao, vel potiùs Sorori eius Viduæ, in eundem annum initia Regiminis eorundem Regnorum concedant. Et quidem Baronius ita habet. Interim admiratione planè digna res accidit, vt quo anno Henricus Rex ſe Schiſmate ab Eccleſia ſeparauit, Rex barbarus eis ſe coniunxerit, ſubditumque conſtituerit. Siquidem hoc eodem Anno Milleſimo ſeptuageſimo ſexto. Menſe Octobri, Demetrius idemque Zuinmur dictus, Croatiæ Dalmatiæque Dux, in Synodo Salone in Dalmatia à Legatis Apoſtolicæ Sedis, Gebizone tunc Monaſterij Sanctorum Bonifacij & Alexij Abbate, & Folcuino fori Semproniij Epiſcopo, habita, nomine Gregorij Papæ, ab ijſdem Legatis, Regio nomine dignitateqne inueſtitus eſt, per vexillum, Enſem, Sceptrum, & Coronam. Ipſeque de concordi totius Cleri, Populique Croatarum Dalmatarumque conſenſu, pro eodem Regno fidem Sedi Apoſtolicæ, ipſique Gregorio, ac eius Succeſſoribus, in manus Legatorum iurauit; tributumque annuum Ducentorum Bizantiorum in perpetuum conſtituit. Eſt enim de his nobile monimentum in Vaticana Bibliotheca in codice, qui inſcribitur Centius Camerarius, de Cenſibus Apoſtolicæ Sedis extatque inſuper eiuſdem Gregorij poſtea data Epiſtola ad Vezelinum Ducem erigentem ſe contra Demetrium, quâ ſub interminatione Excomunicationis iubet eum arma deponere, & ſi quid contra eundem Regem haberet, iudicium Sedis Apoſtolicæ, cuius fidelis eſſet, expetere. Atque hæc Baronius. Cæterùm hic difficultas ſolùm de anno, nàm eundem fuiſſe Regem Zuonimerum, quem Baronius Zuinmur dicit, liquet vel ex eo, quod quem noſtri proprio idiomate Zuonimir dictum voluerunt, eum Baronius appellatione latina Zuinmur nuncupauit, benè præterea conſentiunt quæ ſupra retulimus, quod à veræ fidei tramite à principio deflexiſſet, & quod Baronius affirmans Barbarum nominat Regem, poſtea ſe ſubditum Eccleſiæ Romanæ conſtituiſſe. Deniqùe vbi Vezelinum Ducem arma ſumere aduerſus Regem voluiſſe ſcribit, indè fortè Tubero ſuſpicatus peremptum omninò fuiſſe. Quantùm porrò ad annum attinet, exiſtimarim ego Centium Camerarium, vndè Baronius hæc deprompſit, aliquot præterijſſe annos, vel certè Zuonimerum

non

non regnaſſe annis triginta quinque, vt Tubero voluit, quod Ego quidem magis probauerim, cum alioquin Tuberonis lapſus ſæpiùs animaduerterimus. Hoc in vniuerſum obſeruare licet, omnes propemodum vetuſtiorum horum Regum nominum deſinentias, vel à laudis, vel pacis ſignificatione translatas atque vſurpatas fuiſſe, vt ſingula conſideranti nomina patebit, cuius nimirum rei quiſque ſtudio magis teneri videbatur.

FINIS LIBRI SECVNDI.



GE-

GEORGII RATTKAY MEMORIÆ REGVM, & BANORVM Regnorum DALMATIÆ, CROATIÆ, ET SCLAVONIÆ, LIBER TERTIVS.

DIuus Ladiſlaus decedente Lepa Regina ſorore, cùm iam & horum gubernacula ſuſcepiſſet Regnorum teſtamento ſibi à ſorore legatorum, ac inſuper Apoſtolicâ authoritate, ad quam Jus Dalmatici Croaticique Regni pertinebat, vt ſuperiore Libro de Budimerio ex Tuberone, ac de Zuonimiro ex Baronio oſtendimus; eorundem Regnorum Jure donatus eſt perpetuo. Quamobrem quâ ratione hodie Hungaricæ Cancellariæ ſtylus ſubiecta hæc ſibi Regna vendicet, ac partes ſubiectas appellet, non video. Tametſi enim facta Sedis Apoſtolicæ donatione,

Digitized by Google

D. Ladiſlaus Dal: Croa: & Sclauon: Regnis à ſede Apoſtolica donatur.

Regulorum quidam ſubinde ab Hungaricorum Regum fide ſeceſſerint, Regnorum tamen vi atque armis ſubiectorum dominationem, legere nuſquam licet. Et vetus quoque Hungariæ Regis ſtylus in opere Tripartiti part: 1. Tit: 13. expreſſus habeatur his verbis. „Quoniam omnes, inquit, Domini Prælati, Barones, Magnates, Nobilesque, & Proceres totius Regni Hungariæ, nec non Regnorum eidem incorporatorum, ac partium ſibi ſubiectarum. En quam apertè per ſe Proceres regni Hungariæ, per ſe Regnorum incorporatorum, per ſe partium ſubiectarum diſtinguat; ac Pronomen quoque *Sibi*, quàm ad partes regno Hungariæ, tàm ad regnorum incorporatorum ſubiectas referri poteſt, ac debet. Partes verò regnis ſubiectæ ſunt, Hungariæ quidem Moldauia, Valachia Tranſalpina, & Tranſyluania; Iſtria Dalmatiæ, Lyburnia Croatiæ, & Marchia, quæ Ciliæ Comitatus olim fuit, Sclauoniæ. Quod ſi quis voces illas, Regnorum incorporatorum ac partium ſibi ſubiectarum, ſimul & eodem ſenſu accipienda contendat, Tranſyluaniam quoque diſtinctum ab Hungaria regnum fateatur neceſsè eſt, quandoquidem eodem modo ſtylus atque ſenſus partis tertiæ Tit: primi & ſecundi, & aliorum paſſim accipiendus eſt ſimul, cùm dicitur Regnorum Dalmatiæ, Croatiæ, & Sclauoniæ atque Tranſyluaniæ. at nullus hactenus aut ſtylus aut hiſtoricus Tranſyluaniam regnum aſſeruit. Sed & Comes Themeſienſis veteri priuilegio in Epilogis antiquorum articulorum, Generalis partium Regni Hungariæ fuiſſe ſcribitur. Aliæ proinde partes Hungariæ ſubiectæ fuêre, quàm Regna noſtratia; quæ nec partes dici poſſunt, nec vnquam Themeſienſis Comitis poteſtati ſubiacebant, nec ad inſtar prærecenſitarum trium partium, partes appellari queunt. Et demum licet Coronæ Hungaricæ ſubiecta non diffiteamur, cùm ab eadem ſuprema poteſtate pariter gubernentur, vt clariſſimè opere Trip: parte tertia Tit. primo habetur, ineptè tamen prorſus Regno ſubiecta vſurpantur.

Sed vt ad Diuum Ladiſlaum ſermo redeat. cùm horum inquam, Regnorum is Gubernacula ſuſcepiſſet, & Sclauoniæ præſertim populos maiori ex parte iteratò ad Paganiſmum relapſos cerneret; ſummam in eo locauit operam, vt eoſdem auitæ fidei reſtitueret. Quare cùm Diuum Quirinum ampliſſimæ quondam Siſcianæ Vrbis Præſulem, atque vnà cum eo eiuſdem

Regni

Digitized by Google

Regni Paſtorem extinctum, (molari enim lapide collo appenſo Siſcij in Colapim fluuium pro Chriſti fide ab impijs fuerat demerſus) nec vllum ei in munere ſuo ſuffectum videret, quod præcipuè neceſſarium videbatur Epiſcopatum ampliſſimum ad Vicum Italicum in ipſa ferè Saui ripa, in limitibus Sclauoniæ, Croatiæque Regnorum, cum Baſilica vaſtæ amplitudinis, ac ſumptuoſi operis paucis æmula, adiuncto etiam Canonicorum Collegio, totius Hungariæ hiſce temporibus celeberrimo, fundauit, & extruxit, qui deinde ſemen Verbi Dei in infidelium cordibus ad frugem reducendis fructuosè diſſeminarent. Cuius Eccleſiæ, vt quam plurima cætera miſſa faciam ornamenta, illud certè ſilentio præterire non licet, quod vt Joannes Tomcus loquitur, *cùm reliquæ omnes Hungarici Regni Eccleſiæ, vel Turcicum iugum ſubierint, vel hæreticâ labe deformatæ fuerint, ex Cathedralibus, vnica in toto Regno noſtra Sanctiſſimo Apoſtolico Regi dicata, & à fœditate Turcica, & à labe Hæretica prorſus immunis, Apoſtolico Throno pura adhæſit perpetuo; dumq; Apoſtolicis Regibus Hungaricis reliquæ omnes diuerſis Regni reuolutionibus, debitam ſubtrahunt reuerentiam, hæc vna Apoſtolico Rege, ſuis Succeſſoribus firmiſſimam Arcem Eccleſiæ Zagrabienſis tuente, adulterinis nunquam adhæſit amplexibus;* Hæc Tomcus. Ex quibus facilè apparet, & qui vel modicum partibus in iiſdem verſatus eſt, quam ignota ſibi, & nimium falſa Ioannes Ludouicus Godefredus in Arcomtologia Coſmica referat, dum totam penè Eccleſiæ huius Diœceſim Turcico ſubjacere iugo ſcribit, & quamuis pars aliqua nunc Barbaris ſubiaceat, Iurisdictio tamen Antiſtitis Zagrabienſis, fines etiam Sclauoniæ egreſſa, Szaladienſem quoque Hungariæ tractum ſub poteſtate habet. Fatis concedente Diuo Ladiſlao; Milleſimo nonageſimo quinto, qui hæc Regna Pannonibus addixerat, Petrus deinde quidam, è Dalmatarum Proceribus potentiſſimus, eiuſque Regni Banus, adhærentibus ſibi Regulorum quibuſdam, Regnum, nomenque Regium vſurpârat circa annum Milleſimum Centeſimum Decimum, Sclauonia interim & Croatia, ſub poteſtate Colomanni, qui Ladiſlao ſucceſſerat permanente. Colomannus, vt quod ab Anteceſſore Regnum ſuſceperat, conſeruaret, ductis ſecum ſuis per Valeriam inter Sauum & Drauum interiacentem, ac Croatiam; eorumq; populis aduerſus Petrum concitatis, arma mouet; collatis

D. Ladiſlaus Epiſcopatum Zagrabienſẽ fundat.

Colomannus Rex.

Digitized by Google

Petr9 Dalmat Banus à Rege prę-lio cæſus.

deinde cum Petro Bano ſignis in Monte editiſſimo Petergazdia dicto atrociſſimè pugnat, & cœſo Petro Dalmatarum Proceres rurſum fidei ſuæ reſtituit, ac in Pannoniam regreditur. Interea à Venetis quædam in Maritimis Dalmatiæ, ex quibus Iadra præſertim ac Sibinicum fuerant occupata, quo nuncio accepto Colomannus in Dalmatiam propere reuerſus, vniuerſis à Venetis Oppidis recuperatis, eoſdem memorabili exegit prælio, interfecto & Reipublicæ, & Exercitus Duce Ordephalo Phaledro. Hunc Colomanni de Venetis triumphum, fuſius apud Bonfinium, Decadis ſecundæ Libro quinto explicatum petere licet, vbi ſat multa pro more ſuo de Dalmatis interſerit inurbanè. Colomannus obtenta hâc victoriâ diutius aliquantum Jadræ, quæ caput eſt Prouinciæ, immoratur; vbi Ciuium moribus offenſus, quod parùm dicto audientes iudicaret, cùmque memoria repetijſſet, quantum illorum cauſa ſanguinis ſit effuſum, demum id ſibi conſilij ſuccurrit, fore quam optimum, ſi Vrbem tanti belli cauſam iniecto incendio perderet, vt ita quam longiſſimis finem malis tandem imponeret. His conſilijs inſiſtenti dormientique in Regia â ſe ædificata, viſum eſt per quietem adeſſe Vrbis Epiſcopum, vitæ genere, & moribus laudatiſſimis clarum, fato iam pridem functum dictum Nicolaum, habitu, & vultu horrifico, armatum virgis compactis è lauri caudicibus, tum ſe ab illo corripi, tractumque capillis & barba eouſque cædi, donec ſe toto corpore ſaucium gemeret; Vbi euigilauit re ipſa ſe afflictum, ac miſeris modis cæſum, & dolorum ſenſu, & virgarum veſtigijs manifeſtis, quæ corpus vniuerſum fœdauerant, cognouit; Quibus rebus ſe admoneri iudicabat, vt Ciuibus ignoſceret, deteſtandi facinoris conſilio repudiato; Plura, quæ de Colomanno dici poſſent, ea perſequi inſtituti noſtri non eſt, vti & de reliquis Hungariæ Regibus, niſi quæ ad rem noſtram pertinere videbuntur, cum alias copioſè ea cæteri rerum Hungaricarum Scriptores poſteritati tradiderint: Solùm id nobis conſilij eſt, ea de illis referre, quæ noſtrorum hoſce Regnorum occaſione geſſerunt; cæterùm ad Banos præſertim ſermonem reducimus. Succeſſit Colomanno Stephanus Secundus, de quo nihil ad rem noſtram eſt inuenire, niſi quod cum otij potiùs, quàm belli ſtudijs teneretur, Dalmatiamque à Venetis non modò clandeſtinis quotidie artibus, ſed apertà ſæpè vi,

Coloman-nus in ſomno virgis cæditur.

Stephanus ſecundus Rex.

pyra-

Digitized by Google

pyraticâ vexari cognoſceret, ex paterno inſtituto defenſandam eſſe decreuit. Quare nono Regni ſui anno in Prouinciam contendit, vbi vulgò honorificentiſſimè receptus, Prouincialium fidem redintegrauit, nutantes plerorumque præ Venetorum largitionibus & promiſſis animos confirmauit, præſidia accepto vicinis è regnis ſupplemento oppidatim inſtaurauit: mox curata Prouincia in Pannoniam ſe recepit. Tertius ab hoc Geyza Secundus Auunculum habuit quendam Bannum, cuius quidem præclaram omninò mentionem plures faciunt Hiſtorici, prætermiſſo tamen penitus nomine & cognomine, aut ſaltem cuius fuiſſet Regni Banus. Sed quiſquis is fuerit virum fortiſſimum ac magnanimum fuiſſe neceſſe eſt, cùm in eius virtute cruentiſſimi prælij totius felicitatis ſucceſſus, fortuna fuerit conſtituta. Etenim vbi Piſonium ab Alemannis ex inueterato in Hungaros odio, Conrado Imperatore, ac Henrico Auſtriæ Principe imperantibus, operâ Rapolthy, ac Iuliani Comitis, dolo & fraude occupatum fuiſſet, vndè omnibus vicinis Hungariæ finibus maiori fierent terrori; Geyſa quoque extempo ſuas cogit non exiguas fortiſſimorum militum copias, pauciſque poſt diebus in Auſtriam Caſtra mouet; quod vt ſenſere Germani, copias atque auxilia vndique contrahunt, ac ſe ad dimicandum comparant: prælij committendi vbi tempus adfuit, & ſteterunt infeſtæ vtrinque acies, conuitijs primò certauêre Germani copias oſtentantes ſuas, & ſuorum, quos in prima acie collocauiſſent, procera corpora; tùm Equitum aſpectu ferocium frendentes turmas: vnde Germanis ſumma vi impreſſionem facientibus, cùm Beſſi loco pulſi fuiſſent, ſiniſtrum Hungarorum cornu non mediocriter terruêre. At ecce Banus, Regis Auunculus, qui callebat mores hominum, & vt Bonfinius notat, in medio præſidebat agmine, (quo loco animaduertere licet omnibus, cuius tunc Banatus dignitas fuerit prærogatiuæ) ſuccurrere laborantibus, & animare perterritos incipit, ferocem præ ſe ferre Germanos, inquiens, animum primo certaminis impetu, at ſi cum viris res ſit illis, ponere animos, & paratos vinci: his dictis concitato Regio exercitu, ſternere paſſim Germanos Banus, atque idem vt facerent, quibus opem tuliſſet, præcipere pergit. Bani impreſſionem præpetis ad inſtar fulminis aduolantis, Germani ſuſtinere non potentes, infami fuga terga vertunt. In fugam conuerſos noluit longius

Geyza ſecundꝰ Rex.

Banus Anonymus ſtrenuè aduerſꝰ Germanos pugnat.

Digitized by Google

longius Geyſa cum Bano perſequi, quòd ſe victoriâ contentum diceret, intra hoſtium præſertim fines parta; Cœſa Germanorum ſeptem & amplius millia, capto Rapoltho fraudis capti Piſonij Authore, Hungarorum tria cecidere. Interceſſere aliquot poſt Gèyſam Reges, quorum res geſtæ, circa regna noſtra nullæ traduntur â Scriptoribus, præterquam quòd Stephanus Tertius, varijs artibus Dalmatarum animos, Venetorum largitionibus fermè corruptos, in officio & fide retinuerit; Banum quoque inuenio neminem, vſque ad Bancbanum ſub Andrea Secundo conſtitutum. Hic vir magnanimitate plenus de genere Bor oriundus fuerat, quem Pechius non Bancbanum, ſed BencaBanum appellat; crediderim ego Sclauo idiomate Benko, id eſt Benedictum Banum, Latino verò ſermone Banca â peregrinis huius linguæ Scriptoribus vocitatum: Sclauoniæ Banum fuiſſe, vetera Capituli Zagrabienſis ſtatuta teſtantur; vbi eidem Capitulo latifundium quoddam, ac poſſeſſionem ſat amplam & opulentam ex Patrimonio ſuo donaſſe memoratur. Eius in rebus gerendis tàm eximia habita eſt apud Andream Regem prudentia, ac militaris virtus, vt Andreas ſe abſente, dum in Aſiam ſupremus Copiarum Chriſtiani nominis proficiſcitur, eum ſummæ rerum præfecerit, eiuſque fidei Vxorem Reginam, liberos, atque Aulam totam concrediderit. Habebat in matrimonio Benko Banus matronam nobiliſſimam, formaque liberali conſpicuam, pudicitiâ tamen rarâ, & quæ ornaret formam ſimul atque genus vnde originem duceret. Hanc reginæ Gertrudis frater, qui ſororem abſente Andrea ſalutatum venerat conſpicatus, amore eius exarſit, captuſque eſt illicò. Cùmque hic morbus in dies magis atq; magis creſceret, nec jam ſuſtinere vim mali poſſet adoleſcens, quæri apud Reginam cœpit, parùm ſe felicibus auibus in Pannoniam deſcendiſſe, quod correptus ægritudine intolerabili vitam acerbam duceret, ad quæ Soror opem pro viribus pollicetur. Denique amoris flammis patefactis, Regina blanditijs mulierem aggreditur, verbis alloquitur ſolitò blandioribus ac mollioribus, tentat promiſſis. hæc cùm nequicquam fierent, maius quiddam auſa eſt. Certâ die, nec cuiquam præter fratrem cognita, omne illud meridianum tempus, quo ſolitudo ſoleret & quies eſſe in Aula, in ea cura poſuit, vt Matronam vel inuitam amatori traderet; cùm falsò ſibi perſuaſiſſet, tametſi pudicitiæ iacturam

Benco Banus Sclauoniæ.

Aulæ Regiæ præficitur.

feciſſet

feciſſet illa, tacituram tamen vel coactam timore, vel certè captam amore adulteri. Introducta igitur in amantis cubiculum, ignara ſcelerati conſilij pudica mulier, cùm iuſſa manere non obtemperaret; Regina cubiculo egreditur, relicta illa fratri inconceſſo amore æſtuanti: dimiſſa poſt contaminatam pudicitiam infelix Matrona ad Reginam reuertitur, arte diſſimulans ſe ab illa proditam. Hinc commune cùm marito domicilium, certâ pro conſuetudine horâ repetit; quo poſt obita Aulæ munia reuerſus, multâ nocte maritus abditam illam in coniugali thalamo, flentemque inuenit. Cauſas quærenti rem omnem narrat. Et te Benko Bane, inquit, indignum bonorũ Virorum commercio, & me dignam minimè, quæ deinceps luce hac fruar, ſpiritumque ducam, exiſtimato, niſi vtriuſque noſtrum calamitati conſulis. ergò aut tu iugulum petes hodie, non iam tuæ coniugis (neque enim tuis iam amplexibus digna ſum) ſed infelicis, tametſi non ſua culpa, adulteræ vt tuam mea morte ſalutem redimas, fiatque hic thalamus tibi nouo coniugio felicior, aut non impunè feret ſceleratus, & idem violentus adulter, immanem furoris ſui audaciam, Regina ſoror impudens & inauditum lenocinium. Sed te mihi ſuperſtitem cupio, te meliore deinceps coniugio beatum viuere, nam ſi noſtras iniurias voles perſequi, & referre malè meritis quod debes, nimirùm iuſte facti indignas pœnas repetet regium genus, & in te tuorumque perniciem conſpirabit: Me igitur atque hanc ceruicem feri Benko Bane, vt tàm ſæuam & acerbam fortunam, atque hac etiam ſorte crudeliorem, à tuis liberorumque communium, tùm propinquorum ac neceſſariorum auertas ceruicibus. Atrocitate rei & vxoris precibus exanimatus, attonito ſimilis aliquamdiu ſtetit Benko Banus, tandèm doloris atque iuſtæ iræ vi paulùm ſuperata ad ſe redire, rogare miſeram finem lachrymis, finem precibus faceret, indignum dicere marito feriente cadere charam Coniugem, quæ nihil peccauerit: æquius eſſe ducem execrandi facinoris pœnas dare, dedecus atque iniuriam paſſis, monere quieſceret, dum quæ huc pertinerent, curaret ipſe. His dictis egreditur, & per Cubicularium, fidiſſimum quemque ſuorum in cœnaculum intempeſta nocte conuocat; hos conuenire maximo numero intra ædium clauſtra ante lucem iubet, auxilio futuros, ſi illorum operam requirat, ſequentis diei neceſſitatem aduerſus inimicos

quacun-

Digitized by Google

quacunque tandem ſorte obiectos id poſtulare, ipſe clientum & famulatus cateruam, quà in aula niteretur, ſe ſequi prima luce iubet accuratè armis occultatis. At qui conſecutus eſt die, non ſe in Aulam contulit prius, tametſi vocatus, quam epulari reginam cognouit, ratus adeſſe vnà etiam adulterum, in quem velut retenta diù clauſtris fera impetum facturus erat; Ille cum non reuerſam eo die ad reginam à ſe oppreſſam mulierem intelligeret, ſeu pudore, ſeu mali alicuius omine aberat à ſororis menſa; quæ res cùm inſtitutum Benco Bani non nihil remoraretur, vinci tamen non potuit, moræ omnis impatiens indignatio. Itaque exprobrato prius deteſtabili ſcelere, reginæ vulnera infligere pergit, nec ante deſtitit, quàm vidit exanimatam. Tumultus interea ortus in regia, & maior iam paſſim turba Benco Banum defendentium conſpiciebatur, horum corona cinctus, facti rationem reddidit ijs, à quibus vim metuere poterat. Ita ad ſuos lares & Coniugem incolumis eſt reuerſus; mox re familiari amicis commendata, continuato diebus noctibuſque itinere ad Regem contendit. Ad quem in Aſyam cùm iam perueniſſet, indicata aduentus cauſa & reginæ morte, non defuiſſe ſibi facultatem, inquit, qua caueret ſaluti ſuæ cæsâ reginâ propter turpe lenocinium, & miſerum vxoris caſum, niſi tueri poſſe cauſam iuſtiſſimam apud Regem iuſtitiæ amantiſſimum, firmè ſibi perſuaſiſſet. Nil enim actum vnquam ab Andrea præter æquum & bonum, & exactam iuſtitiæ normam ab eo obſeruatam, cùm in alijs rebus omnibus, tùm in perpetua vitæ conſuetudine; petere ſe in iudicijs ſacroſanctis inuiolatiſque examinatam cognoſceret; vt ſi conuictus eſſet, ipſe ſceleris in dominum nefarij, meritas legibus daret pœnas: ſin reginam non immeritò à ſe interfectam docuiſſet, Regis ſententia abſolueretur; Hæc cùm dicerentur amicis Regis præſentibus, nemo omnium fuit, qui non extemplo mutata ſententia in Pannonias Andream reuerſum putaret, turbatum rei inopinatæ atrocitate. Cæterùm nec perturbatus plus nimio viſus eſt, & ſe memoria tenere dixit, quàm de ſe Romano Pontifici, reliquiſque Europæ Regibus ſpem feciſſet; atque hac de cauſa ſe admoneri, vt domeſticis difficultatibus poſthabitis, tametſi grauibus illis, pergeret ducere exercitum quo conſtituiſſet. Redire igitur Benco Banus iuſſus, & expectare Andreæ reditum, quo tempore

Magnanimum Bani facinus.

aut

Digitized by Google

aut abſolueretur, ſi iuſtas facti ſui rationes habuiſſet, aut condemnatus periret genere mortis digno tanto facinore. Miſſi etiam legati in Pannonias, qui Principes, quorum fidei regni cura cum Benco Bano commiſſa fuerat, admonerent, quid eſſet Andreæ viſum de Benco Bani poſtulatis, & vt ſe abſente quieti publicæ darent operam, ſaluis etiam Benco Bani rebus. Exacto in Judæa triennio, ac reportata inſigni à Sultano Ægyptiorum victoria, ab Epiſcopis & Proceribus Regni feſtiuis excipitur acclamationibus; at inter triumphales bene rei geſtæ plauſus, renouabat animi dolorem Coniugis miſerabile fatum, quod toto belli tempore magno animo tulerat. Ingreſſo igitur in regiam, commune cum regina cubiculum in memoriam reuocauit, nec iam tanti caſus atrocitatem latere voluit diutius. Benko juſſus facti ſui cognitionem regi non alijs committere: orare verò ille ne in ſummo rerum humanarum faſtigio conſtitutis alia eſſet pœna lenocinij, & violatæ innocentis matronæ pudicitiæ, quam quæ decreta legibus eſſet in reliquum genus mortalium; contendere id etiam, ita de ſe iudicaret Andreas, ne quid dediſſe affectibus credi poſſet, quod reginæ nondum conuictæ legibus vim intulerit, ac eam interfecerit: atrocitatem facinoris reginæ in cauſa fuiſſe, nec ſe aliud, quam huius facti culpam deprecari; quam committi ideò oportuerit, quod tanto terrarum ſpatio Rex abfuiſſet, quem animaduertere in ſcelus propè inauditum dignum fuerit. Negari ereptam Benko Bani coniugi pudicitiam, atque ita regina duce & adminiſtra non poterat: diſceptatum aliquandiu, jurené à Benko Bano iugulari illa potuerit, cauſa nondum examinata Judicum ſuffragijs. Res cum eo ſpectare videretur, vt ampliatus Benko Banus iterum cauſam diceret: Mihi verò, inquit Andreas, nec morte mulctatam reginam diſplicet, quæ regiam ignoto ad hoc vſque tempus Hungaris ſcelere contaminauit, & Benko Banum mea ſententia abſoluo, moleſtèque fero pollutas eorum ſanguine Pannonias, qui vt perirent, non erat neceſſum legibus. Viuet Benko Banus me Iudice, nec bonis fortuniſque ſuis exutus extorris vagabitur, ſed quæ alijs intra regni mei fines benè beatèque viuendi facultas eſt conceſſa, ea fruetur ille. Ita voce regis ſeruatus Benko Banus, agros & bona vnde excidiſſet, recepit: vxorem, & quos ſuorum amiſiſſet, recipere non potuit. Regem enim ſecuto Benko Bano, iugulatæ reginæ

Regis ſententia Banus abſoluitur.

L liberi

Digitized by Google

liberi implorato Principum auxilio, quos Andreas in Pannonia manere iuſſiſſet, nec quicquam inſecuti proficiſcentem ad regem Benko Banum; verſo in illius domum furore, non liberos eius tantum & coniugem necauêre, ſed omninò, quicunque ex illius familia ſpiritum ducerent. Nec contenti hâc cœde, veſtigauêre propinquos, & ſanguine, aut priuata aliqua neceſſitudine illi iunctos. Iugulati & ij promiſcuè cum intimis & vernaculis ad vnum omnes, præterquam qui fugâ elapſi ſolum vertiſſent. Sed rediere & ij in ſuas ſedes regis de Benko Bano ſententia cognita. Quum Andreas humanis exceſsiſſet Anno Salutis Milleſimo Ducenteſimo Trigeſimo Quinto, Bela filius natu maior Comitijs Regalibus ritè habitis Rex conſalutatur, quem tametſi Bonfinius in principio paternam æquitatem ac iuſtitiam retinere ſtuduiſſe affirmet, Pechius tamen plùs nimiò ſeuero erga ſuos, & auerſo fuiſſe animo refert: patrios exoſum mores, Cumanorum libidini atque licentiæ, quos in regnum datis eiſdem ibi ſedibus admiſerat, indulgentem & addictum; ob quod non immeritò infelix omnibus ſemper prælijs fuiſſe memoratur. Vix Quinquennium regnârat, cum Tartarorum aduentus Hungarorum animos grauiſſimè perculit, totque deindè Rex cum gente ſua ſæuiſsimis Tartaricorum bellorum fluctibus eſt iactatus, donec in Dalmatia, velut è medio naufragio, ad ſecuritatis littus eſt delatus. Ibi à Regni Proceribus liberaliſsimè habitus, vbi etiam plurimis, iiſque præclaris populos gentis noſtræ diplomatibus ac priuilegijs donauit, ac Vrbem Zagrabienſem in Monte Græco ampliſsimis dotatam gratijs fundauit atque extruxit, bonaque quæ nunc Arcis Medued cenſentur, Philippo Quarto Epiſcopo Zagrabienſi dedit, qui poſtea Eccleſiæ pecunijs arcem elegantiſsimi fortiſsimiq; in edito monte operis, ad conſeruandos tàm regios quàm Eccleſiæ, turbatis illis temporibus theſauros, â fundamentis ædificavit. Varaſdinum quoque in Sclavonia â Patre Andrea fundatum, libertatibus ipſe auxit, Cliſſiam in Dalmatia aliaque plura. Elapſo tandem triennio, audito Rex Tartarorum ex Hungaria receſſu, operâ Cruciferorum Inſulæ Rhodianæ, ac Comitum Frangepanorum, quos opibus pollere ac bellicis delectari artibus intellexerat, reducitur. hi enim cum in Dalmatia & Croatia ad Sauum vſque latè imperarent, excidium Pannoniæ miſerati, cum auxiliaribus copijs, ac validiſſimo equitatu Regem in

Bela IV. Rex.

Varia in Croatia ædificat.

Familia Frangepana.

in Hungariam reſtituêre circa annum Milleſimum Ducenteſimum Quadrageſimum Tertium; quare ob rem bene geſtam, non ſolùm ampliſſimis priuilegijs, ſed oppidis & pagis, vt diplomata regia planè teſtantur, honorificè donati ſunt; à clariſſimis profectò iſti maioribus degenerare noluerunt, qui vt Romani ſanè referunt Annales, in Senatorio ordine præſtantiſſimi ſemper habiti, & vt D. Hyeronimus ad Demetriadem ſcribens, ac Anicij generis (ex quo originem trahunt ac cum Auſtriaca Domo ſanguinem iungunt) nobilitatem extollens affirmat, nullum aut rarum in illo fuiſſe, qui non meruerit Conſulatum: Vrbanis tandem factionibus popularium ſuorum in Dalmatiam ſeceſsêre, ac in Croatiæ parte, quam lapideam vocant, ſedem ſibi Segniæ aptarunt, & inter Illyricos Proceres Principatum ſemper obtinuêre. Ex hac omninò familia tot viri celebres, & illuſtres Bani, tot genuini Martis alumni, velut è Troiano equo prodiêre, vt nulla alia, tametſi celeberrima eam æquare videatur. Nam & præter viros potentia, opibus, atque arte militari inſignes, Tiberio quoque ſanctiſſimo Imperatore, Gregorio Magno, ac Thoma Aquinate Angelico gloriatur. Huius præſtantiſſimæ gentis ſplendorem mira Dei prouidentia ad hanc vſque diem non minus in Vrbe Roma, quàm in Illyrico digna talibus atauis poſteritas Frangepanorum Procerum virtus, ſemper eandem exhibet. Sed de his & alibi data referendi copia, agemus pluribus. Porrò Emericum Bebek, ſub rege Bela Dalmatiæ & Croatiæ fuiſſe Banum, veteres teſtantur regni literæ, ſimiliter extant in Archiuio regni literæ, quibus memoratur ad Annum Milleſimum Ducenteſimum Septuageſimum Secundum, fuiſſe quidam Stephanus Sclauoniæ Banus, & Prouinciæ ſimul Styriæ Capitaneus, cuius tamen cognomen ignoratur, verùm hunc etiam Bebekum fuiſſe ſuſpicor, de quo paulò infra. Joannem & Radoſlauum Comites fratres habuit, cum quibus ſuper Triceſimarum quarundam perceptione & abolitione, nec non ſuper diuiſione tributorum prouenientium in Zteniſniak & Zamobor graues habuit controuerſias, quæ omnes Auguſtino Epiſcopo Zagrabienſe Mediatore fuêre conſopitæ. Circa hæc verò tempora vſque ad Nonageſimum nonum, ſupra Duodecimum Centenum Croatiæ Banus Nicolaus de Frangepanibus traditur, cui deinde ſucceſſit Martinus tribus ſupra decem diuerſis religioſarum familiarum

Varij horũ Regnorum Bani.

viris, cœnobijs extructis, ac inter reliqua Diuæ Virginis in Terſath fama clariſsimus. Iacet ibidem ſepulturæ mandatus cum Coniuge Vrſula, ac Fratre Bartholomæo, nec dubium quin idem innata pietate ampliſsimam Beatæ Virginis Baſilicam Oſtariæ vocatam, è quadro ſecto lapide extruxerit, quæ vt olim animarum aſylum, ita poſtea barbarorum vaſtationibus prophanata fortunarum ac vitæ Croatico populo extitit; cùmque annis Centum Vndecim, miri operis fornix, abſque vllo ſtetiſſet tegumento, Anno Milleſimo Sexcenteſimo Quadrageſimo Quinto, Menſe Decembri, plurimis pluuiarum, niuium, ventorumque impulſibus fatiſcens collapſus eſt, ea tamen Dei benignitate, vt cùm Sexaginta in ipſa Baſilica extructa fuerint militum inhabitantium mapalia, omnes tàm homines, quàm jumenta, ſint conſeruata. Anno verò Nonageſimo nono ſupra duodecies Centenum, ſub Andrea tertio dicto Veneto, Croatiæ Bani fuere, Joannes & Henricus, ignoti tamen cognominis; factioſos Bonfinius refert, eo quod cum alijs quibuſdam regni Proceribus à Bonifacio Pontifice maximo, Carolum annorum vndecim puerum, Caroli Siciliæ Regis filium per legatos in Regem expetiuiſſent, & licet Andreas humanis poſtea exceſsiſſet, longa tamen, eaque grauiſsima, inter Optimates funeſtiſsimarum cladium exorta eſt diſcordia; pars enim Carolum, pars Wenceſlaum Otthochari Bohemiæ Regis filium, pars deniique Otthonem Bauariæ Ducem, Regem clamitantes ſequebatur. Cæterùm hi duo Bani in Ciuitate Caproncenſi, Monaſterium nobile Fratribus Franciſcanis extruxerant, vt ex veteri eorum Diplomate conſtat. Eodem anno Sclauoniæ Banus fuiſſe traditur Euſtachius; annis verò inſequentibus, id eſt Milleſimo Trecenteſimo & Trecenteſimo Primo, quibus Veneti ob occupatam Ferrariam à Clemente Pontifice hoſtes Eccleſiæ pronunciati ſunt, & ſeueriſsimo interdicto affecti, ac Tepulana coniuratio aduerſus Patricios Venetis interceſsit, Jadrentes temporum nouitate freti, eiecto Michaele Mauroceno Comite, Sexto Hungaris adhæſerunt: Claſsis ad id continuò comparatur, præficitur ei Bellerus Iuſtinianus, claſſemque cum equitibus mille, quibus Dalmaſium Hiſpanum Veneti præfecerant, ſpectatæ fortitudinis & experientiæ Virum, haud procul ab Iadra in continentem exponit. Ad mille paſſus pro Iadræ mœnibus Præfectus Dalmatiæ Paulus Cliſsiæ Comes & Banus

Croatiæ Bani.

Paulus Banus Dalmat: Iadrã obſidet.

Banus cum validiſſimis copijs propè metatur, vallo & foſſa vtrinque Caſtra muniuntur. Tota æſtas ſine præclaro facinore tranſacta, iam ingruebat autumnus, & nulla adhuc potiundæ vrbis ſpes erat. Banus ad aſtum conuerſus Dalmaſium à Venetorum fide ſubducit, duo aureorum millia, cum perpetuo ſtipendio pollicetur, ſi ad præſtitutum diem ad Jadrenſes transfugerit, varia præterea adijcit emolumenta. Quibus adductus Dalmaſius ex compoſito cum vniuerſo equitatu, ſub prætextu oppugnandæ Ciuitatis vrbem ingreditur, & ex pacto promiſſa præſtantur. Hic poſt menſes aliquot, ad tegendam perfidiæ notam, inter Venetos & Ciues de pace agit; quare vtrinque ſuſpectus eſſe cæperat, deſperata tandem pace naufragium paſſus, in Italiam traiecit. Ciuitas deinde à Ioanne Superantio duce mitis ingenij, Bano cum copijs redeunte, in fidem recepta & cum remiſſæ conditionis mira indulgentia Jadrenſium animos ſibi promeretur. Sed nec illud omittendum, habuerat Andreas Rex Ianinũ quendam Venetijs cum duobus alijs fratribus accerſitum, eius vrbis Ciuem ſibi cum primis charum, quorum fratrum natu minimus Marcus appellatus, Zagrabienſis poſtea fuerat Canonicus. Andreas Ianinum Meduediæ arci vi à ſe occupatæ, ac bonis ſimul adminiſtrãdis Caſtellani officio præeſſe voluit; qui deinde & Regis fauore & facultatum opulentia inſoleſcens, debitam Epiſcopo Eccleſiæque ſubtraxit obedientiam, nullam ijs, vt debebat, bonorum vtilitatem, ſed Regi duntaxat adminiſtrans; mortuo Ianino Regis voluntate ſucceſſit alter fratrum, & illo extincto tertius Canonicus, qui Epiſcopi quoque Ioannis nutu hoc muneris obtinuerat, ea Epiſcopum in id ſpe inducente, eius videlicet ope, velut Eccleſiæ huius beneficiarij, arcem ad Eccleſiam vel poſtliminiò redituram. Verùm ille impia auri fame ſeductus, mortuo Andrea Rege, Stephano Bebeco Sclauoniæ Bano, grandi numerato ære, arcem cum bonis venditam ſacrilegè ab Eccleſia abalienauit. Bebecis ſine maſcula decedendibus prole, arx cum bonis ad Ciliæ Comites, ijſque deficientibus ad Coruinum Banum deuenit; à quo Carlouicijs fortem vbique pro patria operam nauantibus, dono data fuit; quorum vltimo Ioanne, vna filia Zrinio Nicolai Sygethani Patri nuptui tradita, cæterùm liberis orbo, arcem cum filia genero relinquente, etiamnum Zrinianorum Comitum poteſtati paret.

Abalienatio ab Ecclesia Zagrab. arcis Medued.

Verùm

Digitized by Google

Verùm vt paulò ſupra meminimus, diu anceps ſtetit Hungaria, priuatis procerum de eligendo Rege legitimo ſtudijs diſcordantibus, donec tandèm nono diſcordiarum anno Auguſtinus de familia Diui Dominici natione Dalmata, ex vrbe Tragúrienſi ortus, eo tunc temporis Zagrabienſis Eccleſiæ Antiſtes, grauiſſima peroratione in Peſthano campo ſub generali Regni conuentu procerum animos in partes Caroli non inflexiſſet. etenim clauſa iam decimi tertij Chriſtiani ſeculi periodo, Clemens Papa V. Gentilem Cardinalem è familia minorum lectum, virũ ſanctitatis ac prudentiæ opinione eximium, ad Hungaros legatione fungi iuſſit: qui Spalatum in Dalmatiam veniens, Regnicolarum animos Carolo reconciliare aggreſſus eſt: poſtquam ibi res pro voto ſuccedere cognouit, in Croatiam progreditur ac mox Zagrabiam adeundo, Auguſtinum vt laborum Comitem, & conſiliorum directorem, & Hungarici negotij cooperatorem futurum, Budam Regni ſedem abduxit ſecum; vbi anno integro ſedandis optimatum animis abſumpto, indicto denique ſtatuum omnium ſolemni conuentu veteri gen tis inſtituto, iuſſu legati facundâ ſuâ eloquentia, ſic turbæ ſubmouit turbas, procerum ac populi vniuerſi inflexit animos, vt omnium voces in Carolum fauſta precantes coiuerìnt anno Chriſtianæ ſalutis Milleſimo trigeſimo decimo; His abſolutis legatus cum Auguſtino Viennam vrbem Gallicam ad generale Concilium à Clemente Quinto indictum proficiſcitur, quo abſoluto Auguſtinus ad Eccleſiam ſuam Zagrabienſem ſeſe recepit, & quoniam inter alia Viennenſis Concilij Decreta cautum fuerat, vt bona ſecularium violentiâ Eccleſijs adempta, eiſdem reſtituerentur; dum bonus Paſtor circa ſacrorum decretorum executionem ſatagit, (vt fert humanæ cupiditatis inſatiabilis conditio, omnia ſibi per fas & nefas vendicantis) pręcipuæ nobilitatis & Dynaſtarum, qui tempore longi inter regni quæcunque liberent, licere ſibi perſuaſerant, animos in ſe concitauit. Præcipuus non ſolùm Auguſtini, ſed ipſius DEI apertus hoſtis extitit Mladinus Georgij Cliſſiæ Comitis, & Scardonæ Domini filius, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclauoniæque Banus, is enim cùm Paulo Bano Patruo ſuo Dalmatiæ, Ioanni & Henrico Croatiæ, Euſtachio verò Sclauoniæ Banis ſucceſſiſſet, & vt maiorum ſtemmatibus æquè ac diuitijs per ea tempora turgidus, (non ſolùm enim parens ipſius, ſed

Carolus Rex.

Mladinus Dalmatiæ Croatiæ & Sclauoniæ Banus & Tyrannus.

Digitized by Google

& auus ac proauus ex Banis Boſnenſibus deſcenderant) regiâ potiùs abſolutâ, quam Banali delegata authoritate, occaſione turbarum Hungarici Regni, Dalmatiæ & Croatiæ dominio abutens, præſtantiſſimas quaſque ciuitates, oppida & arces priuato iure vſurpans, & à maiorum pietate longè abhorrens, ſacris & prophanis rebus manus inijciens, tyrannus intolerabilis euaſerat, adeò vt Epiſcopos, Abbates, Abbatiſſas, alioſque Prælatos Eccleſiaſticos ſimplici nutu deponeret inſtitueretque, bonaque Eccleſiarum pro arbitrio occuparet, diſtraheret, alienaret; Pyratas magnis claſſibus ex Adriatico mari Italicis littoribus deprædandis emitteret, & vno verbo per ſummum nefas Eccleſiæ puritatem contemnendo, ex aliqua tinctura ſacrarum litterarum, quam ſibi pro ſumma ſcientia arrogabat, omnibus grauis & exoſus habebatur; adeò periculoſo greſſu incedunt ij Principes, qui cum Saule Sacerdotale munus temerariè inuadunt. Illum itaque Auguſtinus, cum tanquam ſui gregis diſſipatorem, & Eccleſiæ turbatorem, ſæpiùs humaniſſimis alloquijs ad ſaniora conſilia capeſſenda hortatus fuiſſet, adeò parum profecit, ut eundem in deteriora ſemper prolabentem infenſiſſimum hoſtem experiretur, eoque res deduceretur, vt ne regia quidē authoritate potentiſsimi Tyranni petulantia poſſet cohiberi. etenim anno ante obitum Auguſtini Milleſimo treceteſimo vigeſimo ſecundo cùm Traguríenſes & Sicenſes cognoſcerent ſe ab impio Mladino intolerabili tyrannide opprimi, excuſſo illius iugo, arma contra eum Venetorum protectione freti, corripuerunt. Ille verò ingenti exercitu comparato, integro menſe Sicenſes incredibilibus affecit incommodis, vniuerſo illorum agro deuaſtato ac in ſolitudinem redacto, vndè ipſimet ciues nobile Monaſterium ſancti Andreæ, manibus Seraphici Patris fundatum extra mœnia ciuitatis, ne foret hoſti munitio, ſolo æquare coacti ſunt, ſicuti aliud tale Deiparæ dicatum etiam ipſi Tragurienſes affecêre ruinis hucuſque factum atteſtantibus. Nec tot malis exſatiatus Tyrannus, euocatos ex vrbe Sicenſi ſub fide publica Saracenum Michaelem, & filios Eliæ Radonauerij totius vrbis primarij ciuis, crudeliter in eodem agro ſubiecit gladio, ſicuti pridem cum quarto eorum fratre captiuo egerat. Inde ad campum Tragurij properans, conſimilis feritatis effectus in eoſdem patrauit. Fuit attamen

Au-

Digitized by Google

Auguſtino aliquo ſolatio, quod eodem anno Proceres Dalmatiæ ac Croatiæ cum ipſo Paulo Fratre Mladini impatientes eius immanitatis, armis mutuo ſumptis, tyranni ſæuitiem ita depreſſerint, vt captum deducerent ad Regem Carolum, qui tum temporis propè ciuitatem Tinninienſem cum exercitu acceſſerat, vindicaturus indignam necem perpetratam parricidio & ſacrilegio nepotis ex Fratre Paulo ſuſcepti, eiuſdem Mladini in caput Pauli Draskouich Scardonenſis Epiſcopi; Iã tum nimirùm familia hæc alto in Eccleſiæ gradu, maximarum dignitatum futura hæres, iecerat fundamentum. Vndè Magiſtratu ſpoliatus, captiuitatem ſubire fuit coactus in ipſa Zagrabienſi Ciuitate, in qua ſumma impietate ſanctiſſimum vexauerat Epiſcopum. Itaque Mladinus Tyrannus dignitate, fortuniſque omnibus
2. Machab. 5. ſpoliatus, inſtar Iaſonis alterius Tyranni Machabæorum hiſtoriâ infamis, poſtquam principatum non obtinuit, vt notat ſacer hiſtoricus, finem inſidiarum confuſionem accepit: fugiens enim è captiuitate, de ciuitate in ciuitatem, vt refuga legum & execrabilis factus eſt: intercedente tamen ſanctiſſimo Præſule pro ſuis Ciuibus, in Tragurienſium tandem, hoſtium ſuorum manus incidit, quibus talem animorum manſuetudinem ſanctus Ciuis Auguſtinus, poſt decimum quartum annum in Zagrabrienſi Prælatura exactum, & ſextum in Lucerina iam vita functus impetrauit è cœlo, vt hoſtem acerrimum Dijs hominibuſque inuiſum, eiuſdem abſque dubio ſancti Præſulis interceſſione reſipiſcentem, & ad bonam frugem redeuntem, quamdiu ſuperuixit, commodis & obſequijs coluerint, eidemque mortuo nobile ſepulchrum pietatis Tragurinæ perenne monumentum, in ſua Cathedrali cum ſequenti poſuerint inſcriptione, ad hanc vſque diem marmoreo tegumento, ante marmoream ibidem Cathedram, ſiue Euangelici verbi ad Ciues habendi pretioſum ſuggeſtum exſtante ſtylo illorum temporum non ignobili.

Heu gemma ſplendida jacet ſub hac pet } ra
Cuius valor perijt nunc in foſſa tet } ra

Mla-

Mladinus Magnificus, qui Cliſſiæ fu } it
Comes, ſuis ſola ſpes, cur tam cito ru }

Georgij Comitis memoriæ bo } næ
Natus, atque dominus Almiſi Scardo }

Probitatis titulus, morum & hono } ris
Vt flos vernans, defluit Vir tanti valo }

Croatorum clypeus fortis & ipſe er } at
Inter omnes fortior volens ſiue que }

Eius mortem impiam cerno pro peccat } is
Sclauoniæ gentium eueniſſe grat }

Flete Sclaui nobilem nepotem Banor } um
Largam veſtram copiam pacis & hono }

Sic preces altiſſimo date Creato } ri
Quod ipſe miſericors parcat peccato }

Hactenus Epitaphium Mladini pro barbarorum temporum Stylo quanta maxima diligentia fieri potuit, ex marmore jam tranſeuntium pedibus attrito, ex Joanne Tomco in vita Beati Auguſtini excerpſimus. Sanè verſus illi: eius mortem impiam,&c. monere videntur, Mladinum hanc barbaræ crudelitatis ſeueritatem Sclauicæ gentis Procerum egiſſe impulſu, vt proinde pro eorum peccatis gratis impiam mortem, id eſt ingloriam ac ſine pietate (officio vtpotè fortuniſque priuatus, ac captiuitate mulctatus) ſubijſſe dicatur, illique quorum inſtinctu egerat, mortem ac facinora eius deflere admoneantur. Mortuus traditur octauo die, ſed incerti Menſis, Calendis verò Maij anno 1340. traditus ſepulturæ. Poſt Mladinum Sigiſmundus Ferrarius, Demetrium Banum ex Familia Chakiana, Sancti Mauritij Ordinis Prædicatorum patrem, fuiſſe ſcribit; verùm neque annum, neque ſub quo Rege, aut cuius Regni

M Banus

Digitized by Google

Banus fuiſſet, quidpiam apponit; ſolùm id ſe ex archiuio Banſiano deſumpſiſſe affirmat; quod proindè cuius ſit fidei, liberam cuiuis relinquo ſententiam. Ego ſanè adduci ad fidem habendam haud poſſum, cum nunquam Chakiani, vtpotè Tranſyluani, hiſce in regnis poſſederint bona, lege porrò veteri cautum eſſet, neminem bonis ibidem carentem, hac officij dignitate perfungi poſſe, ob quam etiam cauſam Franciſcum Balaſſam in Criſienſi conuentu à ſimili dignitate, repudiatum narrabimus.

Ludouicus Rex.

Inaugurabatur in Regem anno Milleſimo Trecenteſimo Quadrageſimo Secundo poſt obitum Caroli Ludouicus, ijs fauoribus, ac tàm propitio populorum, ac ordinum omnium conſenſu, quo nemo alius præcedentium regum; ex huius enim generoſa indole, ac ſtudioſiſſima patris & aui educatione, fauſtiſſima quæque, vt euentus poſtea firmauit, vulgus ariolabatur; nihil ſiquidem antiquius à ſuſcepto iam regimine habere videbatur, quam comem & affabilem omnibus ſeſe præbere, populum ſuum crebris concionibus ad bene ſperandum animare, & militari exercitatione armorum benè peritum reddere. Hic ſanè Rex adeò regna hæc noſtra curæ ſibi ſuſceperat, vt nullus priorum Hungarorum, tam ſollicitam ac vigilantem, & in coërcendis factioſis ac rebellibus, & in repellendis extraneis inimicis, induſtriam adhibuerit. Vbi enim primùm elapſo ab inauguratione biennio, id eſt anno Milleſimo Trecenteſimo Quadrageſimo Quarto, in Croatia Dalmatiaque, à pleriſque regulis cum ingenti nobilium manu, quorum Principes Venetorum factionibus ſollicitato rumor erat Gregorium Cyriaki, & Joannem Nilipcium fuiſſe, (eorundem regnorum Banos Mladini motos exemplo facilè ſuſpicari poſſumus) nouos exciri motus intellexit; eueſtigio Stephanum Boſnæ Regem, qui quidem eâ tempeſtate in Illyricum & Macedoniam vſque Regnum propagârat, & Stephanum eiuſdem regni Banum ſocerum ſuum, cuius filiam Elizabetham, liberali forma fœminam, connubio ſibi iunxerat, ad id bellum euocauit. Illi ſiquidem quum oppida multa & caſtella in Croatia, magnamque Sclauoniæ partem occupaſſent, quantò res cunctatius agebatur, tantò maior periculorum fiebat acceſſio. Itaque adductis auxiliaribus Boſnenſium copijs, numero & robore præſtantibus, ad Sauum amnem cum ijſdem Ludouicus

caſtra

caſtra iunxit. Croatiam ingreſſi ad oppidum Bihicium peruenere, vbi cum aliquandiu metatis caſtris ſtatiua habuiſſent, ita rebellium animos igni & ferro conſternârunt, vt omnes ad veniam implorandam venire cogerentur. Atque imprimis duo Reguli defectionis auctores, quos haud paucus nobilium numerus ſequebatur; impetrata venia, & accepta pace omnes in Ludouici manus iurârunt, ſe legitima tributa quotannis penſuros, imperata facturos, & fidem ſuo Regi perpetuo ſeruaturos. Hæc vbi geſta ſunt pacatis Regnis hi à Rege dimiſſi, & ſoluta caſtra. Non multò poſt Ludouico nunciatur Gregorium in Croatia noua rurſum moliri, defeciſſe â data fide, & præſtitum contempſiſſe juſjurandum. Indoluit Reguli perfidiam Ludouicus, & quantum pro tempore fieri potuit, exercitum inſtaurauit, & Andream Magiſtrum Equitum Tranſyluaniæ Waivodam, cum duabus legionibus in Croatiam properare iuſſit. Quo vbi perventum, cruento vtrinque commiſſo prælio, Gregorius tandem victus, oppida quæ defecerant, recepta, & prouincia pacata, Gregorioque obſequium perpetuum promittente, factionibus impoſitus finis. Conſopitis inteſtinis hiſce ſeditionibus, ad recuperandum à Venetis Dalmatiæ regnum, quod ſat longo tempore occupatum tenebant, animum vireſque omnes intendit Ludouicus. Jadrenſes ſiquidem præcipuè per feciales ad illum miſſos, vltrò polliciti eſſent, ſi in Dalmatiam cum Exercitu veniret, ſe non modò antiquum obſequium præſtituros, verùm etiam Vrbem, portum & agrum, fortunas denique omnes vltrò dedituros; ſtudioſiſsimam Iadrenſium fidem Ludouicus haudquaquam aſpernandam ratus, vniverſas vires in eorum tutela ſtatuit experiri; ingentem proinde comparat exercitum, quando cum validiſsimo ſibi hoſte rem fore intelligebat: ſed nec Veneti minori apparatu terra marique inſtructi aduenêre, atque ſtatim pro mœnibus Iadræ in continenti militari opera munitionem extruunt; pro qua ſæpiùs acerrimè â Ludouico, quamuis irrito conatu, dimicatum; vnde tandem Ludovicus re infectâ in Pannoniam, ad commodius rem tempus dilaturus, eſt reuerſus. Verùm ne otij quidpiam Ludouico à fortuna conceſſum videretur, in Apulia illi exortum fuerat bellum, quo demùm felicitèr confecto, ac Siciliæ regno in manus Pontificias reſignato, compoſitiſque Italiæ rebus in ingratum redactus otium de occupatis

Digitized by Google

Illyrij prouincijs, & in primis de vſurpata à Venetis ora maritima, ſollicitè cogitare cœpit. Grauatè ferebat in Italicæ gentis populos inſtaurare bellum, ne imperandi potius amore, quàm recuperandi ſpe id indicere videretur: literas proindè primum, ac tum deindè feciales ex more gentium ad eoſdem, qui Dalmatiæ Vrbium, quas illi dudum occupatas tenebant, repetundarum gratia proficiſcerentur, expedit. Nec tolerare facilè poterat, nobiliſsimum maris Adriatici tractum, tot populi Romani Colonijs inſignem, ab Attila primo in ditionem aſſertum, qui ante Venetorum Vrbem, latiſsimè in orbe imperarat, ab illis eſſe occupatum, qui Hunnici belli fuêre reliquiæ. Res diu literis & legatis agitata, ſæpè per oratores repetita Dalmatia, literarum tandem & oratorum opera ludificata omnis. Nec minùs quidem illud gravitèr patiebatur, quod primò verba ſibi dari, deindè propria impudentèr abnegari ſentiebat, armis dirimendam litem eſſe ratus, ne quid inconſultis proceribus ageret, Senatum indixit. Vbi ad patres de occupata Dalmatia, ac de Socijs in poteſtatem aſſertis retulit, haud pauca conſecutus de ſuſcipiendo in Venetos bello, magno omnium aſſenſu fit Senatus conſultum, deindè delectus habetur longè quàm antea maior. Annales Veneti Centum, Hungarici Quadraginta hominum Millia in Caſtris Ludovici referunt numerata. Totus itaque Adriatici Maris tractus Regis inundavit milite, ac cum cæteris, qui officere potuiſſent, clam inita ſocietate, vno tempore Jadram, Sibinicum, Spalatum, Traguriumque obſedit; deſcendens deinde in Terviſinum agrum, plerique Principes ac Nobiles Regi adhæſerunt. Atque ita demùm ob ingentem belli molem, è Dalmatia copias revocare Veneti cogebantur, ne dum foris rem impenſiùs curarent, domi graviſſimè laborarent: vnde deſtituta Provincia, obſeſſæ â Ludovico Vrbes, ac aliæ certatim, in eiuſdem ceſsêre poteſtatem. Hâc adducti neceſſitate, denuò ad Ludovicum Legatos mittunt, vt quibuſcumque tandem conditionibus & pactis, ab eodem pacem obtineant; Atque hæc demùm mutuo ſtatuêre conſenſu: vt Venetus Dalmatiâ totâ excedat, neque Regni illius titulos vſurpet impoſterum; nullam præthereà ſe in eos quæſtionem habiturum animadverſurumvé promittat, qui in Teruiſino bello fauiſſent Regi, quin & perpetuâ immunitate donentur; è contrario Ludovicus quidquid in

Dalmatia à Ludouico recuperata

Iſtria-

Iſtria Terviſino, & Ceneteſe agro Venetis ademiſſet, his vltrò reſtitueret. polliceretur inſupèr Rex ſe neminem Dalmatici nominis pyraticam exercere paſſurum, imò daturum operam, vt omnia in Dalmatia Venetis haud aliter tuta forent, quàm antea fuiſſent. Atque ita invitis licet Venetis fœdus percuſſum, ac Dalmatia recuperata.

Cæterùm, cùm Ludovicus Quadraginta regnaverit annis, & menſibus ferè duobus, plures durante eius imperio fuêre Bani, & Thuroczius quidem cum Bonfinio meminerunt Petri cuiuſdam, Viri impigri atque ſtrenui, quem primò ad gubernandum, atque à Lithvanis protegendum Raſciæ Regnum, cum Emerico Bebek, cuius etiam ſupra meminimus, emerito iam prorſus, ac omninò veterano milite Bano tranſmiſerat; hic idem Petrus, ſumma nominis ſui, ac militaris virtutis commendatione, Ciuitatem Bonnonienſem aduerſus Mediolanenſes Optimates, Barnabonem, & Galeacium, precibus Pontificis Vrbani Quinti â Ludovico expetitus defendit; ac in manus Ægidij Cardinalis Legati Apoſtolici reſignavit; demùm moto Venetorum inſtigationibus inter Carolum Imperatorem & Regem Ludovicum bello, Ladiſlaus Apuliæ Dux, & Petrus Banus, cum expeditiſſimo equitatu, in Moraviam mittuntur, qui provinciam ingreſſi vicos & caſtella quædam improbè munita populantur & incendunt, pecora abigunt, multoſque abducunt captivos, onuſti deniquè præda, ac laudis præmio meritiſſimi domum revertuntur. Cuiuſnam verò Regni Petrus fuerit Banus, reperire certo non licuit, quod idem de Matthæo Marotta, qui ad annum Milleſimum Trecenteſimum Quinquageſimum in literis vetuſtioribus fuiſſe legitùr, dicendum. Hunc tamen Sclauoniæ præfuiſſe, ſuſpicari poſſumus ex eo, quod cum Nicolao Zagrabienſe Antiſtite, & Ludovici Vice-Cancellario illi interfuerit prælio, quo Stratimirum Bulgariæ Principem, Imperatorem ſeſe eiuſdem Regni nominantem, captivum in Epiſcopi Caſtellum Gomnek dictum, ſitum ad tertium à Chaſma lapidem ducendum, ac cuſtodiendum eiſdem Ludovicus commiſerit; qui tamen cùm fidem ſe perpetuam ac obſequium Ludovico præſtiturū pollicitus fuiſſet, magnificè donatus, reddito Regno dimiſſus eſt. Similitèr Petrum Croatiæ & Dalmatiæ Banum dixerim, cui deindè Dominicus de Machovu ad annum Milleſimum Trecenteſimum Quinquageſimum

Petrus inſignis Banꝰ Dalm: & Croatiæ.

Matthæus Marotta Sclavoniæ Banus.

mum

mum Primum, illi demùm Ioannes Horuaty, omnium infauſtiſſimus Banorum ſucceſſerit. Anno inſequenti Milleſimo Trecenteſimo Quinquageſimo Primo in Valachia Oppidum Severinum, à Severo olim Imperatore ædificatum, ac vetuſtate collapſum, inſtauravit Ludovicus, totique Oppido adiacenti tractui, Nicolaum Banum dictum Severienſem ſummâ cum poteſtate præfecit, quemadmodum & in Regno Raſciæ, Dominicum Oſtffy Banum Machovieuſem, cum Zemere Vice-Bano, qui partes eas in Jura Hungarici Regni concedere juberent. Vnde in his Tranſalpinis partibus Tractum quendam Machovienſem appellatum reperiri putem, cùm ſæpius tàm in Privilegialibus literarum Inſtrumentis, quàm in alijs Hiſtoricis huius nominis Banus fuiſſe legatnr, vt iam de Dominico diximus, & in hunc annum Milleſimum Trecenteſimum Quinquageſimum Primum Stephanus de Macho in quodam Privilegio reperitur, poſt hunc verò Nicolaus de Gara, eius quam Sclavoniam dicimus, partis indigena, (Poſegam enim versùs, Arx & Mons Garavicia dictus habetur) & quoniam dubium quibuſdam videtur, Illyricæné an Hungaricæ Garay ſit nationis, brevi Iſtuanffy teſtimonio hunc evellimus ſcrupulum, qui folio 144. hæc habet. Adhæſerant ei Joannes Banffius, Petrus Marcius Poſegæ Comes natione quidem Hungarus, ſed qui ducta Laurentij Garay filia, ſedem & domicilium in Illyrico haberet, &c. Hæc Iſtuanffy. Vir miræ virtutis, ac ſingularis in arte militari diſciplinæ, apud Bonfinium & Thurocium invenitur, qui non ſolùm hoc Banatus honore, ſed poſtea quoq; meritis id ſuis expoſcentibus Palatinatus dignitate â Ludovico honorificè donatus fuerat. Porrò alij etiam inde oriundi, tametſi alterius fuiſſent Regni Bani, inde tamen cognomina vſurpauêre, vnde originem ducerent; etenim in annum Milleſimum Trecenteſimum Octogeſimum Primum legitur totius Sclavoniæ Banus Ioannes de Macho, & Stephanus de Lindua dictus Banffy, quorum poſterior (vt & hoc breviter attingam) Haholt cognominabatur, qui Patrem Jacobum Sclauoniæ ſimilitèr Banum habuit, totum enim Veruciæ Comitatum in Sclavonia poſſidebat; vnde Stephanus filius Hungaricâ appellatione Banffy, quaſi Bani filius dictus fuerat, quam quidem nominis originem ex vetuſtiſſimæ huius Familiæ priuilegio, Illuſtriſſimi atque integerrimi Patroni Palatini Draſcouicij

Varij Bani.

Nicolaus de Gara Banus & Palatinus poſtea, ex Sclauonia oriundus.

Primævum Banffianorum cognomen.

uicij

Digitized by Google

uicij opera annotauimus. Sed anno Sexageſimo nono ſupra Tredecies Centum moritur Vroſsius Nemania Raſciæ ſive Seruiæ Rex, cuius filiam in vxorem duxerat Tuartcus, id eſt Valerius Iablanovich Regni Boſnæ Banus, qui huiuſcé Coniugij titulo, poſt Wkaſſini fatum, Regium nomen ad ſeptem alios reges ſuccedentes ſibi, progreſſu temporis tranſmiſit. Atque hi quidem in arduis quibuſué bellorum negotiorumque difficultatibus fidelem ſemper Ludouico nauauêre operam, horum labore, induſtria, ac dexteritate ſibi ſuiſque laudis ac gloriæ famam, inter Chriſtianos Principes ſummam comparauerat: & quod ad rem noſtram pertinet, his egregiè vbique depugnantibus, Dalmatiam ſuæ fecit eſſe poteſtatis; Boſnæ, Raſciæ, Bulgariæ regna; Valachiæ Lithuaniæque Prouincias, horum gubernio ac fidelitate, in ſuo obſequio ac fide retinuit. Denique cum has omnes ſuperaſſet, Venetorum præcipuè faſtum, recuperatâ Dalmatiâ attenuatum fuiſſe Ludouici arte, & in hoc regnum affectu nemo dubitat, qui vt occupatam è Venetorum faucibus Dalmatiam aſſereret; & ſuas & ſociorum vires experiri voluit, ne à magnis cœptis magnanimus Princeps, cui parem olim nunquam ſortitum eſt Illyrium, turpiter deſinere videretur. Nec immeritò hæc egit Ludouicus horum enim Regnorum pernicie ac ſanguine contempto, facilè ſe vincendum ſentiebat, neque dubitabat, felici eorum progreſſu victori ſibi Europam patere, & quia terminos gloriæ ſuæ, non locorum ſpatijs aut Imperij dilatatione, quam adeptus fuerat; ſed nominis ſui immortalitate quam affectabat, metiebatur; in animarum quoque lucrum, vt Chriſtianum decebat Regem, curam ac cogitationem ſollicitam impendit: vt proindè in Boſna Peregrini Epiſcopi Boſnenſis viri ſanctiſſimi opera vſus Patarinos, perniciosiſſimis implicitos erroribus, ad fidem adduxerit. In Sclauonia quoque noſtra, cùm multos deprauatis opinionibus imbutos intellexiſſet, quibus Sacerdotes ex Diui quondam Hyeronimi inſtitutione Sacra miniſtrabant, ad veram ſapientiam reduxerit. His igitur abſolutis Nicolao de Gara, in apicem honoris Palatinatus ſublimato, Ioanni de Horuath Banatus Dalmatiæ, Croatiæ, & Sclauoniæ dignitate inſignito, Stephano de Laczk Tranſyluaniæ Vaiuodatu collato, Paulò demùm Italo Prælatura Zagrabienſi remunerato, alijſque Regni officijs

Amor in hæc Regna Ludouici Regis.

Ioannes de Horuath, Dalmatiæ, Croatiæ & Sclauoniæ Banus infelix.

eo

Digitized by Google

eo temporis vacantibus diſtributis, annos ſex, ſupra quinquaginta explens anno ſalutis 1382. matura quidem ætate, ſed multis magis exantlatis laboribus, magnificiſque cumulatis triumphis, in cœlos perpetuum triumphaturus abijt.

Sublato ad ſuperos Ludouico, proponitur in ſcenam Carolus cognomento Paruus, alias Secundus. mundi fabula, fortunæ ludus ac ludibrium, ambitionis pila, clariſſimumque humanæ inconſtantiæ ſpeculum; cui quantùm antea inſtabilis Dea ſe benignam atque placidam in adipiſcendis honoribus ac regnis exhibuerat, tantùm in crudeliſſima ac funeſta ipſius nece rebellem ac ſeueram præſtitit; pulcherrimo nobis ſcilicet documento, vt cùm ad ſumma quæque magno omnium hominum applauſu extollimur, magis nobis verendum eſſe, quam gratulandum aduertamus. A morte Ludouici, quem omnis ſexus, ordineſque omnes, indicto triennali in vniuerſo regno luctu deplorabant; filia ipſius Maria, ob inſignia Patris merita, omnium conſenſu atque ſuffragio Regnicolarum Rex deſignatur, & ſacro Diademate coronata, Regimen ſuſcipit; Verùm citò pleroſque optimatum tædium & ſatietas fœminei cœpit Imperij, ac præſertim Paulum Epiſcopum Zagrabienſem, Ioannem Banum, Stephanum Tranſyluaniæ Vaiuodam, & Andream fratrem eius, ac Stephanum Simontorniam, vnde haud ſanè felicibus auſpicijs Neapoli Carolum Paruum accerſendum, Zagrabienſemque Præſulem ad eum ablegandum decernunt; quam ille quidem legationem ſub ſpecie ſingularis deuotionis, votiq; exoluendi cauſa Romam ſe proficiſci ſimulando, prompte ſuſcepit, ſimùl & ex arbitrio Procerum peregit. Carolus enim dominandi libidine ſuccenſus, nec contentus ſui regni quiete & tranquillitate, oblatum regimen Ciuilibus laborans diſſidijs, amplexus eſt. Conſcenſis igitur cum Paulo Antiſtite Oratore navibus, mœſta licet Coniuge aduerſa ominante fata, velis inflatis aquis ſe concredidit, & optatis ventis ſpirantibus, vbique fortuna obſecundante, alta maria ſulcat, donec ad Segnienſe applicuit littus. Huic Segnia Vrbs maritima, Arx rupe celſa prominet, Dalmatiæ quibuſdam, alijs verò Croatiæ Metropolis. Qui verò in Dalmatia ſtatuunt, Croatiæ Metropolim Bihicium eſſe volunt. Inde aſperitate montium minimè tardatus, ad Zagrabienſem Ciuitatem Sclauoniæ primariam venit, vbi

Carolus & Maria Reges.

eum

Digitized by Google

eum eiuſdem vrbis Epiſcopus ac Orator in multarum affluentia rerum grata hoſpitalitate fouit, donec noui Regis aduentus fama latiùs diuulgaretur; Tandem egreſſus inde, comitantibus & applaudentibus Regni Proceribus, fœmineumque ſceptrum deteſtantibus Budam peruenit, ibidemque coronatur. Sed penes Carolum diuturna non ſtetit poteſtas, quod nimirum ambitu, prauâ calliditate & ſimulatione potiùs, quàm verò patrocinio eandem aduerſus Mariam affectârat: Etenim Palatini Garæ aſtu, manu verò Blaſij Forgach, cui Arx Ghymes, ob patrandum facinus promiſſa, dataque poſtea fuerat, conſentientibus in ſcelus Reginis, infelix Carolus capite ſaucius, vitam, famam, regnumque reliquit Hungaris. Palatinus rei ſucceſſu admodum confirmatus, cum militibus ad id præparatis Regiam occupat, Arci, foribuſque præſidium imponit: tùm verò illuceſcente die altero, permixta militi extera pagana multitudo, ad rapinas conuerſa, nec ætati, nec ſexui parcit: ex amicis Caroli quicunque occurrunt, paſsim obtruncantur, cædibus per vicos & compita graſſatur; & multò crudeliùs omninò ſæuijſſet, niſi Ioannes Banus, vnus ex omnibus Caroli partibus adhærentibus, in tantò furore interceſſiſſet; hic enim cum valida manu Portam, quam vocant Sabbathi, non ſine crudeliſſimo certamine occupauit tumultumque conſopiuit.

Quænam verò poſt Caroli cædem, quam anno ſalutis 1285. factam ferunt, acciderint, quàm grauia, quàm magnorum virorum nece, & ſupplicijs funeſta, diſertis Bonfinij verbis potiùs, quàm proprijs proponere libet. Poſt Caroli cœdem, » inquit, Regina cum Nicolao Palatino, Blaſioque parricida ſine » prætoriana cohorte Sirmium Saui accolas Myſioſque luſtrant; » nihil interfecto Carolo vltra verentes, omnia ſibi tuta putant; » nulliuſque inſidias ſuſpicantur. Cùm Diui Iacobi feſto Dia- » cum verſus iter facerent, ecce in medio campo Ioannes Croa- » tiæ Præfectus, qui Caroli Regis partes potiſſimùm olim ſecta- » batur, audito Reginarum & Parricidarum aduentu, coactâ tu- » multuriâ multitudine, cum multis Equitibus eas adoritur, vt » iniquam Caroli mortem, veluti fas eſſe putabat, datâ occa- » ſione vlciſceretur. Cùm Aulici Palatinique homines, ſe hoſti- » bus impares eſſe noſcerent, in primo congreſſu dedere terga, » ne vano conatu omnes juxtà caderent. Blaſius Forgach inge- »

» nitâ fretus audaciâ, primoſque impetus excipiens equo deturba-
» tur, captus in Reginarum conſpectu, quæ curru vehebantur,
» confeſtim obtruncatur. Palatinus deſperatâ ſalute forti ani-
» mo mori ſtatuit. Quare telis vndique petitus tot aduerſo cor-
» pore ſagittas ferebat, vt ſine earum fragore brachia circummo-
» uere non poſſet: ſubiere tandèm plerique currum, ſubreptumque
» pedibus Palatinum humi ſubuertunt, & ante Reginarum con-
» ſpectum obtruncant. Pergit deindè Bonfinius preces, & lamenta Reginarum ad Ioannem facta, Elizabethę matris occluſis faucib⁹ in proximum flumen Boſſutam ſeu Bacuntium dictum ſubmerſionem, Mariæ verò in Croatiam abductionem, ac in arcem Crupam ſub cuſtodia incluſionem enarrare; quam tamen audito Sigiſmundi è Bohemia in Hungariā aduentu, ſupplicante ſibi priùs Maria, & ad Sacroſancta Diuorum Lypſana iuramento fide ſancita, ſe vniuerſarum iniuriarum oblituram patriſque loco ſemper Ioannem habituram; tandem reſtitutis vniuerſis rebus eius, inſigni apparatu comitatuque Budam remittit. Coronato in Regem Sigiſmundo, & in Budenſem reuerſo Regiam, per multos dies de pacando Regno & componendis optimatum litibus agitatum eſt. Maria verò, cui nihil materna vindicta videbatur antiquiùs, dies ac noctes ad id Sigiſmundum irritat inauditas iniurias, & illata probra oculis obijcit, mortemque Ioannis, in ſe ac matrem Tyranni, inſtantiſſimè poſtulat. Vincitur tandèm Reginæ precibus Sigiſmundus ac Legiones duas cum Equitibus expeditiſſimis comparat in Bulgariam adverſus Turcam ſe bellum moturum ſimulans. Interea Amicorum litteris admonetur, Ioannem Croatiæ Præfectum Poſegam, quod Regale foret oppidum, clàm tutandi ſui gratia occupaſſe, loco quidèm & arte munitiſſimum. Ibi igitur admotis machinis die noctuque acerrimè oppugnatus, ne ad extrema redigeretur, clàm Arci ſe ſubtrahit, ac eâ parte vbi Amicos fortè ſuos ſe præſtolari ſenſerat, cœcâ nocte ſeſe ſubripit. Mox traiecto Sauo, Dobor Regni Boſnæ Oppidum, vbi Zagrabienſem Antiſtitem cum pleriſque alijs eſſe nouerat, ſubiuit. Horum arte plerique Dalmatarū, Boſnenſiū, Sclauorum, & Croatarū, à Sigiſmundi fide defecerant. Quò intellecto Sigiſmundus Savum traijcere, ac Dobor Oppidum circumuenire eſt coactus. Celerem & audacem Regis obſidionem hi admodum formidarunt, imò vſque

Sigiſmundus Rex.

adeò

Digitized by Google

adeò ſunt abſterriti, vt Ioannes ne in anguſtijs iterum ſe occluderet, ante acerrimam ſe cum nonnullis obſidionem indè proriperet, ratus eadem ſe fugæ fortuna potiturum; verùm multò aliter, atque ſperauerat, res accidit In Regis ſiquidem inſidias concidit, captiuuſque in Sigiſmundi conſpectum adducitur, quem diligenti cuſtodia is aſſeruari iubet. Interim Dobor expugnat, & Epiſcopum capit, Boſnam poſthæc, Croatiam deindè, Dalmatiamque omnem in ditionem ſuam recipit. Pacatis Regionibus in quinque Eccleſiarum Vrbem Rex cum vniuerſo exercitu ſe recipit, captiuoſque omnes adduxit. Ibi pro dira Mariæ Libidine de Ioanne ſupplicium ſumptum eſt, reuinctis enim ad palum manibus per Vrbes, Vicos, & Compita curru circumuectus, cadentibuſque fruſtillatim forcipibus, paſſim diſcerptus, poſtremò ad genitorios vſque gradus tractus, quadripartitoque diſſectus eſt, cuius fruſta corporis, ſingulis portis, ad deterrendam aliorum audaciam impoſita: Cœteri capite mulctati. Zagrabienſis Epiſcopus huiuſce nouitatis auctor, ad Sacro Sanctam dignitatem cùm Capitalis eſſe non poſſet, Epiſcopatu publicatis bonis abdicatus eſt. Atque hic fuit tragicus ille infauſtiſſimi Banorum omnium Horuati vitæ terminus: cuius immanes pœnas, ac crudele ſupplicium vnius fœminæ vindictæ avidæ, voto patratum; ac inſtar alterius Herodiadis Ioannis caput perſequentis, violato inſuper, quòd ad Sacro Sancta Diuorum Lypſana præſtiterat iuramento; illud, inquam, ſummæ impietatis vindictæ genus, dùm attentiùs conſidero, non niſi in indignationē ſurgit animus: Quid enim vnquàm Ioannes commiſit, quò ſe vir tantus, tam barbaræ crudelitatis reum conſtituiſſet? novitatis, inquit, Auctor cum Epiſcopo, & Regiæ Primipilaus factionis fuit: Sed nunquid Palatinus Gara impiæ factionis Auctor non extitit, dùm per ſummum ſcelus perfida fidei ſimulatione Caroli Regis vitæ, ac dignitati Regiæ ſtruxit inſidias? an non paulò ſupra Cyriachium, & Niliptium iteratis vicibus in Croatia, Stratimirum Principem in Bulgaria, Ludouico perduellionis fuiſſe reos retulimus? quod ſi Ioannes Mariam Reginam captiuitate dehoneſtauit, at quæ non infamia dùm hic ipſe Sigiſmundus Mariæ Dominus Gareſſium Palatini filiorum infames ſubire eſt coactus carceres? an non exoculatos Hungariæ Reges legimus? Sed quid plura, plena Hun-

Mors Ioannis Bani.

Defenſio Ioannis Bani.

Digitized by Google

garorum Hiſtoria eſt rebellibus, vt auſim dicere, nullum ferè fuiſſe Regem, qui in ſe refragatores non habuiſſet, quandò verò de his omnibus, tàm immane ſumptum eſt ſupplicium? quid quod iſti nulla oblata cauſa iuſta, ſola aut levitate animi, aut libidine dominandi ſtimulante priuata ſtudia ſint conſectati, ac talia patrare auſi: quam verò æquiſſimas Joannes noſter, alium quærendi Regem, fœmineumque deteſtandi ſceptrum rationes habuerit, in comperto eſt. Nam cùm viderent plerique Optimatum, Eliſabetham Matrem Palatinum potiſsimum in Conſilium admittere, nimiùm ei credere, ex eius ſententia cuncta gerere, nihil denique inconſulto illo conari; quis hæc Vir probus ac fidei conſtans, æquo animo pateretur? Cùm Palatinum auctoritatis multum apud Reginam adeptum intelligerent, vnde conſulere deinde cœpit, né ſuos Proceres nimis extollat, nimiumvé donet, quandoquidem iam potentes effecti, imperata non facerent, detrectarent fidem ac obſequia; præpotentibus quibuſdam attenuandas eſſe vires, auferendos quoque Magiſtratus quicunque formidoloſi eſſent: Vndè multos ſibi è Proceribus Regina habere ſuſpectos occœpit, in pleroſque immerentes odium & ſuſpicionem concipit, quemvis denique è gratia ſua Garæ nutu promoveri, aut ſubmoveri patiebatur: Cùm hæc, inquam, aliaque plurima quæcunque cuperet, pro libidine ſua fieri intelligerent, nullus ſanè probus tàm tranquillæ mentis, ac conſtantis ſibi animi eſſe poterat, vt ad molienda nova non moveretur. Sed Regio, inquit rurſum alius, ſacrilegas temeravit manus ſanguine. Ita quidem, ſed vbi interfectus ab Vngaris Rex Petrus? vbi Palatini Garæ perfidiâ Carolus interemptus? hoc nimirùm facto præclarè famoſum illud ſuum ſtabilivit dictum: Coronatum Sacro Diademate Regem, vel ſi bellua foret, nunquam ſine magno lædi poſſe ſcelere. Vbi Gertrudis Regina Andreæ coniunx, â Benko Bano neci data? quis horum vnquam non capitali dico plexus ſententia, aut ſupplicio, ſed vel publicatis bonis condemnatus? neque ſanè Gara, nefandi ſceleris debitas exoluiſſet pœnas, niſi vlciſcente Ioanne vitam Jure poſuiſſet. Et ſanè nec Maria diu iniquam tulit in Joannem vindictam, paucis enim elapſis annis, repentino ſublata fato, infauſto ſimul omine foris Sigiſmundo depugnante, è viuis deceſſit; Et ipſe poſteà Sigiſmundus, tàm ignominioſæ conſentiens

neci,

Digitized by Google

neci, infami captiuitatis ſub cuſtodia, lugubres traduxit dies, pallidaſque amariſſimis lachrimis inundans maxillas, pœnas dedit. Quamquàm nec Joannes adeò in Reginam ac Palatinum offenſum oſtendiſſet animum, niſi Tuartcus Boſnæ Rex, eum ſuâ fraudaſſet tutelâ, cui in Vſzore tractu aliquot aſſignatis Dominijs, maiora adhuc ſpoponderat, ſi tumultuantibus ita rebus Vngaricis, eius ope Vngaria potiretur, vt Orbinus refert. Neque tamen hæc eo dicta velim, vt violentas Ioannis in Regium ſanguinem manus innocentes aſſeram; id ſolùm dixiſſe animus fuit, eum, nullo Juris ordine indicto ac ſeruato, imò contra fidem Sacramento ad Sacra Divorum Lypſana præſtito ſancitam, tàm acerbas ſubire debuiſſe pœnas, quas nemo aliorum æquè reorum ſubijt, in Viro generis ac dignitatis ſplendore conſpicuo, plus crudelitatis quàm iuſtitiæ ſpeciem præbuiſſe. Atque hæc pro Ioanne dicta ſunto.

Sigiſmundus, né, vt quondam Xerxes Perſarum Rex, poſt infelicem belli in Græcia geſti finem ſuæ improviſionis pœnas daret, ſic ille ad Nicopolim Anno Milleſimo Trecenteſimo Nonageſimo Sexto infeliciter pugnans, fugitivo ſimilis altas Danubij ac Maris aquas nauigans, Conſtantinopolim, inde Rhodum, ad Regnorum deniquè Dalmatiæ, ac Croatiæ oras appulit. Duo de viginti menſibus partibus in iſtis commoratus, tandem Joannis Archiepiſcopi Strigonienſis, ac Stephani Fratris de Kanyſa, tùm verò præcipuè, Ioannis de Marotta Sclauoniæ natalibus claro orti ſtemmate, Sclauoniæ, Croatiæ, ac Dalmatiæ Bani poſtea etiam Machovienſis, (Joannis Horvathy ſucceſſoris Anno Milleſimo Trecenteſimo Nonageſimo, quo ſupplicio eſt affectus) ope ac induſtriâ in Regnum reſtitutus eſt. Sed rurſum nouercante fortunâ, anno quarto poſt reductum Regem, iam gens ferè vniverſa, ex omni ordine, â Regiâ defecerat fide, & limis eum oculis omnes intuebantur: duorum & triginta Equitum cœdes, Nicopolitana clades in inuidiam, Mariæ verò obitus, & inita poſt illius mortem intemperantia fœminarum præcipuè, quibus præ licentia Cœlibatus ſe fecerat obnoxium, in contemptum adeò grauem hunc adduxerat, vt mox facto impetu, in ipſa Budenſi Regia die Sancto Vitali Sacro, Regi manus inijcerent, hoſtili more frementes caperent, diſtraherentque. Fatum fortaſsè Iulij Cæſaris ſubiuiſſet, niſi Marottha Banus, cum paucis amicis inter-

Ioannes de Marottha Dalmatiæ, Croat: & Sclauoniæ Banus anno 1390.

Digitized by Google

interceſſiſſet. In vincula demùm, ac ſquallidum coniectus carcerem, adhibitaque Procerum cuſtodiæ cohors, filijſque Palatini Garæ cuſtodiendus eſt aſſignatus tàm diù; donec captiui Regis gemitus aſsiduos Gararum Fratrum Mater, Nicolai Palatini coniunx, diù tolerare non potuit, ſed tandem filijs efficacißimis perſuadet rationibus, quò ſi ſaluti ſuæ impoſterùm quoque conſultum velint, Regem è cuſtodia miſſum faciant. In ſeriam hæc filij ſumpſerant conſiderationem, ac varijs deinde moti cauſis, acceptâ demùm per matrem jure jurando à Sigiſmundo immunitate, de omni bonorum, fortunarum, honoris ac vitæ ſecuritate, in Moraviam, inde in Bohemiam, Sigiſmundum è cuſtodia dimittunt. Auditâ Regis eliberatione, Marottha Banus præcipuus è Regis amicis vlciſcendi auidus, eam Vngariæ intulit vaſtitatem, vt Turocius aſſerat, ſuæ ætatis ſenectutem, eius minimè oblitam fuiſſe. Sigiſmundus ex Bohemia in Vngariam ope Hermanni Ciliæ Comitis ac totius Sclauoniæ Bani Soceri ſui reuerſus, in omnes olim coniuratos ſimulatione vſus, tandem conſultò in Sclauonia vbi amicos ſe habere ſentiebat, minuſque quosvis ſibi reſiſtentes formidare videbatur, vniuerſalem indicit Diætam. Comparuêre quidem frequenti numero Stephanus Laczk Vaivoda, cum reliquis factionis ſectatoribus: at ecce in medijs negotiorum conſultationibus, ſigno dato, Stephani edicitur cauſa, ac eveſtigiò tùm ob crimina Maieſtatis læſæ, tùm quòd primus Paiazetem Turcarum Imperatorem in Sclauoniam induxiſſet, graveſque ibidem, ac vniuerſum Sirmium per eundem depopulationes edidiſſet; à Nobilitate captus, à Lictore verò eſt capite plexus. Cœterorum, alij gravi ære, exilio alij mulctati. Conquieverat Sigiſmundus ab his inteſtinis rebellantium motibus annos plures, donec & Imperiali Diademate, & Bohemico ornaretur ſceptro: at ecce cùm annus ſalutis 15. ſupra 1400. ageretur, in Regno Boſnæ Hernoia Spaletij Dux, multis Turcarum centurijs in ſocietatem aſſertis, vanâ correptus temeritate, à fide Sigiſmundi deficit; ſolum enim à Paulo Chupor Boſnæ Bano in præſentia Sigiſmundi mugitu ſemel per iocum ſalutatus, eò quòd aſpectu & moribus bovem referret, adeò hâc irritatus eſt iniuriâ, vt grauiſsima Boſnenſibus intulerit detrimenta. Proceres, quibus Regnorum cura auctoritate Regiâ credita fuerat, Boſnenſium nouitate commoti Reipublicæ

ſocio-

Digitized by Google

ſociorumque ſaluti conſulere coguntur. Itaque contractis celerrimè copijs, turmis Equitum Joannem Marottham Banum, Ioannem Garam, & Paulum Chupor Regni Boſnæ Banum ritè præficiunt, cohortium Præfecturis Nobilibus aſsignatis. In Boſnenſium Prouinciam exercitum ſat amplum deducunt, manuſque cum hoſte conſerunt, & licet forti animo, vtrique ſuis freti viribus, diu ancipiti dimicaſſent marte, tandem tamen à rebellibus ſtetit victoria. Multi Vngariæ Proceres in hoc occubuêre prælio, plerique etiam capti, Ioannes Gara, & Ioannes Marotth in captiuitatem incidêre; quippe qui dùm turpiter cedere nolunt, nonnullis ex hoſte cæſis, demùm circumuenti ſeſe tandem dedidêre: Gara, poſt multos dies voto ad Sacroſanctam Euchariſtiam nuncupato, diſruptis pedicis, è duro ſeſe vindicauit carcere: Marotthus, abnegatâ fugæ copiâ multa ſe ab hoſte pecunia redemit. Paulus verò Chupor, qui pari fortuna captus fuerat, immaniorem nactus hoſtem, bouino tergo inſutus, in profluentem ab Hernoia, cum his verbis demerſus eſt; Qui ſub Humana ſpecie bouina quondam voce vtebaris, bouinam quoq; nunc cum voce formam indue. Amiſſa à noſtris hac victoria, maiorem ſanè Boſnæ partem, Pajazetes deinceps in poteſtate retinuit. Noua hic oritur difficultas, cùm ad annum 1384. ſub Maria Stephanus de Lindua totius Sclauoniæ, Stephanus verò Philpes de Machov, & Themplinus de Sancto Georgio, Dalmatiæ, & Croatiæ Bani in Generali Hungarorum concilio inueniantur, quamuis Ioannem Horuatthy, à Ludouico conſtitutum fuiſſe, & tragicum eius exitum, ad annũ 1390. accidiſſe certo conſtet. Similiter ad annum 1405: Sigiſmundi Imperatoris Decreto 3. Machouienſis duntaxat Banus Ioannes Marotta, Dalmatiæ, Croatiæ, & Sclauoniæ Banis, Paulo Biſſeno, & Paulo de Peth exiſtentibus ponatur; ab hiſtoricis verò idẽ Ioannes Marotta ante & poſt annotatũ annũ hiſce tribus Regnis præfuiſſe conſtituatur: quæ quâ ratione ſtare poſſint, aliud occurrit nihil, quàm vel hiſtoricos in annorum ſupputatione lapſos, vel hos duos medio tempore præfuiſſe, ac Marottam denuo eiſdem ſucceſſiſſe, quod aliàs etiam factum fuiſſe, poſterioribus temporibus advertere licebit, vel eodem plures ſimul fuiſſe tempore. Sanè crebriùs hæ nobis, & paſſim occurrent difficultates, quarum aliam non reperio cauſam, quàm Hiſtoricorum negligentem annorum animaduerſionem,

Marottha Banus in Boſnam mittitur.

nem, quod aliàs etiam obſervabimus. Quanquam Hiſtoricorũ etiam conſuetudinis ſit, eorum præterire nomina, quorum tempore memorabilì accidit nihil, quemadmodùm ad annum 1435. Sigiſmundi Imperatoris Decreto ſexto, invenire eſt Hermannum, Ciliæ & Zagoriæ Comitem, Socerum Sigiſmundi totius Regni Sclavoniæ, de quo paulò ſupra, Joannem præterea & Stephanum Frangepanos Dalmatiæ & Croatiæ Banos, quorum tamen poſteriorum mentio apud Hiſtoricos nulla extat. Ad annum pari ratione ſupra citatum 1405. in Decreto Sigiſmundi tertio, memorantur filij duo Comites Frank, & Simon, filij Konya Bani, quorum ille Curiæ Regiæ Judex, hic porrò Janitorum Magiſter fuerat, cuius ſanè denominationis originem, niſi agnomen alicuius Bani fuiſſe credamus, non ſatis aſſequor; Quamquàm & huius Konya Bani origo, nomen, annuſque incerta atque ignota nobis veniunt. At Joannes Marottha vivis tandem excedens, in Eccleſia Nitrienſi ſepultus requieſcit.

Hiſcé eiſdem temporibus, Stephanus Loſoncius Banus, ad ad componendas in Tranſalpinis partibus Walachorum Principum diſcordias, à Sigiſmundo miſſus legitur; Verùm cuius fuerit Regni Banus, non conſtat, cum Marottham viuum adhuc gravi ære redemptum à Boſnenſibus retulerimus, eius verò ſucceſſorem ad annum 1418. Davidem Laczk de Zanto, ex vetuſtioribus privilegijs fuiſſe legamus. Qui, cùm duos in Regimine annos non exceſſiſſet, eius geſtorum nullam Scriptores fecere memoriam. Porrò hic Loſoncius, cruento in Walachia commiſſo bello, dùm hoſti impar eſſet, poſt multam partis vtriuſque ſtragem, capitis ſui damno, vitæ pariter, & bello ibidem finem dedit. Mortuo Sigiſmundo, Dalmatiæ pars magna, Venetorum largitionibus corrupta, ad eoſdem deficit.

Stephanus Loſoncius Banus.

Succeſſit Davidi Bano, in Præfecturam anno ſalutis 1420. Matthko, id eſt Matthias de Thalocz, Raguſinis ex Patricijs oriundus, quem Bonfinius Dalmatiæ ſolum, Thurocius verò Croatiæ ſimul ac Sclavoniæ toti præfuiſſe narrat, potentem in Regno Virum, famâque clariſſimum, vterque conſentit. Hic Banus, defuncto Alberto Sigiſmundi Succeſſore pro Wladiſlao Lithvaniæ Duce, vt Vngaris imperet, cum Epiſcopo Croatiæ Tininienſi (vel ut Callimachus vult Segnienſi) in Poloniam vnanimi Procerum conſenſu anno 1440. decernitur, qui è ſententia confecto

Matthko de Thalocz Dalmatiæ, Croatiæ & Sclauoniæ Banus Anno 1420.

negotio,

Digitized by Google

negotio, cum Epiſcopus apud Ducem velociorem vrgens profectionem, cum Ladiſlao Pallochio remanſiſſet, ipſe verò Banus cum Joanne Pereni, ac Emerico Marchalli Waivodæ filio, legationis Collegis Reginæ ac Optimatibus felix nuncium adferre maturaſſet; Regina interea, ſeu qui deſperaſſet Marem parere, cum tantarum rerum in ſpem natum intueretur, crudele nimium & immane videbatur, ſi veluti propter novi coniugis charitatem, ſacratiſſimorum affectuum oblita, mater à debita Regni ſucceſſione filium excluſiſſet: ſeu adducta perſuaſionibus quorundam, qui rei Polonæ male affecti erant, præſertimque Vlrici Comitis Ciliæ, qui Tutorem ſe poſthumi fore, ac ſummam rerum obtenturũ credebat, ſententiam mutauerat. Atq; ideò Legatos qui redire iuſſi pertinacitèr mandata peregerant, in cæterorum optimatum odium adducit, ac redeuntes ad ſe in vincula conijcit, moxque voluntatem ſuam immutatam diuulgauit. Eodem tempore fuêre Bani, Nicolaus de Wylak, & Ladiſlaus de Gara Machouienſes, quorum poſterior Prefectura quoque Viſſegradienſi ac Coronæ cuſtodia fungebatur: Verùm cum ſtudioſiùs Reginæ partes ſectaretur, ac ſimulato tantùm ad vmbratilem inaugurationem Vladiſlai obſequio comparuiſſet, ibidem detentus Viſſegradum Polono Regi tradere cogitur, ac tandèm ab officio aſſeruandæ coronæ amouetur. Nicolaum Wylak huius temporis Croatiæ Banum Bonfinius ponit, ſed Librariorum vitio, illo in loco hunc irrepſiſſe credo errorem, cùm ipſe poſtea vnâ cum Thurocio Machouienſem fuiſſe conſtantèr affirment, quibus & Callimachus ſuffragatur, qui Matthiam è cuſtodiâ Elizabethæ, Tonſoris ſui ope, eliberatum narrat, ac denuò Regnorum ſuorum nomine, perpetuam ſe fidem Vladiſlao ſeruaturum ſpopondiſſe; ſed & Franco Thalocz, Frater Matthconis Wylakium anteceſſit, de quo breui: Venit & à Rege Boſnæ, ad Vladiſlaum Legatio apparatu, Viriſque inſignis; quæ repetito gentis ſuæ primordio, eundem cum Polonis auctorem generis ac communem linguam Boſnenſes habere cùm dixiſſet, & ob eam linguæ, ac originum veluti cognationem Regem ſuum magnoperè gaudere, quod cœptis Vladiſlai felicitatem adeſſe vulgaretur: fœdus deindè & amicitiam ſanctiſſimè cultam ſeruatamque inter Boſnæ & Vngariæ ad id Vladiſlaus Rex.

Stephani Regis Boſnæ Vaticinium.

temporum Reges, vel iniri, vel renouari poſtulauit. Gratiſſimo ab Vladiſlao legatio accepta animo, auxiliaque aduerſus Turcam, ac ſocietas oblata, pari referuntur affectu. Fuerat hic Rex Boſnæ Stephanus Dabiſſa, frater Stephani Dabiſſæ Boſnæ Bani, de quo ſupra; Vir religione fidei, ac animi magnitudine inſignis, qui cum Regni ſui partes ſæpiùs à Turca vellicari ſenſiſſet, neque ab eius temporis Romano Pontifice, ac Venetis præſertìm expetitas obtinuiſſet ſuppetias, dicere ſolitus fertur: aduenturum adhuc tempus, quo Chriſtiani Principes ſummo dolore torquerentur, quod ſuis olìm conſtricti anguſtijs, Boſnenſibus laborantibus, debitis auxilijs opportunò non adfuerint tempore, id quod ſanè præſentia noſtra tempora, heù nimium quantùm! Sed cum Phrygibus ſerò, deplorant. Moritur interea circa hæc tempora Matthias Banus, hac officij dignitate tribus, aut quatuor ſupra viginti functus annis, cui nec juxta votum ſuum licuit Vladiſlai partibus in prælio fauere, quod contra Elizabetham committere fuerat coäctus. Res prorſus mira, duo Machouienſes Bani in diuerſas diſtracti factiones Nicolaus de Wylak, & Ladiſlaus de Gara vno ſimùl concurrêre prælio: Nicolaus cum Hunniade Ioanne, viro æternâ memoriâ, ſed nullis condignis laudibus celebrando (Demetrij olim Epiſcopi Zagrabienſis, ad duodecim equos ſtipendiario:) Vladiſlai partes: Gara Reginæ tuebatur. At ſtetit ab Vladiſlao victoria præclaris illis Ducibus præeuntibus. Duos reliquit. Mattheo Banus fratres Zovvanum, & Franconem (quem Thurocius quodam loco Perconem appellat:) id eſt Ioannem & Franciſcum. Hanc ſpectatæ virtutis, magnanimitatiſque familiam, Sigiſmundus Imperator, ob rem vbique benè geſtam nimis extulit, omnibuſque honoribus excoluit, vnde cum Matthiæ trium contuliſſet Regnorum Præfecturam, Ioannem Auranæ Prioris officio & Capitaneatus Nandor Albenſis, quam à Georgio Deſpoto dono acceperat, decorauit. Franco deinde fatis concedente Matthia fratre in Banatus Dalmatiæ, Croatiæ, & Sclavoniæ dignitatem, ſub Vladiſlao ſubrogatur. Sed de Ioannis virtute hic aliquid dignum referre puto: Eodem ferè anno, quo Albertus è vivis deceſſit, Amurates æſtuante mutuis diſſidijs Pannonia Raſciam occupauit, ac Georgio Deſpoto Principe eiecto, Hungariam ſolicitare cœpit. Aggreſſus igitur

tur

tur Belgradum, Thaurunum olim dictum, quod Sauus ac Danubius vtrinque allabitur, arctiſſimâ cinxit obſidione. Præfuit Arci ſat valido cum Præſidio Ioannes ſiue Zouanus Talocz Raguſanus (quem Callimachus Florentinum exiſtimauit:) eâ ingenij calliditate, eâ animi inuictique roboris magnitudine, quâ ſe vniuerſæ antiquitati in generoſitate parem, nobis qui ab hac illius virtute longè abſumus, ſuperiorem, poſteris etiam admirabilem reddidit. Amurates ſiquidem in ſeueriſſima oppugnatione ſpatio ſeptem Menſium exacto, neque apertis irruptionibus, neque mœniorum conquaſſatione, neque ampliſſimorum munerum pollicitatione, neque demùm clàm adactis Cuniculis, aut Vrbem, aut Ioannis virtutem expugnare potuit. Vnde cum dedecore ſummo, nec minori ſuorum detrimento (cùm Callimachus Septemdecim millia, Bonfinius verò viginti quinque ibidem diuersâ fortunâ interijſſe ferat:) pedem inde referre ſit coactus. Ioannes verò ob Albam ſtrenue defenſam perpetuam ſibi, domuique ſuæ laudem comparauit. Succeſſit in officium Ioanni, qui illud ob confectam annis, ac laboribus ætatem in manus Regias reſignauerat; ſucceſſit, inquam Ioanni Ioannes alter Coruinus dictus Huniad; decebat nimirum viro tàm eximio, virum quoque paris virtutis, felicitatis maioris ſufficere; qui non tàm arcis huius Præfectura, verum & Banatu Szeuerienſi ſub idem tempus, ac Tranſyluaniæ ſimul Vaiuodatu eſt honeſtatus.

Corvinus Ioannes Huniadi Banus Szeuerienſis, & Vaivoda Tranſyluaniæ.

Fratri verò Matthiæ, qui duobus & viginti annis Banatus officium adminiſtrauerat, Francus de Thalocz, vt paulò ante retulimus, in trium Præfecturam Regnorũ annno 1442. ſuffectus eſt. Huius ſub regimine Vladiſlao Regi cœterum fideliſſimi, vtpotè cuius opera præcipuis in prælijs vſum fuiſſe poſtea conſtabit, cum prædicta extiterint Regna, neſcio quomodo Callimachus referat, inſtigante Ladiſlao Gara Bano Machouienſi, vniuerſam Dalmatiã, ac Croatiam ab Vladiſlai defeciſſe fide, adeò, vt paucis diebus ſummo populorum conſenſu propè iuſtum exercitum in armis habuerit Ladiſlaus: aduerſus quos deinde miſiſſet Coruinum, vt ſi fortè intra ferri diſcrimen cum ſuis Ladiſlaus ab inſtituto ſe retrahi pateretur, aut ſi parum perſuadendo proficeret, vires adhiberet. Quùm verò ſpretâ pacis oblatione Ladiſlaus armis non linguis „
decertandum reſpondiſſet, infelici omine congreſſus, ſuis ple- „

Franco de Thalocz Dalmatiæ, Croatiæ & Sclauoniæ Banus ann. 1442.

»riſque authoritate, ac opibus præclaris in captiuitatem reda-»ctis, ſaluti ſuæ fugâ conſuluit. Coruinus verò à re benè geſtâ, »retrò quâ venerat, ad Vladiſlaum cum captiuis ac præda redijt. Jlle captiuos haud ſane duriter increpitos, fideique ac iuſ-iurandi admonitos, præterea cognationis, quæ propter communia vetuſtæ originis primordia inter Polonos, Croatiæque, »ac Dalmatiæ cultores eſſet, quaſi contra ſanguinem ſuum arma »ſumpſiſſent, in cuſtodiã tradi iuſſit. Sed poſt paucos dies captiui »omnes liberalitèr dimiſſi, plerique etiam viatico, alijſque rebus »neceſſarijs adiuti, qui grato animo fidelem ſubindè operam »Regi, multis gerendis rebus præſtitere: Atque hæc Callimachus. Sed mirum ſanè, quod nec Thurocius, nec Bonfinius, nec Orbinus, vllam defectionis huius attingant mentionem, cum præcipuas cœterùm Coruini victorias, haud quaquàm prætermiſerint, Bonfiniuſque admodum Callimachum de rebus ab Vladiſlao geſtis, paucis exceptis ſecutus fuerit; vnde labe quâdam ſuſpicionis Callimachus carere non videtur, aut reliqui incurij prorſus, rem tàm memoriâ dignam negligentes fuere ſcriptores. Cœterùm tametſi Vladiſlao tribus imperij ſui annis feliciter omnia proſpereque ductu Coruini aduerſus Turcam ſucceſſerint, vltimus tamen, quo ruptis cum Amurate inducijs, ad Varnam Bulgariæ Oppidum infeliciſſimè pugnauit, funeſtiſſimus prorſus ac fatalis ſibi, totiuſque Nobilitatis Vngaricæ flori accidit. Icto enim ad decennium induciarum fœdere inſcijs, cùm quibus mutua auxilia pactus fuerat Principibus Chriſtianis, inſtigantibuſque Iuliano Cardinale, ac Gergio Deſpoto, quod promiſſis hoſtis non ſtetiſſet, ad inferendum Turcis bellum, tandem Vladiſlaus, tàm frequentibus ac ſollicitis acquieuit poſtulationibus. Motis igitur Szegedino copijs ad Varnam ventum eſt, ibi prima luce diei ſequentis Coruinus, accitis ad ſe Iuliano, Deſpoto ac Francone, Regem de futuro belli certamine conſulturi accedunt: cumque Iuliano ac Franconi muniri Caſtra intra currus, diſpoſitis circum machinis, ne hoſtis inſultandi opportunitatem haberet, placuiſſet; id verò Coruinus cum Deſpoto minimè probaret, quod obſidioni ibi, quam tolerare diù nequaquàm poſſent, periculũ videretur; tandem agglomerante hoſte paſſum ſine mora Coruino acies inſtruendi poteſtas facta: Franco dextro Præfect⁹ cornu cum Agrienſi

Epiſco-

Epiſcopo Simone fuerat, Deſpotum cum Iuliano ſub ſe habens. Præmiſerat Amurates expeditiſſimorum Equitum millia circiter ſex qui vires magis hoſtium inſpicerent, quàm tentarent. Oſtendere itaque ſe illi primum ad dextram in collibus, vnde totũ exercitum ordinemque facilè æſtimare poſſent. Cœterùm ſeu pugnæ auidi, ſeu Chriſtianorum paucitate contemptâ ex interuallo ſagittis hoſtem irritabant. Sed cum Franco Agrienſiſque ſuos continerent, ne fracto per accliuum primo impetu languidi ad hoſtem in collem peruenirent: Turci timorem id rati paulatìm deſcendere in æqua inque ipſos ordines impreſſionem facere cœperunt. Tum Franco id verò minimè ferendum præfatus hoſtes ſcilicet, qui paucis ante diebus ſupplicitèr pacem petendo, ad decertandum ferro nullum eſſe in ſe momentum confeſſi forent, quique ſuperiori anno toties ex acie fugiſſent, & ſcopulorum inuijs latebris, veluti præcariam vitam deberent vltrò victoribus inſultare: ſignum dedit ſuis identidem iactans vt virtutis felicitatiſque ſuæ memores, in aciem prodirent. Non ſuſtinuit irruentes Turcus, retroq; per accliuum collem verſus celeritate equorum ſe vulneribus eripiebat. Superuenit interìm reliqua Equitatus multitudo, cuius pars in deſinentem iam vallem ſe recepit, pars inuecta in Regios ſubeuntes cliuum deturbat eos, agitque in præceps. Illi rurſus in plano congregati aciem reſtituunt, pugnandoque acritèr quantùm hoſtium ex collibus in æqua deſcenderat per vallem ipſam in fugam vertunt atque inſequuntur. Deſpotus cum Franco ſuperabundante hoſtium multitudine â collibus, vltra quam ferri poſſet cum ſuis retro ad munitiones ceſſerant. Ibi diu ancipiti Marte pugnatum, ſed vbi Lesko Bobritius, qui audendo hortandoque certamen extraxerat, multis vulneribus confoſſus, moribundus ex equo cecidit, haud dubiè res Turcorum ſuperior habebatur, nec iam milites tantum, ſed currus etiam oppugnabantur. Quorum nonnullos impetu primo everſos, vt diripi Rex vidit, cum Corvino properè illuc contendit, ne, quod adverſæ pugnæ vnicum Præſidium ſuis futurum erat, ab hoſte præriperetur. Eius adventu, fortuna ſubitò mutata eſt; verſi enim in fugam Turci, vltra duo millia paſſuum cœſi, fugatique ſunt; tantus erat ardor inſequentis â tergo Regis: qui revocante impenſius Corvino, tandem omiſſis fugientibus, rurſus Deſpoto & Franconi laborantibus, auxilio

Francus Banus ad Varnam generosè pugnat.

auxilio accurrit; redintegrauerant ſiquidem Turci prælium, ex totâ illuc valle converſi. Cumque acriùs multò reſtauratum fuiſſet certamen, invectus Rex in hoſtes, equo vulnerato ac in præceps labenti, per dextrum effuſus armum telis Ianicharorum obruitur. Amiſſo Rege, ac dilapſis exercitus ordinibus, è Ducibus non niſi Corvinus, Deſpotus, ac Franco cum aliquâ exercitus parte rediêre. Atque hic infauſtus Regiæ vitæ Vladiſlai terminus, anno Regni eius quarto; ſalutis verò noſtræ quadraginta quatuor, ſupra 1000. & 400. accidit; quo in prælio Regis potiſſimum, Corvini, ac Franconis enituit virtus. Vix cum Banus longi itineris, ac certaminis feſſus laboribus domum reuertiſſet, pacataque ſuæ quondam credita regna curæ ſe reperturum gaudebat, nunciatur Vlricum Comitem, qui Szagoriam, Varaſdinum, Campronciumque Oppidum, præter alia multa tenebat, auditâ Regis morte, ac infauſto Corvini ſucceſſu, nova moliri, & quadrageſimæ reſipiſcentiæ tempore, vniuerſam Croatiam Sclavoniamque infeſtis armis perturbare; multa in vtraq; provincia oppida occupaſſe, & ni in tēpore provideatur, perbrevi totam Dalmatiam in Tyrannidem redacturum. Admonitus de his à Francone Corvinus, ac vt in Vlricum ſecum arma deflecta, ſolicitè inſtat. Haud morâ, Corvinus præter Dravum ſubiens, vt in hoſtis conſpectu fuit, proximâ nocte tumeſcentem fluvium, cum quatuor millibus equitum ducante Francone natando traiecit: Mox infeſtam Ciliæ Regionem incurſat, vaſtat agros, vicos incendit, incauta nonnulla Caſtra capit: tantâ Regionē trepidatione complevit, vt de publicâ deditione cogitaret. Vlricus ſævo repentinoque bello in ſuæ temeritatis pœnitentiam adductus, à Corvino & Francone pacem ſupplex poſtulavit: quâ datâ, ſe Coronæ Vngaricæ perpetuò pariturum eſſe pollicetur. Supplicem Duces Comitem ad Regni Patrumque obſequium redactum benignè tractaverunt. Cum Regalia ad campum Racos Comitia propediem inſtarent, pacatâ Provinciâ, relictâque ibi magnâ parte copiarum, ad indictum Conventum vterque Ducum proficiſcitur. Comitiorum tempore, cum per ætatem Alberti poſthumo Ladiſlao (qui tum Rex declaratus fuerat) ſceptra tenere non liceret, de Gubernatore Hungariæ actum; cumque Georgius Deſpotus, Nicolaus Wylak iam tum Corvini in Vaivodatu Collega, ac noſter quoque Franco Banus, quiſque

pro

Digitized by Google

pro meritis ſuis amicorum obtinuiſſent ſuffragia, Corvini tamen Prudentia, Æquitas, Comitas, invicta belli virtus, præ omnibus palmam tulit, ac Gubernatoris munere fungi à Patribus juſſus eſt. Stimulabat interim Corvini animum Varnenſis clades, ac nominis ibidem perpeſſa iactura. Sed nec barbara inſolentia obtentâ victoriâ, Turcam quieſcere patiebatur; vnde Corvino novâ dignitate, & authoritate vires ſuppeditante, collectis ac motis rurſum copijs, ad Merulæ campum Regni Raſciæ deventum eſt, quo cum Amurathes, à tergo eum fuiſſet inſecutus, nec Scanderbegi, ſeu Caſtriotæ Albaniæ Epirotarumque Principis auxilia præſtolari permiſiſſet, ad immaturam pugnæ feſtinationem continuò ſolicitat: at cum Corvinus nullam ſibi ab hoſte quietem dari ſenſit, triduò acerrimâ dimicatione certatum eſt, adeò, vt ex Corvinianis octo, Turcarum verò triginta quatuor millia cecidiſſe memorentur. Hoc in prælio, vti & in Varnenſi eximia Franconis virtus & animus generoſus vehementer ab Orbino commendatur, qui tertio iam die fortiſsimè pugnans, tandem obruente barbara multitudine ſuperatus, & velut glorioſa fidei victima immolatus, occubuit anno ſalutis 1448. Banatus verò ſui anno ſexto.

Corvinus Gubernator conſtituitur.

Franco in Campo Merulâ à Turcis interficitur.

Glorioſâ è vivis morte ſublato Franco Bano, quis ei ſubſtitueretur, longis agitatum eſt diſceptationibus; cùm enim Optimates intelligerent, officium hoc magnæ id temporis exiſtimari dignitatis, plurium autem potentiſſimorum Procerum animos ob æmulationem gubernationis Regni Hungariæ grauiter irritatos fuiſſe; ac inter cœteros Nicolaum Wylachum magnoperè offenſum ſcirent, vt vel hâc oblatâ occaſione eius ſedaretur animi motus (cuius potentiâ civilis ſeditionis formidini eſſe poterat) ad Machovienſis Banatus ac Tranſylvaniæ Vaivodatus honores, hunc ei quoque Banatus trium Regnorum gradum addidêre, anno Quadrageſimo nono ſuper 1400. Et ſanè vel ex hoc prærogativa dignitatis huius haberi poteſt, quod Tranſylvana ac Machovienſis adminiſtratio, vtpotè tam diſtans, ac remota â Sclauoniæ Regno, ei quaſi impedimento potius futura videbatur; poſthabita nihilominus non ſolùm hâc tam graui diſtantium locorum incommoditate, verùm hâc honoris adiectione, & ille ſuam frænari ad tempus paſſus ſit ambitionem, & Optimates plurium ſimul dignitatum in vnam perſonam amplitudinem, diſſimulare

Matthias Rex.

Nicolaus Wylak Sclauoniæ Banus 1449.

diſſimulare ſunt coacti; quamvis poſtea ad annum 1464. collegam Præfecturæ Banalis Emericum de Zapolya Regni Boſnæ eo temporis Gubernatorem habuiſſe comperiatur. Wylachus præclaris ortus natalibus, ex Wylachio Oppido, cui in præcelsâ rupe, arte, & naturâ arx præſidet munitiſſima, ac pro totius Syrmij capite habetur; originem traxit, quid prioribus geſſerit temporibus, iam ſupra inſinuatum eſt: ſed cum ea ſe geſſiſſe recognoſceret, nobilitate inſuper generis, animi magnitudine, opibus, authoritate, ac non parua geſtorum gloriâ intumeſcens; nec his, quas adeptus fuerat dignitates, dira dominandi libido contenta, Regno ſe dignum arbitrabatur. Vnde cum Palatino Ladiſlao Gara, qui ſecum Machouienſis præfuerat Banus, ac Paulo Banffy vbique Michaelis Szilagy pro Matthia Coruino laborantis, conatibus ſeſe oppoſuit; nec in electionem vnquam Matthiæ aſſenſum præbuiſſet, niſi vi ac metu aduerſæ partis armorum adactus: eâ tamen conditione ab eo id factum, ne illi vnquàm Ladiſlai Coruini cœdes, cuius non poſtremus extiterat auctor, obijceretur, & veterum iniuriarum ac vltionis obliuio in perpetuum aboleretur; quod & factum. Sperabat nihilominus inconſultæ adoleſcentiæ gratia præceps in Rege conſilium, quotidianos errores, crebras in regendo iniurias, quibus non medioeris deinde pœnitentia Hungarorum animos inceſſeret, & magna rerum mutatio ſequeretur; Verùm ſpectato Regis ingenio, quum præter ætatem circumſpectum eſſe cerneret, angebatur nimis, ac è ſpe futuræ dignitatis Regiæ omninò deiectus, omnia ſimulato fictoque faciebat obſequio; vnde cum Matthias ad recuperandam Coronam animum aduertiſſet, & ad Fridericum Oratores expediviſſet, Nicolaus clandeſtinis Imperatorem quotidie Internuncijs de non reſtituenda Corona, ſolicitabat: quin potiùs erumpenti iam apertis armis Friderico, ipſe quoque cum tribus millibus fortiſſimorum equitum, ac cohortibus peditum quatuor è Sclauouia ac Syrmio eductis, Imperatorio ſeſe ad Kermendinum iunxit exercitui: peritiſſimum rei bellicæ fortiſſimumque virum maxima pugnandi inceſſerat libido, quare nec abſtinuêre à certamine manus cum Matthiæ Duce Simone Magno, qui hoſtibus obviam propetare juſſus fuerat; cumque Corviniani numero ac viribus inferiores eſſent Cæſarianis,

fremente

fremente Wylacho terga dare coacti ſunt: ea tamen moderatione Nicolaum vſum dicunt, vt fuſis hoſtibus à cœde gentilis ſanguinis omninò iuſſerit abſtinendum. Itaque cùm Matthias aperto marte nil ſe proficere intelligit, auxilium ab arte quærit; conſpirationemq; hac diſſolui oportere iudicat. Ad potiores igitur conſpirationis authores, ac inprimis Nicolaum Oratores mittit, qui eundem ab incœptis avocent, ſuadeantque Rempublicam inteſtinâ diſſenſione diu labefactatam, non vltrà vexandam, è ſuperioribus malis futura conijciat, honeſtius congentili ac legitimo Regi, quam peregrino factioſoque parendum. Item domi ampliſſima quæque munera, latiores dominatus, & commune cum Matthia Imperium polliceantur: ſe Regalem præter titulum à Republica traditum nihil ſibi reſervaturum. Demùm admoneant, vt impoſterùm perfidiæ parricidijque notam, & vniverſæ Vngariæ invidiam evitet. Aſſiduis huiuſcemodi legationibus ſolicitatus, tandem vincitur, ad Regiamque fidem redit. Et verò cùm Nicolaum ad ſeditionem ſectandam ambitio impulerit, ei Boſnenſis Regni Corona à Matthia promittitur, quâ factâ promiſſione, eius auidum regnandi penitùs explevit animum. Adiecit ad hæc Matthias, vt cum denuò ad Cæſarem Coronæ repetundæ gratiâ Legatos miſiſſet, id muneris cum Varadienſi Antiſtite Stephano Pallochio, Benedicto Turocio, Wylachio quoq; ſingulariter commendatum voluit. Denique quò ſenatorem Patriæ graviſſimum ſibi magis devinctum redderet, eò omnibus benevolentiæ ſignificationibus ardentiùs proſequebatur. Cùm in Moldavos ac Tranſylvanos, civilibus diſſidijs tumultuantes compeſcendos deſcendiſſet, Michaëli Szilagio Avunculo ſuo Regni Gubernatori, Nicolaum Collegam eſſe voluit; Pannoniam ſuperiorem illius vniverſam, huius inferiorem cum tribus Illyrici Regnis Imperio ſubiectam: Cum ſingularem Mahometes Oratorum ſuorum pompam ad Regem deſtinarât, Wylachus admittendi, introducendique copiam habuit: Cùm Matthias Boſnæ Rex, Corvini olìm paranymphus fatis conceſſiſſet, ſecundùm veterem ſponſionem Regni Boſnæ Coronâ Nicolaum donavit. Atque in cunctis quoad Wylachus vixit, conſiliorum ſuorum non ſolùm participem, ſed moderatorem etiam adhibebat. Nullum porrò ſolidius amoris intimi erga Nicolaum argumentum fingi poteſt, quam quod (vt Bonfinius refert) gloria-

Nicolaus diverſa obit munia.

bundus ſæpè retulerit, ſe Nicolao Boſnæ Regi, cum eundem per officicium viſitaſſet ægrotanti pedum digitos interfricuiſſe. Fuerat ei filius Laurentius, Ducatus titulo in Boſna & Syrmio honoratus, Juvenis paternæ virtutis ex Aſſe hæres à Matthia filij loco ſemper habitus. In vetuſto Capituli Zagrabienſis Privilegio à Matthia dato, Emericus de Zapolia, cum Nicolao Sclavoniæ præfuiſſe legitur. Vbi Coronam Regni Boſnæ Wylachus fuerat conſecutus, quindecim circiter annis Sclavoniæ Regnum laudabilitèr moderatus, Tranſylvaniæ Waivodatum Joannes Pancratius, & Nicolaus Chupor ſortiti ſunt; Banus verò Sclavoniæ Comes Jan ſeu Joannes Wittowecz de Greben, ac totius Zagoriæ Comes conſtituitur, quo triennium duntaxat vivente, eidem ſucceſſit Joannes Thuz de Lak, Oſvaldi Zagrabienſis Epiſcopi frater, Vir potens ac militiæ clarus, anno Milleſimo Quandrigenteſimo Sexageſimo Quinto Dalmatiæ, & Croaciæ Tribunatu annis vno & viginti incertâ tamen de causâ vacante: nàm imprimis, nullum omninò in Hiſtoricis à morte Franconis reperire potui, & quamvis in quibuſdam annotamentis ad annum 1464. Emericum Zapolya Dalmatiæ, & Croatiæ præfuiſſe obſervaverim, ijs tamen, vti nec derogare fidem, ita nec præſtare omninò auſim, præcipuè cum in Diplomatis cuiuſdam Regis Matthiæ epilogo, ad annum 1469. vbi regiorum officialium, ac dignitatum nomina apponi ſolent, ita clauſum reperiam: Datum per manus Reverendiſſimi in Chriſto Patris, Domini Stephani Cardinalis, Colocenſis & Bacchienſis Eccleſiarum Archiepiſcopi, aulæ noſtræ Cancellarij, anno 1469. Kalendas Martij, &c. ac poſt recenſita Epiſcoporum nomina ſubdit: Item Magnificis Michaële Orſzagh Regni noſtri Hungariæ Palatino, Comite Ladiſlao de Palocz Judice Curiæ noſtræ, Joanne Thuz de Lak Regni noſtri Sclavoniæ Bano, honoribus Banatuum Dalmatiæ, & Croatiæ Regnorum noſtrorum, nec non Severienſis vacante. Nec ſanè ſuſpicari ſatis licet, quid ſubeſſe cauſæ poſſit, hæc duo Regna integris vno & viginti annis (tot enim à morte Franconis interveniunt) ſine Capite Juſtitiæ, & armorum fuiſſe derelicta, vnde nec mirum, quod Bonfinius alicubi intimet Matthiam in Dalmatiam, & Croatiam expeditionem ſuſcepiſſe, fortè ob Comitum Frangepanum fratrum mutuas inter ſe diſcordias, quorum quiſque cœteros Provinciarum Regulos, pro ſuâ allicere

Ioannes Thuz Sclavoniæ Banus 1465.

Dalmatiæ & Croatiæ Banatus diu vacat.

parte

Digitized by Google

parte ſatagebat, ſed Tranſyluana, ac Latronum quorundam ex Boemia in Vngaria graſſantium ſeditione revocatum redijſſe: hinc & celeberrimus Corbaviæ Comitatus antiquiſſimæ Romanæ Torquatorum, ſeu vt noſtri appellavêre, Carloviciorum familiæ, qui ſeptuaginta duas in ſe continuiſſe arces fertur 1467. in cineres quaſi redactus, ingentique hominum multitudine abacta depopulatus eſt. Sed ad Banum Thuz redeamus, qui omnibus cœterùm decoratus talentis, multis etiam exercitus prælijs, charum ſe cunctis præbuiſſet; niſi ingens animi ferocia, & ſubiti intemperanteſque motus exoſum reddidiſſent; vnde multi è nobilitate, de iniurijs, de violentijs, de peculatu quæri occœpêre; non æquitate Chriſtianâ, non Principum benignitate, non denique Regni Legibus, ſed avaritiâ, vi, atque armis, ab eo vniverſa adminiſtrari. Dolendum omninò è viro alioquin præclariſſimo, hæc nunquam extirpari potuiſſe vitia, ob quæ eum tandem accipere finem eſt adactus, vt reſignato Tribunatu ſolum vertere cum ſuis debuerit. Etenìm, cum Zagrabiam è Boſna ſe Matthias recepiſſet, quo Turcas triginta millia hominum in diram abducentes ſervitutem inſecutus, ac cum victoria recuperatæ prædæ reverſus fuerat, Proceres Sclauoniæ Regale Judicium poſtulavêre. Id propterea factum, quia ex Optimatibus & Nobilitate multi homicidij, latrocinij, & rapinarum plerique, nonnulli peculatus, repetundarum alij poſtulati. Joanni Thuz quoque dicta dies, quod vbi Regi dictum eſt mox illum in Judicium non venturum eſſe prædixit. Hic enim genere, opibuſq; præſtans inter potentiſſimos diu Proceres eſt habitus, multumque apud Regem conſilio, authoritate, prudentia valuit: annos aliquot quæſturam, item varia munera cum laude geſſit. Incidit autem in ſuſpicionem invidiamvé Principis, cauſa nemini ſatis explorata. Multa huic Oppida, Caſtellaque in Sclavonia Pannoniaque fuêre. Detrectato Judicio, ad declinandam inimicorum invidiam cum liberis & fortunis Venetias receſſit: ſexaginta aurêum millia ſecum aſportaſſe fertur; ibi cognita viri dignitate, in Patritiorum ordinem à Venetis admiſſus eſt, vitâque tranquilla annis pluribus fruitus.

Ioannes Thuz Banatu priuatur & Venetias fugit.

Verùm, tametſi hoc octuageſimo ſupra 1400. anno, Joannes Venetias tranſmigraverit, anno tamen adhuc ſeptuageſimo Banatu ſeſe Regis iuſſu abdicaverat, quo non niſi quinque functus

Blaſius Magyar, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclav: & Boſnæ Banus 1470.

fuerat annis; poſt quem deinde anno eodem ſeptuageſimo Blaſius Magyar, vir impiger ac ſtrenuus, multiſque probatus occaſionibus, quatuor Regnorum Banatus honoribus, Dalmatiæ ſcilicet, Croatiæ, Sclavoniæ, & Boſnæ decoratur. Et ſanè, cùm iam ab initio primi Libri ex literis Ferdinandi primi ad Petrum Keglevicium Banum datis, recitaverimus, vnius ſubinde dexteritate ac militari fortitudine, Regna integra gubernata fuiſſe: cuius Blaſius virtutis, prudentiæ, militaris diſciplinæ, authoritatis denique apud vniverſos fuerit, facile ex Regnorum quatuor delegata adminiſtrandi poteſtate conijci poteſt. Vngaricæ eum fuiſſe originis, cognomen ipſum conteſtatur, at cum Dominia, ac opulentiora in Regnis hiſce Latifundia militari manu fuiſſet conſecutus, Banali quoque fungi dignitate permittebatur. Exorſus ſub Matthia publica gerere munia, primo Svehlæ, cœterorumque Bohemorum Latronum Vngariam deprædantium ſupplicio afficiendorum præficitur; vt & captos debita plectat pœna, & pertinaces in quodam caſtello ſeſe tuentes, arte quâ poſſet Vngariâ propulſaret: Is inſequenti die, vbi Svehlam captum accepiſſet, pro Caſtelli porta cruces longo ordine diſponit, ſuper has eminentiores quaſdam, vbi Latronum Princeps præpenderet, inſtituit; mox ad ſupplicium educti omnes, ſuſpenſique, quorum inmedio Svehla, à lateribus verò hinc, & hinc intimus ſecretorum collega Sacerdotis nomine abutens, cum armigero ſtipantibus vtrinque laqueo ſuffocatis 350. tam tetro ſociorum ſpectaculo cœteri, qui in Præſidio remanſerant abſterriti, ad hoſtis arbitrium ſeſe dedidere, ac ita demùm Hungaria infeſtantium prædonum latrocinijs opera Blaſij eliberatur. Matthiâ deinde Rege adverſus Georgium Podebragium infeſta caſtra ad Brunam metante, abeunteque Georgio, Blaſium Rex cum Paulo Kiniſio, in Blaſij olim palæſtra educato (cui poſtea, ob ingentes corporis vires, ac ſpectatam animi fidem, filiam quoque connubio Blaſius junxerat) in arctiore Brunenſis arcis obſidione perſeverare juſſit, ipſe Olomucium verſus caſtra tranſtulit. paucis elapſis menſibus Blaſius cum Paulo rem fortiter gerentibus, arce potiuntur; Blaſius Vlyſſis ob bellicarum rerum aſtum, Paulus Aiacis ob inauditam corporis animiq; fortitudinem, inde nomina referentes. Atque hæc Blaſius, nondum Banali inſignitus honore geſſiſſe memoratur. Nactus porrò dignitatem ei quoque interfuit

prælio,

Digitized by Google

prælio, quo in Boſna deſperatam Hungarorum cum Turcis pugnam, ac in immaturam fugam prolapſam 300. Croatarum mirâ animorum fortitudine adeò feliciter reſtaurarunt, vt non ſolùm Hungaros ab internecione liberaverint; ſed & præda ingenti onuſti, repreſſis hoſtibus in Regia caſtra, tùm demùm cum Rege Zagrabiam ovantes ſint regreſſi. Hic Rex cum Proceribus de iteratâ Friderici Imperatoris fœderis ac induciarum interruptione, conſilium agit: affertur interea rumor Comitem Joannem è Nobiliſſima Frangepanum Familia adverſus Veglenſes Inſulanos ditioni ſuæ ſubiectos gravibus obortis diſſenſionibus, arma moliri; Inſulani Venetorum, Joannes Matthiæ implorat opem: expeditur in ſuccurſum juſſu Regis Blaſius Banus, cum quinque cohortibus, tribuſque equitum turmis: Hîc in Inſulam traijcit, Muſellum Oppidum vi capit, Vrbemque Vegliam obſidione cingit. Veneti ab Inſulanis poſtulati ſufficienti auxilio admaturârunt, Joannem Comitem periculo Inſulanæ ſeditionis terrent, precibus, ac pollicitationibus plurimis onerant, ac deniq; conſtantiam fidemque Regi debitam expugnant: perſuaſus ſiquidem Joannes, Jus quod in Inſula retinebat, Veneto remiſit, Arcis deditionem fecit, ceſſit Inſula, Venetiaſque cum vxore ac prolibus navigavit. Blaſius Banus cum Triremes quatuor ſuperveniſſe advertiſſet, veritus, vt cum redire vellet, ſibi non foret integrum, accepta publica fide in continentem ſe recepit, domumque reverſus, abijt. Dùm hæc in Dalmatia geruntur, in Apulia Turcus Hydruntum occupat; quo caſu ad generi ſui opem Rex Ferdinandus confugit, validiſſimus duorum millium equitatus, à Matthia miſſus, cui Blaſius Banus, & Nagy Janos præerant. Ii cùm in Apuliam traieciſſent, & mari & terra Hydruntum obſeſſam eſſe accepiſſent, vt Illyricas Italis vires oſtentarent, ea, qua Itala caſtra ingreſſi ſunt hora, cum Turcis congredi voluêre. Turrim magno præſidio munitam expugnarunt, quam pro porta ad fontem proximum Turci conſtituerant, potentique præſidio & munitione obfirmarant: multi vtrinque cœſi, noſtri tandem ea potiti, ſic hoſtium audaciam ſanè repreſſerant, vt ampliùs egredi non auderent. Demùm Blaſius compulſis ad deditionem barbaris victor, & magnis à Ferdinando Aragonio, Siciliæ Neapoliſque Rege, Matthiæ ſocero excultus muneribus, cum triumpho redierat. Defuncto Matthiâ Rege, cùm in

varias

varias Proceres de eligendo Rege partes diſtracti fuiſſent, iam electum quidem, declarare tamen Proceres nolebant (vt Sambucus refert) donec Croatiæ Banus declarationi non intereſſet; quin poſteà Blaſius ab Alberto Wladiſlai Vngarorum declarati Regis fratre, eodemque Regni competitore ac æmulo in partes traductus, eius inaugurationis pompæ intereſſe recuſavit: imò vt fidem ſuam Alberto probaret firmius, cùm Beatrix Regina quadringentos expeditos equites ſuâ pecuniâ conductos, vt Wladiſlao (cuius connubium vehementer ambiebat) gratificaretur, eidem auxilio miſiſſet; Jj ab Blaſio Bano cum veteranorum validâ manu in itinere deprehenſi non multo negotio fuſi, equis, armis, impedimentiſque omnibus exuti dilapſi ſunt. Verùm Blaſio hæc victoria vltimum operum fuit, eodem enim itinere gravi morbo correptus, quod Alberto eiuſque partibus plurimum attulit incommodi, è vita exceſſit, hærede omnium bonorum vnicâ filiâ nomine Benigna, teſtamento relictâ: quam eventu ſterilem Paulo Kiniſio, vt ſupra retulimus, nuptui tradiderat. Hic ille eſt Blaſius Præfectorum Matthiæ Regis pugnaciſſimus, conſilioque & manu promptiſſimus, quem Matthias ex gregario milite, ſolâ virtutis commendatione, ad ſummos militiæ honores & divitias, alienæ virtutis incitamento promoverat. Tenuit Tribunatum Blaſius annis quatuordecim minimùm, magnâ vbique rerum bene geſtarum laude. Invenio quidèm in vetuſtioribus Regni Sclavoniæ literalibus inſtrumentis ad annum Milleſimum Quadringenteſimnm Septuageſimum Quintum Joannem Ernuſt Comitem Zolienſem Sclavoniæ Banum fuiſſe, ac Ladiſlaum Hermannum de Gereben habuiſſe Vice-Banum, ſimul etiam Provinciæ Criſienſis fuiſſe Comitem, ad annnm verò Milleſimum Quadringenteſimum Septuageſimum Sextum Sclavoniæ Banum fuiſſe Petrum Bochkay de Raſzinia, ſimilitèr ad annum Milleſimum Quadringenteſimum Nonageſimum primum poſt Matthiæ fata Ladiſlaum de Eghervara. Antonius Vramecz notat Croaciæ præfuiſſe, Turcaſque magnâ ſui laude fudiſſe; ac mirùm prorſus, quod nec annalium ſcriptotes, nec Bonfinius ipſe, vllam Bochkay, aut Ernuſt faciant mentionem, Blaſius præterea anno 91. fatis conceſſiſſe ab Iſtuanffio refertur, nec Præfecturam vnquam reſignaſſe legitur: niſi fortè ſi dicamus, quod fidem omninò habere videtur, Petrum hoc muneris

neris obtinuiſſe, dùm Blaſius extra Regna Regis iuſſu, varijs ijſque longioribus, quas non paucas curæ ſuæ commiſſas habuerat, diſtineretur expeditionibus. Extat in Archiuio Capituli Zagrabienſis expeditoria Blaſij, quâ teſtatur ſe aliquot millium ſummam ab eodem Capitulo ad Apulianam expeditionem profecturus, obligatis bonis mutuaſſe. Quantùm ad Ladiſlaum Egheruara, Chronographia Vrametz confirmatur à Bonfinio qui de eodem hæc paucis tradit: eodem, inquit, anno id eſt 1494. Ladiſlaus Egheruary, vir probitatis, & prudentiæ ſingularis, non ſine magno Reipub: detrimento mortuus eſt. Hic Matthiæ Regi bello Auſtriaco egregiè operam fidemque ſuam probarat, cùm exercitum eius ſemper duxiſſet, & Sileſiæ, ac Luſatiæ Præfecturam magnâ cum laude geſſiſſet; Dalmatiæ quoque, Illyrico, & Croatiæ eâ virtute præfuiſſet, vt Turcarum copias memorabili clade quinque eorum millibus occiſione deletis afficeret; & Germanis ex Illyrico pulſis prouinciam ad fidei priſtinæ officium redegiſſet. Demùm Præfectura depoſitâ Magiſter Tauernicorum creatus, quietioris vt potè ac tranquillioris officij munere delectatus, in eo vſque ad mortem perſeuerauit. Hæc Bonfinius vbi tamen initæ Præfecturæ, nec depoſitæ annum notat.

Ladiſlaus Egheruara Dalmatię, Croatiæ, & Sclauoniæ Banus.

Grauiorem adhuc auget difficultatem Matthiæ Gereby, Coruini Regis conſobrini Banatus, de cuius trium Illyrici Regnorum Præfectura, nec antiqua Regni monumenta, nec Hiſtoricorum celeberrimæ commemorationes dubitare ſinunt; Verùm in quæ is tempora conſtituendus ſit, res plena laboris non exigui eſt. Blaſius Magyar Ioanni Thuz ſucceſſit, reſignaſſe Tribunatum, multò minus eo priuatus nuſquam inuenitur; anno 91. ſupra milleſimum & quadringenteſimum eum è viuis exceſſiſſe iam retulimus, ac eidem Ladiſlaum Egheruara ſubrogatum docuimus. Itaque quo Gerebum fuiſſe tempore dicamus, aliud ſupereſt nihil, quam quod Bofinius inſinuat, Blaſium quendam nullo appoſito cognomento Budenſi Vrbi & Arci Vladiſlai Bohemi tempore Præpoſitum fuiſſe, in cuius poteſtate præter Vrbem & Arcem, corona quoque Regia depoſita fuiſſet: an tamen noſter hic Blaſius ex officio tranſlatus, an alius quiſpiam fuerit, pro certo non conſtat, quamuis Gerebi certiſsima Banalis dignitas ad annum 1484. diuinare tranſlatum cogat; aut certè

Matthias Gerebus Banus.

quod

quod veroſimilius dixerim, eodem ſimul cum Eghervara tempore Præfecturam egiſſe. Vt vt ſit quocunque tandèm fuerit tempore, certùm tamèn eſt, eum hac functum ſub Matthia annis circiter ſeptem dignitate, neque aliundè hæc certi temporis dubitatio difficultatem habet, quàm à Scriptorum negligenti annotatione, quò eorum quiſque cœperit aut deſierit anno, quod nos, quantùm fieri potuit ſtudioſè emendare conati ſumus. Hic igitur Matthias Gerebus, Petri Gerebi Palatini deindè frater, Matthiæ Coruini Conſobrinus Vir domi militiæque clariſſimus, ſub ipſo Matthiâ Rege prima militiæ iecit rudimenta. Ac imprimis dùm Iaicia Boſnenſis Regni Vrbs, atque Arx firmiſſima ac Princeps à Rege obſideretur, ac demùm Chriſti Dei Natali die deditione caperetur, Muſtapham Tribunum Turcarum qui Scriptis ad Regem literis, fortiſſimum quemque ad ſingularem pugnam ſibi offerri elato animo poſtulabat, iamque Rex indignabundus quod nemo ex veteranis citatus, ad nomen reſponderet, Duces, Præfectoſque copiarum ſeverâ voce ſegniciei increparet repentè prodijt, & cum hoſte fortitèr & intrepidè congreſſus eſt, opinioneque longius extracto certamine, quamquam vulneratus, victor tamen evaſit: hoſtemque equo deturbatum interfecit, & caput eius à cervice diſſectum ad Regis pedes proiecit: à quo cùm ob admirandam Juvenis virtutem, tùm mutuam propinquitatem effusè læto, inſignem equum cum aureis calcaribus, ornamenta nempè equeſtris dignitatis de manu tradita, ſpectante exercitu, & collaudantibus omnibus, dono accepit. Hoc jacto fortitudinis ac militaris virtutis fundamento, frequentibus deinde exercitatus prælijs, vſque ad Banatus dignitatem ei gradus patuêre: potitus itaque Illyrici Regnorum Præfectura, cum Matthias Auſtriæ occupandæ feſtinatione teneretur, Turcæ optimam ſibi oblatam rati Illyricum vaſtandi occaſionem, eorum ſeptem equitum millia per Corvatiam in Carinthiam, & Carniolam ad diripenda quædam Emporia eruperunt, in reditu ad Hunnam amnem Croatiæ, qui Savum ſub Arce Dubicia influit, abductis decem millibus captivorum & ingenti præda, licentius per Croatiam divagantur: quo intellecto Matthias Banus adſcito in auxilium Comite Bernardino, Petro Garay, cœteriſque Provinciæ Regulis eos inſperato adortos ad internecionem cœcidit,

Digitized by Google

cidit, omni prædæ ac captivorum copia recuperata: quo in prælio Bernardini Frangepanis virtus nimiùm enituiſſe perhibetur. Adfuit Gerebus Coronationis quoque tempore Wladiſlai, quam inaugurationis pompam miro equorum, armorum, famulorumque apparatu exornavit. Demùm circa annum Milleſimum Quadringenteſimum Nonageſimũ Tertiũ è vivis exceſſit, magno ſui apud omnes relicto deſiderio. Relato inter Divos Matthiâ Rege, de Regni Succeſſore à priori non degenere, diu multumq; inter Optimates agitatum eſt; cumque frequens Oratorum ordo è diverſis Regnis, pro ſuo quiſque laborans Principe, quô in Regnum ſuccederet adveniſſet; nec Joannes Corvinus Matthiæ filius, & paternis meritis, & propriæ naturæ qualitatibus, & plurium amicorum fretus auxilio, vltimum inter corrivales locum obtineret: ad eas tandem cum illo Vladiſlaus Bohemiæ, & in præſenti Vngariæ delectus Rex (quod illegitima ei genitura, quo minus Regni gubernacula teneret, obſtare videretur) devenit conditiones pacis neceſſarias potiùs, quàm honeſtas, vt conceſſa nimirùm ei, & de manu tradita, omni vltra Dravum flumen Illyrici ditione, vſque ad Boſnæ, ac Dalmatiæ limites, & Oram Adriatici Maris, abſoluta prorsùs ac Regiâ teneret poteſtate: ita tamen, vt ſi abſque liberis, ſicuti ſummo cum noſtro infortunio evenit, decederet; omnia ad Regnum Hungariæ revolverentur. Demortuo deindè Matthiâ Gerebo, ipſemet Banatus munere perfunctus eſt. Is igitur vti erat miti, liberalique ingenio, obliterata offenſarum memoria, inſtructiſſimo equitatu, validiſque peditum deſcriptorum cohortibus pompam omnem inaugurationis Vladiſlai ſtudioſo animo condecoravit, ipſiq; ante alios omnes geſtandæ Coronæ munus delatum fuit, ac deinceps Corvinus ſyncera & inconcuſsâ fide Vladiſlai partes ſecutus eſt. Defecerat quidem in partes Cæſaris Chriſtophorus Frangepanus annuente Patre Bernardino, Iacobus Zekell, & Civitas Zagrabienſis, quæ à ſexcentis Germanis militibus cuſtodiebatur: quo intellecto, repente Corvinus Vrbem obſidione cingit, né illinc à Cæſarianis aſſiduæ rapinæ fierent, ac frumentariæ convectiones interciperentur. Cùm autem JacobusZekell, qui ad Cæſarem reddita ei Petovia & Rachiſpurgo tranſiverat, obſeſſis auxilio veniſſet, ab eodem Corvino fuſus fugatuſque eſt, & Zagrabienſes ſpe deiecti omiſsâque pertinaciâ deditionem

Mors Gerebi Bani.

Vladiſlaus Rex Hungariæ.

Ioannes Corvinus Dalmatiç, Croat: & Sclav: Banus 1494.

Digitized by Google

nem fecerunt, Germanis incolumibus in patriam ire permiſſis.

Maluiſſet equidem Corvinus paternæ virtutis æmulator, cupidiſſimus, cum Chriſtianæ fidei jurato hoſte bella gerere, ditioniſque fines propagare, quàm inteſtinis Procerum diſſidijs ſedandis incumbere; in quibus & Chriſtianæ charitatis vinculum, & humanæ ſocietatis jura, quandoque lædi neceſſum eſt. Sed vt quondam non minùs nervosè, quam verè Divus Chryſoſtomus: meum ac tuum, inquit, frigidum illud verbum, & quidquid eſt malorum in vitam noſtram invehens, innumeraque gignens bella, eo interdùm inſectationum ac perturbationum animos hominum inducit, vt nec ſacra, nec prophana præcepta coërcere poſſint: hoc ſanè Corvinum adegit, vt abdicata Illyrici Præfectura, privatâ contentus vitâ, Regnis hiſce quæ ſibi gubernanda obtigerant, fructuoſam navare operam non potuerit. Verùm quia Iſtuanffius has in Regno diſſenſiones ac alios Corvino in officium ſuccedentes, eorumque geſta continuata narrat ſerie, ejus hæc omnia verbis expedire lubet. Erant in eo Illyrici tractu complures Italici atque Romani ſanguinis Proceres, Frangepani, Vrſini, Torquati, quos vulgò Slunios, Blagaios, ac Carlovicios olim vocabant, ſed qui iam maiori ex parte ſtirpitus intercíderunt, ac alij maiorum gentium Comites, quibus Bela Rex Patriâ extorris, & in eas Adriatici littoris inſulas à Tartaris pulſus, ante quadringentos annos, quod eorum opibus, armiſque ſublevatus Regnum repetiverat, ampliſſimas opes, latifundia, Arceſq; & Civitates, ac Inſulas beneficiorum memor liberaliter dederat, latâ lege perpetuæ immùnitatis, ne ij, eorumque poſteri ad Tribunalia quorumcunque Magiſtratuum ad dicendam cauſam cogerentur, ſed privato ſolius Regis iudicio & cognitioni reſervati cenſerentur. Ortis igitur inter Frangepanos Comites Bernardum, Joannemque privatarum ſimultatum causâ, controverſijs, quùm ſæpè inter eos crudeliſſimè armis certatum fuiſſet, idque Corvinus deinceps præcavendum iudicaret, eis vt poſitis armis, lites & diſceptationes ſuas Patrijs legibus decidendas permitterent, ſæpiſſimè ac ſummâ cum ſeveritate iniunxit. At illi veteri Belæ Regis indulto ſubnixi, neminem ſe præter Regem, qui ipſorum lites dirimat, ne ſibi ipſis præiudicent recognituros reſpondebant: quem graviſſimis curis, & bellorum tumultibus occupatum,

Privilegiũ Frangepanorum.

patum,

Digitized by Google

patum, privatis litibus decidendis vacare non poſſe ſatis intelligebant. Et Corvino, vt remiſſius ageret, occaſionem obtulerat contrahendæ cum Bernardo affinitatis cogitatio, vt qui non multò poſt filiam eius Beatricem ex Veneta matre elegantis & decoræ formæ Virginem, ſibi in coniugem ducturus erat. Interea Iaiciæ præſidio, quæ Corvini ditioni erat attributa, Turcæ dies & noctes tàm aperta vi, quàm occultis inſidijs adeò imminebant, vt niſi Ioannis Giulani Præfecti labore, vigilijs, & induſtria eis occurſum fuiſſet, qui militibus ſtipendij & cibariorum inopia laborantibus, quod omnis circa Regio diffugientibus agricolis vaſtata deſertaque eſſet, de ſuo providebat, Civitas & Arx incomparabilis ſtructuræ, ac munitionis, vnà cum alijs propinquioribus locis, quæ eodem in diſcrimine verſabantur, famæ, & rerum neceſſariarum penuria compulſa hoſtibus facilè ceſſiſſet. Quibus rerum difficultatibus adactus Corvinus, omni Illyrici Imperio, ac Magiſtratui ceſſit: illudque Vladiſlao reddidit, contentum ſe fore affirmans oppidis clienteliſque ſuis, & ditione, quam privato jure vſque ad eum diem tenuiſſet. Mittitur itaque in Dalmatiam, eique coniunctas Crovatiam, & Sclavoniam Emericus Derencenius, qui cum Collega Ioanne Botho eas regiones adminiſtret, jurique dicundo ſimul & tuendis finibus præſit. quod genus Præfecti Banum propriè Illyrij olìm vocitabant, ſicuti Hiſpani Almirantem, vocabulo tamen poſtea ad alias etiam Præfecturas, quæ in mediterraneis habentur, pedetentìm derivato. Hi igitur infelicibus auſpicijs in parte Illyrici cum copijs delati; quanquam Turcas ad Hunnam fluvium excurrentes, aliquot ſecundis prælijs ſubmoviſſent, primiſque initijs fortunam cœptis arridentem experti fuiſſent; ea tamen, vt ſemper eſt varia mutabiliſque in deteriorem verſa infelices eventus ſortiti, ambo brevi interiecto tempore hoſtium armis periêre. Vt autem à felicioribus ordiamur, illud repetendum eſt, quod cum Taurunum in Syrmio, & Temeſvarum ſuperioris Hungariæ præſidium nocturnâ expeditione vrendo agros, & populando excurriſſent, ac Stephani Bathori villas rapinis, incendijſque deformaſſent, abductiſque multis incolarum millibus non longè à Varadino actis prædis eſſent reuerſi: illud incommodum Emericus Derenchenius Illyrici Præfectus, cum Bernardo Frangepano, Caroloque Corbaviæ Comitibus, alijſque Croatiæ Regulis, maiori hoſtibus

Emericus Derencenius, & Ioannes BothusDalm. Croat: & Sclavoniæ Bani.

 illato

illato detrimento rependerunt. Cùm enim Turcæ ad Hunnam fluvium, qui è Dalmatarum montibus ortus ſinuoſo curſu, per intima Croatiæ defluens modo lenis & placidus, modo citatis aquis celerior, ſub Arce Dubicia Savo miſcetur, magno numero populabũdi vagarentur, à noſtris quos modo nominavimus occidione deleti ſunt; captis hoſtium mille quingentis, totidemque cœſis, reliquis in profluente Hunna ſubmerſis. Hoc feliciter confecto prælio, & ad maiora animum præparando, inteſtinis impeditus tumultibus, à propagatione Regni finium ad componendas privatorum controverſias, vires & ingenium intendere debuit Emericus. Adegerant ad hæc eum Frangepanum armis mixtæ diſcordiæ, vt paulò ſupra meminimus: reiecta tamen in præſens importuna fori & Tribunalium perplexitate, Bernardum Frangepanum indomito animo hominem, Segniæ Maritimæ Vrbis obſidioni incumbentem, armis illatis ad officium reducendum ambo cenſuêre. Quibus rebus ille intellectis, Segnia relicta ad ſua defendenda redire, ac ad Briniæ Arcem ſeſe recipere fuit compulſus, ea eſt non procul à Mari cum ſubiecto oppido vetuſti operis; quam cùm Derenchenius cum Botho collega perluſtraret, qua parte foret commodior oppugnatio, & Bothus prope mœnia verſaretur, plumbeâ glande ex Arce emiſſa ictus in veſtigio concidit. Eius morte Derencenius Collega, ac cœteri Ordinum Ductores exacerbati, multò maiorem oppugnationem inſtituendam decrevêre, admotiſque tormentis Frangepanum ad accipiendas deditionis conditiones compulêre eo quidem properantiùs, quod Jacuppem vlterioris Boſnæ Præfectum exectæ virilitatis ſpadonem magno exercitu ad vaſtandas, depopulandaſque Illyrici Carnorumque regiones, quæ erant in propinquo irrupiſſe audiuiſſent. Confluxerant ad Iacuppem evocati ab eo è Thracia, & Macedonia equites, qui à Turcis Acangij vocantur, ita vt decem millium equitum numerum copiæ eius excederent; cum quibus tanta adhibita celeritate verſus Carnos Vrbemque Labacum irrupit, vt prius ingentem miſerorum populorum numerum abduxerint, quam quiſque hoſtes aduentare, aut adeſſe audiviſſet. Erat in partibus Maximiliani Cæſaris Jacobus Siculus, qui contracta celeriter quingentorum equitum ala, ac non aſpernendis Germanorum peditum auxilijs hoſti occurrendum ſtatuerat. ſed ille incredibili vſus celeritate, abductis

Ioannes Bothus ſub Brinia interficitur.

captivis,

Digitized by Google

captivis, eodem quo venerat itinere, redeundum, vitandamque ſi qua fieri poſſet pugnam omnem ſibi propoſuerat. Iam hoſtes in Modruſienſem agrum revertendo pervenerant, valles potius dixeris præ altis montibus in oblongæ coronæ ſpeciem circumdatas, cum ſe à Derencenio cum omnibus copijs tam ſuis, quàm auxiliarijs, parato ad dimicandum animo expectari didicit. Aderat cum Derencenio Bernardus Comes Frangepanus ac Nicolaus & Joannes eius Fratres, cum ſuis Dalmatici, & Illyrici nominis militibus. Carolus quoque Corbaviæ Comes, è Torquatorum illuſtri Familia, ac Petrus itidem Comes de Zrinio, cum multa Nobilitatis earum regionum parte, nec tamen ſupra agreſtium manum, octo millium numerum excedere dicebantur. Ferunt Iacuppem quod multo maiores hoſtium copias eſſe exiſtimaret, non paruo metu perculſum, à Derencenio per Nuncios è captiuorum grege delectos, tutum ſibi ac exercitui iter poſtulaſſe: quod eam irruptionem non in partes Præfecturæ eius ſubiectas; ſed in Carnos feciſſet: illum verò non niſi dimiſſis captiuis conceſſurum reſpondiſſe, cumque conuenire nequaquam poſſent, tùm verò ad arma deuentum. Porrò Derencenius, quum ſe, & copiarum numero inferiorem, nec equitatus robore parem hoſtibus animaduerteret; vitandum omne prælij diſcrimen teſtabatur: ac pedem referre, & Caſtra ad Modruſiæ mænia reducenda, donec id ab ipſis integris, ac ſyluarum & montium commoditate adiutis fieri poſſet, prudentèr conſulebat: Nec verendum eſſe, vt in eo receptu à Turcis impedirentur, qui nequaquam pugnæ auidi, ſatis ſe lucri reportaturos arbitrarentur, ſi cum captiuis ac præda domum redire permitterentur. Hæc à Derencenio ſingulari prudentia, rectiſſimoque iudicio præuiſa erant, niſi fortuna ſanis conſilijs ſucceſſum eripuiſſet. Namque Bernardus Frangepanus pugnandum omninò, & in perfidos hoſtes audactèr irruendum, captiuoſque, & prædam omnem ab eis extorquendam, idque ad officium eius pertinere diſſerebat, vt potè qui omnibus copijs præeſſet. Quod ſi ipſe inani metu conſternatus pugnam detrectet, ſe ſuis ſaltem cum copijs hoſtem exanimatum pavore, onuſtumque præda, & precario iter petentem, inuaſurum: eum omnis accepti detrimenti culpā ſubiturum, ſeque eius apud Regem & Principes, ſi fata è

prælio,

prælio ſaluum reduxerint reum peracturum. Nonnulli etiam Præfecti & Centuriones Illyrici eum petebant, ne militum virtuti diffidere vellet, qui ſuperiori anno, ipſo Duce, ad Hunnam flumen eoſdem hoſtes ferè ad internecionem deleuiſſent, & non exiguum rei militaris uſum habere viderentur. Quibus verbis irritatus Derencenius, ſe ea, quæ de vitando prælij periculo diſſeruiſſet, non ſuæ, ſed exercitus ſaluti conſulendi ſtudio in medium attuliſſe. quando tamèn omnibus, tàm fixum & certum ineundæ pugnæ ardorem eſſe videat, ne inſolitæ formidinis, aut ignauiæ nota perſtringatur, ſe quoque neceſſitati, & infauſto, vt quidem animus præſagire videretur, certamini manus dare: precariq́ue DEVM Optimum Maximum, vt qui modo in caſtris tantoperè feroces, & præferuidi fuerint, eundem in acie animum, eandem in dimicando conſtantiam retineant. Dùm hæc à Ducibus diſputantur, Turcæ quadam veluti rabie efferati, è denſioribus ſyluis per quas iter fecerant egreſſi, acie inſtructa explicatiſq́ue ſignis, noſtros prouocare ad prælium cœpere; quod metuerent, ne Iacobus Siculus (ſed is iam redierat:) cum Germanicis copijs aduentaret; ipſiq́ue à fronte & à tergo circumuenti, & veluti indagine clauſi manus conſerere cogerentur. Itaq́ue Derencenius tribus agminibus, quæ in quadrata latera denſarentur factis, attolli ſigna & explicari, tubas canere, & primum agmen in hoſtes irrumpere iubet. pugnatur diù, & magna contentione; & Iacuppes ſuis laborantibus iamq́ue inclinatis, recenti equitum ſubſidio, ſine mora ſuppetias ferens adcurrit. Contra Derencenius, magna voce Bernardum Comitem compellans, nunc, inquit, fortiſſimè vir nutantem hoſtium aciem ardenti animo inuade, & qui pugnæ auctor fuiſti victoriam etiam inuicta virtute nobis præſta. Nec mora Bernardo in hoſtes ſe acritèr inferente atrox, & cruentum certamen inſtauratur; quò diutiùs protracto, dum vtraq; pars ardentiſſimè præliaretur, ac Derencenius, vbi plurimum periculi imminere videbatur, adcurrendo, & ſuos cohortando aciem reſtitueret, ad extremum Ioannes Frangepanus ab haſtatis Turcis traijcitur. Eius cadauer, dùm noſtri, ac imprimis Georgius Blatcouicius Nariſij in Dalmatia Regulus eripere conarentur, Turcis contra auferre illud conantibus, cadente Georgio, pugna magis ac magis recrudeſcit. Poſtremò noſtri viribus impares,

pares, cum ipſo Bernardo terga vertunt, & fœdè profugiunt. Quæ res totam aciem Ordineſque, qui adhuc Turcarum impetum vimque fortitèr ſuſtinebant mirum in modum perterrefecit ſecumque in præcipitem fugam traxit. Derencenius cum tertio agmine, quod in ſubſidijs collocàuerat adhuc viribus integer adcurrere, vociferari, fugam retentare conatus, dum frustra omnia eſſe, ſeque nihil proficere videt, in confertiſſimos hoſtes irruit, eique cum fortiſſimis familiarium acerrimè pugnanti equus lancea confoditur, quo cadente, pedibus non minus acritèr dimicando ſe tuetur; donec gladio, quo peritiſſimè vtebatur capulo tenus perfracto, ab hoſtibus circumuentus non ſine vulnere capitur. Cui cum laboranti filius, quem vnicum egregiæ indolis habebat, ac frater opem ferre vellet, cum paucis familiarium qui ſupererant equitum adcurrêre. Sed neque illi iam ab hoſtibus capto quidquam opis attulêre; & ipſi ambo circumuenti atque crudeliſſimè interfecti ſunt. Cecidere ex noſtris præter Ioannem Frangepanum, & Georgium Blatcouicium nonnulloſque clarioris nominis Tribunos, quinque millia hominum, & ſeptuaginta ſeptem, omnia ſigna amiſſa; ex hoſtibus mille aut eo amplius deſiderati: plurimi etiam vulneribus acceptis debilitati, domi vitam finivere. Derencenius ipſe Banus, & Nicolaus Comes Frangepanus, cum multis nobilioribus equitibus Vngarici atque Illyrici nominis, inter captivos fuêre; hic demùm multò auro ſe redemit, illum autem Iacuppes Bizancium ad Paiazetem Principem, cum alijs captiuis quam plurimis, ac ſignis omnibus dono miſit. Vbi in carcerem ſeptem turrrium coniectus, tribus poſt menſibus, mærore animi ob amiſſum exercitum, ac filium, fratremq; trucidatos contabuit, vitamque cum morte commutauit Anno ſalutis 1496. Eius cladis temeritate Frangepani acceptæ fama cum Budam allata eſſet, Vladiſlaum incredibili dolore affecit; neque enim ignorabat pleroſque omnia aduerſæ fortunæ incommoda, eius negligentiæ, atque ſocordiæ tribuere, omniaque eius dicta, & facta indiuerſum interpretari. Quod vnum in præſens auxilium perditis rebus ferre poterat, ne Prouincia capite careret Ladiſlaum Caniſianum, alijs Georgium dictum in Illyricum miſit, qui illis Regnis, & oræ maritimæ cum poteſtate præeſſet; ſimul & Iaiciæ, ac Segniæ tuendæ curam gereret, eique haud con-

Noſtri ſumma clade cæduntur.

Derencenij mors 1496.

Ladiſlaus Caniſian9 Dal. Croa. & Sclauon. Ban9 1494

contemnendum equitum & peditum numerum in ſupplemētum eorum, qui clade Derenciniana perierant, attribuit, & vt primo quoque tempore illuc contendere maturaret in mandatis dedit. Porrò, tametſi Coruinus abdicatâ præfecturâ in ſolitariam ſe redegerat vitam, nec ſic tamen ab aliorum infeſtationibus quietus permittebatur; Stephanus ſiquidem Scepuſienſis Comes Palatinus, Arcem Ioannis Coruini in Illyrico abſentis Szamobor dictam edito in monte ſitam, nequaquàm præmonito Rege obſedit; cui quanquam Vladiſlaus ſeueriſſimè interdixiſſet, ne arcem occuparet quę nullo æquitatis Iure ad eum ſpectaret, ille tamen ſpreto regis imperio, eam deditione Præſidij in ſuam poteſtatem redegit. Sed & Oſualdus Zagrabienſis Epiſcopus, qui ſoluto Budæ conuentu poſt Regis diſceſſum in Illyricum ſe receperat, Caſtella Epiſcopatus à Coruino Duce occupata (quippè quod à Germanis paulò ante receperat:) bello recuperare contendit; nimirùm opportuna Coruini, qui apud Kiniſium erat, abſentia inuitatus. Quare Rochonico, ſeu, vt vulgo noſtrates lingua ſua vocant, Rakovacz obſeſſo & capto, arma inde ad alia oppida militibus, quos è Germania evocârat, crudeliſſimè ſe gerentibus tranſtulit: Coruinus tantę rei nuncio conſternatus, nullâ interpoſitâ morâ omnes ferè inferioris Vngariæ copias, permittente Kiniſio cogit, & Laurentio Duce Nicolai Boſnæ Regis filio, ac alijs nonnullis ad ſe cum equitatu ſuo traductis in Zagrabienſem agrum omnia quæcunque adempta fuerant, interpoſitis conditionibus recipit. Et Oſvaldi exercitu, qui trium millium numerum explebat, profligato, omnes Epiſcopatus villas incendit: neque agris, neque Incolis vllis, quanquàm innocentibus parcit.

Diſturbia inteſtina in Sclauonia.

Ladiſlaus autem Kaniſay, qui Provinciæ cum Imperio præerat, vt tanti belli incendium extingueret, quo multas Regiones facilè conflagraturas non inani ductus coniectura proſpiciebat, Corvino Caſtellum ab Oſvaldo receptum ipſo non repugnante Oſvaldo, reſtituit: & ijs inter ſe reconciliatis, qui prior à pactis & fœdere receſſiſſet, is vt Maieſtatis reus eſſet, edicto ſanxit. Hac præclara Ladiſlaus, inter viros maximos ſumma cum ſui laude factâ compoſitione, gravi poſtmodùm, eoque diuturno correptus morbo, ſex Præfectura functus annis, vitam adhuc rerum bene gerendarum laude finire cupiens, abrumpere

rumpere

Digitized by Google

rumpere coactus fuit anno Quingenteſimo ſupra Milleſimum.

Kaniſiano vita functo, Corvinus cupiens ſe Regi gratum exhibere, curam tuendarum Illyrici Provinciarum denuò ſuſcepit, anno Quingenteſimo ſupra Milleſimum in Conventu Veruciæ celebrato, cui Rex ipſe interfuit, adiunctis ei duobus millibus equitum ſancitâ inſuper lege, vt quotannis quadraginta millia nummûm aureûm, decem millibus equitum Provincialium ad inhibendos Turcarum incurſus ſuſtinendis penderentur: quâ ſimul occaſione Oſvaldus Zagrabienſis, cum ducentis adveniens equitibus, facile decimas à negantibus eas extorſit. His abſolutis, percuſſum eſt cum Venetis fœdus, cui feriundo auctoritate potiſſimum Alexandri Pontificis adductus fuerat Vladiſlaus, præſertìm cùm in triennium quadraginta millia aureûm nummûm, Veneti verò centum polliciti ſint; quò viribus ſimul conjunctis adverſus Turcam progrederentur: accepta igitur pecuniâ, cum reliquis Hungariæ præſidiorum Præfectis, tùm etiam Joanni Corvino Illyrici Proregi, in ſtipendium ad conducendos milites datur, & vt Turcis vbique quam maximè noceant edicitur. Ac Præfecti Turcæ, qui Varboſaniæ in Boſna, & Samandriæ in Syrmio in omnes occaſiones excubabant, cognitis per exploratores ſuos Pannoniorum apparatibus, cùm exortum haud dubiè bellum arbitrarentur, priores, & pacatiores arma parant, ac quanquam maior eorum pars ad Paiazetis claſſem, & caſtra in Græciam diſceſſerat; tamen tumultuariam militum manum cogunt, Morolachios, & Martalaſſios peditum genus rapto vivere aſſvetum, ac agreſtes vndique ad certum diem adeſſe, & arma ſumere; equitum turmas, quæ domi ad tutandos fines relictæ erant, in caſtra convenire jubent: ac Jaiciam Boſnenſis Regni caput adoriuntur, rati locum commeatu omni, rebuſque ad defenſionem idoneis imparatum, priuſquam ſuccurri à noſtris poſſet, facile capi poſſe. Sita eſt Arx Jaicia in edito monte, ſaxeoque; & fama eſt, ab Italo Architecto ad ſimilitudinem Neapolitanæ Arcis, quæ ab ovo nomen habet, olim ædificata, ab ea nomen ſumpſiſſe; quandoquidèm Iaiciam apud Illyricos ovum ſignificare certum eſt. Deſpectat Vrbem ad radices montis egregiè munitam, ſub quibus duo amnes navigabiles Verbanus, & Pliva in vnum concurrunt: cùm non longo ſuper arcem intervallo, tertius in

Rex conventû celebrat Veruciæ in Sclauonia, & Corvinus iterum Banus conſtituitur.

R Verba-

Verbanum amnis influat, Boſſuta nunc dictus, quem veteribus Bacuntium vocatum quidam putant, demerſæ in eum Eliſabethæ Reginæ Hungariæ infelici caſu celebratum, qui poſteà omnes vno Verbani nomine accepto, late patenti in planitie decurrentes, ad Gradiſcam Savo commiſcentur. Sed Corvinus veloci hoſtilium copiarum concurſu, earumq; conſilijs intellectis Vladiſlao celeritèr ſignificat, auxiliaq; ſubmitti poſtulat; qui nobilitate omni arma capere juſſa, obſeſſæ Arci ſine morâ opem ferendam mandavit. Quæ cùm ſegnitèr pro periculi magnitudine, ac tardius quam id exigeretur, convenirent, Vladiſlaus miſſo Emerico Czobor, qui recuſantes vi adhibita compelleret, brevi ad Corvini caſtra haud contemnendum militum numerum coëgit. Petrus etiam Gerebus Regni Palatinus, ducentos equites, & duas cohortes peditum expeditorum miſit; ipſe quoque Corvinus tàm è ſuis, quàm Frangepanum, Carloviciorum, Zrinianorum Comitum, ac cœterorum Procerum clientelis, & militibus haud mediocres copias ſummâ celeritate comparavit: ita, vt iuſtum ferè exercitum contra hoſtes educere poſſe cenſeretur. Itaque cum has copias in conſpectum Vrbis adduxiſſet, & hoſtes adventum ſuum minimè expectaturos exiſtimaret; illos magno, & alacri animo obviam progredi, & prælij fortunam experiri velle animadvertit; quod omnes caſtris egreſſos, ſtructis ordinibus in acie ſtare videret. Ipſe quoque & cæteri copiarum Duces, aut vincere, aut mori parati, ſine mora quadratis agminibus occurrunt, ac ſublato vtrinq; clamore congrediuntur, diuque fortitèr pugnant. Sed cùm Turcæ noſtrorum impetum nequaquam ſuſtinere poſſent, ac plurimi ex eis gladijs, teliſque noſtrorum occumberent, tandem funduntur, tergaque dare, & qua quiſque potuit, in proximos montes, & ſylvas, ac convalles diffugere incipiunt. Noſtri inſecuti, magnam eorum ſtragem edunt, partìm cœſis, & captis quàm plurimis, partìm in proximum flumen inſilire coactis; vbi cùm impeditas vtrinque ripas, & noſtros inſequentes cernerent, aut abſumpti flumine periêre, aut cunctabundi, quâ alveum amnis tentarent, à noſtris capti, aut interfecti fuêre: periêre ex Turcis ad quatuor millia, ſed neque noſtris incruenta ſtetit victoria, quandoquidèm ex Corvini copijs amplius mille milites in prima acie deſiderati ſunt, nec multò pauciores ſauciati. Liberatâ per hunc modum Jaiciâ, Corvinus magnam

Turcæ à noſtris ſub Jaicia profligantur.

ab

Digitized by Google

ab omnibus laudem conſecutus, Arcem, qua ictibus tormentorum hoſtilium quaſſata erat, refici, & commeatu, alijſque rebus muniri iuſſit: eamque Joanni Giulano Viro militari & induſtrio, ſibique imprimis fido, qui etiam antea eam defenderat tuendam attribuit. Vladiſlao autem equos, & captivos inſignes, & militaria ſigna dono miſit. Nec contenti hâc clade Turcæ, in Poſegam ac Valconem Sclavoniæ, vt nunc vocant Comitatus, iterum populabundi excurrêre, verùm occurrentibus ijs Joanne Bano, Ioſepho Somio, ac Petro Comite Sancti Georgij, qui ſoluta Jaiciæ obſidione in Hungariam profecti fuerant, cumulatas temeritatis ſuæ pœnas rependêre; Tot igitur præclaris celebratum victorijs Corvinum, intemperies eius autumni, malignæque febres in ipſo ætatis flore rebus humanis exemêre; cùm triginta quinque ætatis annos nondum expleviſſet. Reliquerat quidem liberos ex Beatrice Frangepana Chriſtophorum & Eliſabetham, ſed qui in tenerâ ætate fato functi, nomen, & familiam eius propagare non potuerunt. Viduam eius integrâ ætate, forma præcellenti, opibuſque, & fortunæ bonis affluentem, poſtquam demortui iam viri funera eluxiſſet; Vladiſlaus Georgio Marchioni Brandeburgenſi, ſororis ſuæ filio connubio iunxit: Accidit mors eius, anno 504. ſupra 1000. adminiſtrato binis vicibus annos ſeptem Tribunatu. Sepultus eſt Corvinus pompa celeberrima in Sclavonia in æde Divæ Virginis Lupoglavæ, cui Patres ex inſtituto S. Pauli primi Eremitæ viuentes, cum adiuncto Nobili & Diviti Clauſtro præſunt, quod vna cum templo Hermannus Ciliæ Comes ac Sclavoniæ Banus ſingulari pietate extruxerat, multis à Joanne deinde ac Beatrice coniuge donatum prædijs, ac villis, varijs etiam Regijs ditatum muneribus, ac inter cœtera patris ſui Divi Matthiæ Paludamento Regio pervetuſti operis, ex materia rubea confecto, ac Phrygio opere auro intertexto. Alia quoque eius Ordinis Monaſteria, inter quæ Remetenſe, ſimiliteèr in Sclavonia, liberaliſſima munificentia annuis attributis redditibus auxit, & ditavit. Et quamvis Regnorum cura & poteſtas, iuxta veterem cum Vladiſlao pactionem, in eundem caderet, Arces tamen pleraſque & Dominia, quæ ampliſſima quæque in Sclavonia Jure priuato poſſidebat, cùm ſine liberis deceſſiſſet, amicis ſuis, ac præcipuè qui bellica ſub ipſo clanuere virtute, vna cum cœtera ditiſſima ſuppellectile teſta-

Mors Ioannis Corvini Bani.

mento legavit; ac paulò ante mortem Benedicto Rattcaio Viro fortiſſimo, ac omnium ſuarum copiarum (vel vt Privilegium eius loquitur) Gentium Armigerarum generali Capitaneo ob egregiam vbique navatam operam Caſtrum Vrbocz vulgò Nagy Thabor appellatum, vnâ cum Caſtello Jurkethincio amœnâ planicie ſito, & Vrbi Varaſdienſi propinquo æternò nomine poſſidenda dono dedit, cui Rattcaius & poſt mortem gratus eſſe cupiens in eâdem Divæ Virginis Æde Lupoglavienſi ad pedes Corvini ſepultus jacere voluit. Hi deindè memoriæ Corvini veteri charactere inſcripti verſus leguntur.

Anno Domini Milleſimo quingenteſimo quarto,
Octobris duodecimâ die, horâ vndecimâ nocturnali,
Heros vltimos dies Joannes Corvinus clauſit extremos;
Sub Eremo Corpus ad Clauſtrum Lupoglava tumulare iuſſit.
Aſpice rem charam, bini hinc indè cingunt glorioſæ Virginis Aram
Dux Ioannes & Filius eius Chriſtophorus, quibus adſint gaudia trina.
Et ſequitur dùm licuit, tua dùm viguit ô Joannes poteſtas
Fraus latuit, pax in Regno iſto, tui tempore firma fuit,
Regum atq; honeſtäs.

Porrò in Dalmatia, & Illyrici Præfectura, quam Coruinus ſingulari cum ſui nominis laude geſſerat, & egregia virtute domi, foriſque conſeruauerat, Vladiſlaus ſuccedere iuſſit Andream Bothum, & Franciſcum Balaſſium, cognomento Giarmathium. Qui cùm Criſium veniſſent quo in loco ius dici, & conſilia Prouinciæ agitari conſueuerant, Andream Bothum Nobilitas æquo animo,

Digitized by Google

animo admiſit, de Balaſſio, quod vir crudelitate infamis, & factiones alere diceretur, nec in Prouincia Arcem aut ditionem poſſideret vllam, tumultuosè reclamatum eſt, & Vladiſlao ſine mora indicatum, vt alium eius loco mittere vellet; quod cautum legibus eſſet, ne qui bonis carerent eum magiſtratum gerere poſſent. Quod ille re comperta haud grauatim conceſſit, reuocatoque Balaſſio Marcum Miſlenovicium, è Camiſatio Croatiæ Nobili loco ortum, qui Arcis Budenſis Præfecturam obtinebat, Botho collegam futurum eo ablegauit; ſicque animos Prouincialium facili negotio pacauit. An memorabile quidpiam hi geſſerint, nihil eſt in Hiſtorijs legere, ſolùm ad Annum 1512. obitus vtriuſque inuenitur; cùm enim Andreas, inquit Iſtuanffius, & Marcus Miſlenouicius, qui Præfecturam Illyrici gerebant, Andreas quidem in Arce ſua Zteniſnacia morbo diuturno oppreſſus, Marcus verò, dùm equum currentem circumageret, eius lapſu luxata ceruice repente exanimatus, è vivis exceſſiſſent; Vladiſlao curam reliquere alios ei Magiſtratui præficiendi, hæc Iſtuanffius. Petrus igitur Beriſzlaus Epiſcopus Veſprimienſis, quod ex ijs partibus originem duceret, & ditione, ac clientelis polleret (tradita iuſſu Regis Ioanni Bornemiſzæ, qua antea fungebatur, ærarij Præfectura) delectus eſt, qui vnus vtriſque ſufficeretur. Et cùm in Prouinciam veniſſet, breui occaſionem virtutis, fortitudiniſque ſuæ declarandæ fortuna ei obtulit. Nam cum Turcæ magno numero Savū traiecиſſent, & Regionem inter Sauum, & Hunnam fluuios adiacentem paſsim popularentur, ac ferro, & igne vaſtarent, collectis quantis in re ſubitanea & tumultuaria potuit copijs, eos non procul ab arce, & oppido Dubicenſi, vbi Hunna in Savum influit, adortus eſt; inſignique ædita pugna hoſtes fudit, atque fugauit, & fugientes longê latèque perſecutus, amplius duo millia eorum interfecit, captis quam plurimis, & multò maximâ parte in Sauum demerſa, paucis natando evadeutibus, ita vt hoſtes audaciæ perfidiæq; ſuæ, & violatarum induciarum cumulatas pœnas dediſſe viderentur. Atque hac ſtrage perculſi ſimul etiam qualicunque induciarum vi coërciti, excurſionibus, & prædis agendis aliquandiu abſtinuerunt. Quid cœterum officij ſui tempore geſſerit haud licuit inuenire, præterquam, quod, cum anno vigeſimo ſupra milleſimum quingenteſimum

Andreas Bothus, & Marcus Miſlenovicius Bani 1505

Petrus Beriſzlaus Bany 1512

Turcæ cæſi à Beriſzlao Bano.

Digitized by Google

ſimum varias Turcarum iniurias vlciſci, ac capti præſertim Tininij ſuccenſus ira, ulterioribus hoſtium conatibus reſiſtere, & amiſſa recuperare contenderet, contracto ſat valido militum numero in itinere apud amnem Corannam in inſidias præcipitatus, nec Petro Cruſicio, æmulo virtutis ipſius inuidia ſtimulante, ſuppetias ferre volente ibidem interfectus fuit; Annis octo, quibus magiſtratum ſibi demandatum, ſumma cum omnium ſatisfactione, ac ſolerti vigilantia adminiſtrauerat, expletis. Et tametſi Beriſzlaus vtrique priorum Anno 1612. in Illyrici præfectura ſubrogatus fuerit, anno tamen inſequenti, tertio ſcilicet decimo ſupra 1500. in Authentica Capituli Zagrabienſis littera relatoria reperitur Emericus Perenius vir gravis & ſeverus, qui in locum Petri Gerebi in Palatinatus quoque dignitatem ſublectus erat. Ejus Stephani Perenij filius, quem Matthias Rex ob coniurationem Caſimirianam adverſus ſe initam, in ordinem redactum, bonis omnibus ſpoliaverat, ita tamen vt poſtea huic Emerico, veluti inſonti illa reſtitueret, qui etiam non multò poſt viduam ipſius Gerebij Dorotheam Caniſianam connubio ſibi junxit, atque ſic Arce Valpone in Sclavonia potitus eſt. Quare adeptis in Illyrico bonis vno ſimul tempore & Palatinum Pannoniæ, & Præfectum totius Illyrici, & Segniæ Vrbis maritimæ Capitaneum eadem Capituli Zagrabienſis littera fuiſſe teſtatur. Quod peculiari planè ratione pro poſterorum memoria obſervandum occurrit. Collegam ſanè Beriſzlaui fuiſſe neceſſum eſt, quantumvis nec annos quibus hunc Illyrici Magiſtratum adminiſtrauit, nec quæ eius tempore geſſit, invenire liceat, imò an Banalem an Palatinalem prius adeptus ſit authoritatem, quové dignitatis aut ætatis anno viuere deſierit, æquè obſcurum maiores nobis reliquêre: quæ verò Palatinus egerit ea fusè Iſtuanffius varijs in locis eſt proſecutus. Ambitionem hominis dominationis cupidiſſimi, hiſce præfecturis expleri debuiſſe reor, qui cæterum pleraque faſtu tumens perperam egiſſe legitur. Fatalis prorſus magnorum Virorum morte hic accidit annus, nam præter Beriſzlai cædem Gregorius de Frangepanibus Colocenſis, Vir gravis ac Reipublicæ amans, Diui Franciſci Familiæ olim Alumnus; Thomas quoque Cardinalis Bacocius Strigonienſis, Vir extremæ prudentiæ, ac duobus Hungariæ Regibus moderatoris quaſi loco ſemper adhibitus, ſummo quidem communis boni

ni

Digitized by Google

ni detrimento, ſed imminentibus turbulentiſſimorum temporum procellis in tranquillioris portum vitæ ſeſe ſubduxere.

Verùm enim verò dum Ludouicus Vladiſlai ſucceſſor, Anno Vigeſimo primo, ſupra Milleſimum Quinquageſimum, Mariæ Coniugis coronationi, ac Bohemicis incumbit negotijs componendis, per aliquod tempus Illyricum Provinciarum Præfecto poſt cædem Beryzlavi, magno ſuo incommodo carere cogebatur; dumque de eo ſubſtituendo lentius quàm temporis vrgebat ratio deliberat; Turca Oſteruitiam arcem cum oppido in ſubiectis Licæ & Corbauæ campis ſitam, quam olim Bela Rex, dùm à Tartaris in Dalmatiam pulſus per ea loca exularet opportuno loco condiderat, improvisâ eaque nocturnâ irruptione cæperunt; tùm quòd à paucis defenderetur, tùm verò quod milites quidam corrupti, ad quos vigiliæ eius noctis pertinebant locum hoſtibus introeundi ſummâ cum perfidiâ dediſſent. Tentauerunt eodem tempore per ſimilem fraudem Scradinum & Crupam nec opinatò occupare; ſed virtute Præſidiariorum magnâ cum cæde reiecti fuere. Itaque Joanni Carlovitio è Romano Torquatorum genere orto, Cyriaci illius magni, qui Andreæ Secundi Regis tempore claruit, Pronepoti, ac Franciſco Battianio in Vladiſlai patris aula, ac deinde cum ipſo ſimul à teneris educato, viris domi militiæque claris, prouinciam adminiſtrandam tuendamque demandauit Anno 1522. Quamuis Stephanus Brodericus ſolùm Battianium præfuiſſe ſcribat. Fuit hic Brodericus (vt de eo pauca dicamus.) eius Illyrici partis Alumnus, quam hodie Sclavoniam appellamus, vtriſque apprimè literis eruditus, ac proinde Ludovico Regi cumprimis charus; quare Cancellarij munere fungi iuſſus eſt, ad quem Magiſtratum, ex Legatîone Romana, quam tunc obibat paucis ante menſibus accerſitus fuerat; Scriptorum quoque geſtorum Ludovici poſteâ memoriâ clarus. Vix Carlovitius cum Battiano Præfecturæ curam ſuſcepêre, cum virtuti eorum probandæ, vel iam antea probatæ exercendæ fœlix ſeſe ac fauſtum obtulit principium. Etenim Vſrephus Verboſaniæ, (ſeu vt vulgò dicitur, Herczegovinæ Boſnæ Prouinciæ) Præfectus, in locum Ferrhatis nuper prælio deleti ſuffectus, cum alijs Samandriæ Præfectis, collatis in vnum ſententijs ac viribus, coactoque ad viginti ampliùs millium Turcarum exexcitu ad obſidendam Iaiciam

con-

Ludovicus Rex.

Ioannes Carlovitius & Franciſcus Battianius Bani 1522.

contenderunt. Maiora etiam tormenta currulia octo, præter minores colubrinas, ac inſtrumentorum oppugnandis vrbibus idoneorum haud paruam copiam in caſtris habebant. Nondum ſe Jaiciæ Præfectura abdicauerat Petrus Keglevitius, vir fortis, & qui in omnes hoſtium conatus intentiſſima cura vigilaret, habebatque Legatum Blaſium Cherium pari fortitudine virum inſignem. Hi Regem de conſilijs hoſtium tempeſtiuè certiorem reddidere, ac vt auxilia in tempore mitteret, multis poſtulavêre. Interea Petrus de frumento, farina, & commeatu, pecoriſque certo numero ex remotioribus locis, atque ex ſuis fundis, in arcem conuehendis proſpicere, quæue neceſſaria tolerandæ obſidioni erant, ſummâ induſtriâ diligentiâque curare. Iam Turcæ ab aliquot diebus, muros vrbis, atque Arcis, ab ea parte, quâ Coruini tempore oppugnatos meminerant, continuis tormentorum ictibus diruere cœperant: cùm Ludouicus haud ignarus, quantùm momenti in eo loco conſeruando poſitum eſſet, quanquam Proreges Illyrici ſumma poteſtate, vt diximus, Ioannes Carlouitius, & Franciſcus Battianius deſignati eſſent, nec quicquam de eorum fide, ac militari virtute dubitaret; munus tamen ferendorum obſeſſis auxiliorum Chriſtophoro Comiti Frangepano, ante alios committendum duxit; ad quem Ludouicus literas ac nuncios miſerat, preces & promiſſa ampliſſima quæque ſpoponderat; quod is diſciplinæ militaris Magiſter ac ducandi exercitus magnum vſum & peritiam habere diceretur, vt Iaiczianis laborantibus opem ferat. Fecit hæc Chriſtophorus magis charitate patriæ ductus, quam Ludovici obſequiorum; evocauitque in fortunæ conſortium veteres Duces & Præfectos, Petrum Cruſitium à Cliſsia, Gregorium Orlouitium Segniâ, Frangepanos gentiles ſuos cum amplis clientelis, necnon Georgium Blagaium, Joannemque Zrinium Comites, ita, vt paucis diebus ſatis amplam manum militum, adiuncta nobilitate in ſpeciem iuſti exercitus coegiſſe videretur. Atque his demùm copijs, tàm fauſto ac felici obſidionem vrbis, ac arcis fine ſoluit, bellumque adeò proſpere terminauit, vt poſtea Ludovicus de inſigni victoria incredibili affectus lætitia, Deo Optimo Maximo actis publicè gratijs eum pro fortitèr nauatâ operâ, partoque de hoſtibus inſigni triumphò collaudatum, ſtipendijſque & muneribus liberaliter

excul-

Digitized by Google

excultum, nouo titulo honeſtârit: vt nimirum Regnorum Dalmatiæ, Croatiæ, & Sclauoniæ defenſor appellaretur. Carlouitium quoque & Battianium Banos, partìm bonis & latifundijs, partìm Præfecturis & ſtipendijs, pecuniâque donauit; huius tàm præclaræ victoriæ ac deſideratæ Patriæ eliberationis ſeriem, fuſiùs enarratam apud Jſtuanffium petere licet. Porrò tanti ſemper hi duo Proceres Bani, vt ad eos oratio redeat, à Ludouico æſtimati fuêre, vt hunc ipſum Frangepanum Chriſtophorum Budæ poſtea per triduum detentum ob verberatum Ambroſium Salcanum Strigonienſem Archiepiſcopum ad eorundem interpoſitionem dimiſerit. Sed nec parum Ludouicus eâ Chriſtophori detentione ſibi nocuiſſe viſus eſt, in maximo ſiquidem totius Reipublicæ periculo, dum Solimannus ad Mohachium copias cogit, eum vt exercitui præeſſet ſuo, nimis onerabat precibus. Quòd ille quidèm nondùm illatæ oblitus iniuriæ, vt ipſe rebatur, haud prorsùs præſtitiſſet, niſi Battianius cum Carlovitio operam ſuam in eodem Ludouico reconciliando impendiſſent, vt qui Regem ei prius benignum fecerant, eundem poſteà Regi obſequentem redderent. Et quidem Franciſcus de more noſtræ gentis Comitia ad Oppidum Racciam, non procul Poſega diſtans, indixit; in quibus cum Chriſtophoro Comite Frangepano, ipſius potiſſimùm & Carlovicij Collegæ operâ & ſtudio tranſactum eſt; vt copias, quæ ex Dalmatia & Illyrico cogerentur, ad Regem in caſtra perduceret, & iſthîc Imperatorio munere fungeretur. Fuêre autem ex Criſienſi tractu, qui eo tempore longè latèque patebat, delecti, Joannes Erneſtus cognomine Hampo, Sigiſmundus Paganus, Stephanus Praſchocius, & Balthaſar Hobetitius: ex Varaſdinenſi Ladiſlaus Rattcaius, ex Zagrabienſi verò Nicolaus Voycovicius, Adami Prothonotarij filius: Juſſus eſt præterea, ad eum diem cum ſuis & eius Tractus copijs, Joannes Banffius è Verucia adeſſe. Itaque relicto in præſidium ac tutamen Patriæ, aduerſus quemlibet hoſtium incurſum, Carlovicio, proficiſcitur Battianius, affuitque Dominico die ante pugnam cum elegantiſſimis copijs; fuere ad tria millia equitum, at non ita multi pedites. Venerant cum eo ex Proceribus, Joannes Tahy, Joannes Banffy, Ladiſlaus & Caſparus Rattcaius fratres, quorum poſteriori tutela Regij corporis cum Ioanne Calayo, ac Valentino Turco, viris

Chriſtophorus Frangepanus Dalmatiæ, Croatiæ & Sclauoniæ defenſor.

Bani muneribus donati.

Battianus proficiſcitur ad bellum Mohachianū.

S pugna-

pugnaciſſimis commiſſa fuerat. Et quamuis librariorum mendo apud Iſtuanffium Caſpar Raicaius, apud Brodericum Caſpar Raſcay legatur; Rattcaium tamen, tam ex vetuſtioribus familiæ huius literarum monumentis, quam coniectura ipſa unius immutatione duntaxat literæ, fuiſſe facilè aſſequaris; præcipuè cum uterque ſcriptorum in eadem non conueniant litera: quanquam omiſſis coniecturis, ſola literarum authoritas Regiarum, in breui quidem charta, pro more veterum ſcriptorum, quibus Ludouicus Ladiſlao & Caſpari fratribus, peculiari ratione apparatum ad hocce bellum indicit, ſufficere queat. Nec tamen inficior Caſparem Raskay alium quempiam ſubindè ab Iſtuanffio recitari. Venit quoque poſtridie eius diei manè Simon Erdeödi Epiſcopus Zagrabienſis, cum fratre ſuo Petro, cum ſeptingentis ampliùs equitibus, viris, equis, armis decentèr inſtructis, ut refert Brodericus. Comparato undique in hunc modum exercitu, qui viginti ſex millium numerum exceſſiſſe non traditur, is aciei inſtructus eſt ordo, ut Banus cum ſuis de veteri conſuetudine dextrum teneret cornu, primumque congreſſus exciperet ac ſuſtineret impetum; quem quidem adeò proſperè noſtri ſuſtinuêre, ut niſi quidam alij neglecta lege militari, relictis ſtationibus, ne primo pugnæ feruori defuiſſe dicerentur, confusè rem egiſſent; pro paruo noſtrorum numero, plenâ fortaſsè potiti fuiſſent victoriâ. Ea tamen divinæ bonitatis erga Banum, ac cœteros eius benignitas apparuit, vt cùm ibidem flos ceciderit Hungariæ, ipſe cum ſuis ſaltèm potioribus, incolumes evaſerint. Tametſi verò quidam Scriptorum (vt Brodericus refert, quem tamen vtpotè modeſtior, non nominat) noſtros ſibi fugâ conſuluiſſe, ac deſertores Regis appellare petulanti lingua non fuerit veritus; eum tamen Brodericus, præſens eius prælij ſpectator, ac poſteà ſcriptor hiſce refutat verbis.

Illyrici egregiè præliantur.

» *Nam quod ad tres illos attinet, ad cuſtodiam Regij corporis deputatos, conſtat eos ab hoſte, ad quem reprimendum miſsi fuerant, non prius redire potuiſſe, quàm fuerit tota acies noſtra in fugam conuerſa, capto etiam vno ex eis Calaio, & eodem in loco à duobus ſocijs liberato. Quo moleſtiori animo ferendum cenſeo, quòd auſus ſit quidam oratione de hoc publicata (ſi Oratio illa vocari debet) noſtros ſui Regis deſertores falsò vocare. An deſeruiſſe Regem ſint cenſendi, qui omnia illi officia bonorum, ac fideliſsimo-*

rum

rum ſubditorum præbuerunt, qui omnes ferè in eodem in quo Rex »
iacuit, campo iacuerunt, teſtati morte etiam, quàm fidi ſuo Regi, »
quam amantes Patriæ fuerint. Sed idem ille egregius Hiſtoria- »
rum Scriptor, qui hæc ſcribit, & qui tot conuitia in gentem noſtram »
ingerit, huius etiam cladis Hiſtoriam ità ſcripſit, vt me pudeat, eum »
ità impudentèr, rem ſibi ignotam in vulgus prodere fuiſſe auſum. »
Hæc Brodericus. Inciderat fortuitò Battianius in Palatinum, æquâ ſorte cum ipſo fugâ è prælio elabente, tùm deindè Nemett-vyvarum digreſſus, quod â Ludouico olim poſt mortem Laurentij Syrmij Ducis dono acceperat; miſerabilem, ac deformem prorsùs Patriæ ſtatum ſecum contemplans; quàm faſtuoſo auſu hoſtem nimium potentem aggredi, quàm temerariæ fortunæ aleæ innocentis vitam Regis, ac vniuerſæ Reipublicæ priſtinum decus committere ſint auſi, quàm demùm iniquè nullam impoſterùm, aut è ſeruitute barbara, aut exterarum Nationum Imperio reſpirandi facultatem ſint nacti: cùmque videret partem Ferdinandum Auſtriæ Principem poſcere, partem Regnum ad aliquem ex Procerum ordine, tacitis votis tranſlatum velle; Franciſcus interea cum Collega, donec res in quamcunque partem expediretur, Clementis Summi Pontificis auxilia, ad tuendos Præfecturæ ſuæ fines, & potiſſimum Iaiciam, & Cliſſiam ob Turcarum viciniam in periculo conſtitutas imploranda cenſuêre; miſſo ad eum Thoma Camaniano, Viro impigro nobilique in ea Illyrici parte, quæ nunc Sclauonia vocatur, genere orto. Qui cùm Romam veniſſet, ac Regis interitum, quem iam Clemens non ignorabat, multis verbis deploraſſet, ac itineris ſui cauſis explicatis, poſt non longam aut diuturnam moram, Menſe Ianuario, die decima, 1527. à Iacobo Sadoleto Cardinale, Pontificis reſponſum literis comprehenſum, intellexit; ſe auxilia, quæ expectat, cupere ex animo poſſe ad eum primo quoque tempore mittere, ſed ſe ſuaſque res, ſanctamque Sedem Apoſtolicam in eo ſtatu eſſe, eiſque perturbationibus & anguſtijs vndique premi, vt multò magis aliena egeat ope, quam ſuam cuique ferre valeat: Si quandò Deo adiuvante, incommodis illis liberaretur, vireſque adeò debilitatas aliqua ex parte recuperet, atque etiam res Hungaricas in certo ac concordi aliquo ſtatu eſſe intelligat, quantum in ſe eſſet, eis non defuturum. Battianianus repulsâ intellecta, quanquam ſeſe ab omnibus, ipſoque Summo Ponti-

Digitized by Google

fice, communi omnium patre, derelictum doleret; vigilando tamen & agendo, eas arces proviſo commeatu, ac alijs neceſſarijs, non ſine difficultate inpræſens conſervavit.

Verùm vbi diverſi Procerum in diverſas, de ſubſtituendo Rege, diſtracti fuiſſent partes, Batthianianus cum Carlovicio deſerto Joanne Scepuſienſe Waivoda, qui iam Albæ à pleriſque Magnatum Rex ſalutatus, atque coronatus fuerat, partibus Ferdinandi Auſtriaci, cum nonnullis Sclavoniæ Optimatibus adhæſit, conſtanterque perſeveravit; alijs uniuerſis in partes Joannis deficientibus. Comes enim Chriſtophorus Frangepanus relictis Ferdinandi partibus, quas ob ſimultates non ſolutorum ſtipendiorum, aliaſque graviores cauſas deſervìſſe videri volebat, à Ioanne partium Illyrici Pro-Rex & Banus, vt appellant, declaratus fuerat, ſumma omnium rerum poteſtate ei permiſſa, & Arcibus, ac agris quibuſdam Palatini vnâ aſſignatis: Iſque navandæ rei avidus, Franciſcum Batthianium, quem à Ludovico Rege eodem Præfecturæ, & Magiſtratus titulo cohoneſtatum Ferdinandus quoque confirmaverat, ac alios Ferdinandum ſequutos, armis, & bello perſequi decreverat. Adhæſerant ei Ioannes Banffius, Simon Epiſcopus Zagrabiæ, Ioannes Tahius Ordinis Equitum Rhodiorum Auranæ Prior, Petrus Marcius Poſegæ Comes, Natione quidem Vngarus, ſed qui ducta Laurentij Garay Filia, ſedem, & domicilium in Illyrico haberet, Clienteliſque, & equitum alis eo tempore pollens, potenſque eſſet, ac Joannes Erneſtus cognomine Hampo, qui ampliſſimas in Dravi, ac Muræ peninſula Arces, & Oppida obtinebat; atque è Nobilitate alij complures: vt tria millia equitum, & decies mille pedites in caſtris haberet; pecuniâ quoque, à Joanne in ſtipendium miſsâ, alas equitum, & certum peditum numerum conduxerat, ex quibus iuſto contracto exercitu, tormentiſque comparatis, Pecrium ante omnes alios, vi & armis exagitandum ſuſcepit: Eiuſque Arces Raſiniam, Cuſterocium, Pecretium, ac Petrovinam expugnauit, ac incenſas & concrematas ſingulari crudelitate ſolo æquauit, quod ſe ab illo iniquè laceſſitum, & inſidijs petitum conquereretur. Quùm enim Frangepanus è caſtris ad Velicam Regiam, quæ eſt Arx non procul à Savo amne, cum valida equitum ala, ſpeculatum hoſtes profectus eſſet; Pecrius è ſylva in quam locatis inſidijs, ſeſe abdiderat, ſubitò provolans, tanto impetu

Ferdinandus & Ioannes Scepuſienſis Reges.

Mutuæ Factiones in Illyrico.

Digitized by Google

petu pugnam iniverat, vt Frangepanus periculo proximus vix hoſtium manus evaſurus crederetur, niſi promptiſſimi militum Equeſtris Ordinis è caſtris in auxilium tempeſtivè adcurriſſent. Vitato periculo exindè digreſſus, primo ad Criſium celebre Oppidum caſtra poſuit; nec ibi diutiùs moratus, omnia ferè loca, quæ ad Dravi decurſum ſita erant, expugnatis Præſidijs, aut ſponte ſe dedentibus, occupavit; poſtremòque adverſus Battianium, quem cum exercitu, ac Germanorum auxilijs è Styria, ac Carinthia & Carnis accitis ad ripam Dravi propè Varaſdinum caſtra habere intellexerat, iter intendit; erant in Battianij caſtris, præter Joannem Carlovicium Collegam, & Joannem ac Nicolaum Comites Zrinianos, Lucas Siculus Jacobi Filius, Georgius Zlunius è Familia Frangepana adverſarum partium Ducis propinquus, Franciſcus Blagaius, è Romanâ clariſſimâ Vrſinorum gente originem ducens, Petrus Keglevitius Jaiciæ Præfectus, omnes Viri clariſſimi, belloque & armis celeberrimi, & nauandæ operæ cupidiſſimi; Accedebant etiam Germani auxiliares Duce Nicolao Comite Turriano, adeò, vt Battianus & ſocij tàm numero copiarum, quàm robore militum, hoſtibus non impares eſſe cenſerentur; ſed illi incertum quibus de cauſis (quanquàm ſi totius belli euentus reſpiciatur, vtili admodùm ſiue caſu, ſiue conſilio factum eſſe conſtat) Frangepani aduentantis fama perculſi Dravum facto ponte tranſière, & ad Ormoſdum in Styria ad vlteriorem fluminis ripam Oppidum ſeſe recepêre. Quorum diſceſſu cognito, Frangepanus quanquàm pugnæ auidus, quod tamèn flumen hoſte vtramque ripam obtinente, abſque manifeſto exercitus detrimento periculoque tranſire non poſſet, eos inſequi deſtitit, & ad Zamlaciam (quod erat peculiare ditionis Batthianiani hoſpitium Ducis Oppidum) caſtra reduxit: ibique Ducibus & Proceribus, Præfectiſque in conſilium adhibitis, an hoſtis perſequendus, aut in Regiones Hungaricas trans Dravum ducendus exercitus eſſet, quod per occultos nuntios à ſtudioſis partium ad tranſeundum ſollicitarent, ijque ſe ad defectionem paratos eſſe ſignificarent, ad deliberandum propoſuit. Omnibus, & ſibi imprimìs conſultiùs viſum eſt, Varaſdinum obſidendum eſſe, ne quid à tergo hoſtile relinqueretur, &

interea

Digitized by Google

intereа ijs, â quibus vocaretur reſcribendum, ne quid in officio propenſioris voluntatis & ſtudij remitterent, & eius aduentum qui expugnata Vrbe brevi futurus eſſet, tacitis votis paratiſque animis opperire vellent. Itaque edito profectionis ſigno tormenta promoueri, & eorum magiſtros cum peditatu progredi iubet, ipſe cum equitatu ſubſequitur, & in agro ſubvrbano haud procul caſtra locat. Sed trahente fato dum operi extruendo, cui tormenta ad expugnandam arcem accepta in poteſtatem per deditionem vrbe, imponenda erant, inuigilat, ac circa idem incautius obambulat; ab arcenſibus Palatini militibus ſerenâ luce conſpectus, tria minora in eum ijdem direxêre tormenta, è quorũ vno ictus globo, lethale inter femur & vmbilicũ vulnus accepit. Sed diſſimulato caſu compreſſoque plagæ dolore, equum adduci iuſſit, & eo conſcenſo reiectis qui officij cauſa ferre opem volebant, in caſtra reuerſus eſt. Ad quæ quidem eius ſauciati fama celeritèr perlata omnium animos vehementèr contriſtauerat. Eum enim cùm ſpecie proceri corporis, tùm virtutis & fortitudinis laudibus inſignem, ac veluti communem diſciplinæ militaris Magiſtrum omnes valdè amabant. Itaque cùm ad Prætorianum tentorium equo deſcenderet, & cum Ioannes Banffius ſubleuare vellet, ab eo prohibitus eſt; cùmque tam medicis, quàm ſibi ipſi inſanabile vulnus videretur, relicta in præſens rerum priuatarum cura, Duces, & Militum Præfectos ad ſe vocauit, ac cum mœſti triſteſque conueniſſent, graui ſermone diſſeruit, ſibi quidem non adeò grauè ac moleſtum accidiſſe, quod fortuna plerumque inſolens, & infeſta bonis conſilijs, vltimum ſibi vitæ finem attulerit, quum nec timere mortem ſciat, nec tales exitus pleriſque militaribus viris, & Ducum ac Imperatorum quam plurimis vſu veniſſe ignoret, & omnibus ſemel vno, ac altero genere mortis vita excedere neceſſe ſit, ſed animo præcipuè angi & confici, quod Ioanni Regi operam quam cœperat, morte præventus præſtare nequiuiſſet, eos proindè omnes orare & obteſtari, ne illum deſerere velint, ſed oppido in poteſtatem redacto, continuatâ obſidione, Arcem quoque captam adijciant, ſe fato cedentem relinquere illis Ioannem Tahium, virum militiæ rerumque vſu peritum, quem ſui loco exercitui præfuturum ſequi poſſint.

Digitized by Google

poſſint. Ante omnia beneuolentiſſimi Regis, ſed iniquiſſimè Regno exacti cauſam ſpectandam eſſe; enitendumque omnibus corporis, & animi viribus, vt retenta ei Illyrici poſſeſſione, & Vngaris ſponte operam promittentibus in belli ſocietatem adſcitis, illum ab exilio ſuperis benè iuuantibus rediuiua virtute, & felicioribus armis in ſoliũ reponant, vt ab eius rebus integris, ac liberalitate ſingulari, tàm publicis omniũm, quàm priuatis ſingulorũ meritis perſoluendis certa præmia expectare poſſent. Poſtremò vnum hoc extremi muneris officium ab ipſis vniuerſis etiam atque etiam vehementèr petere, vt offenſarum, ſi quas animo concepiſſent, & iniuriarum omnium ſi quibus ſe affectos putarent haud grauatìm obliuiſci, ſibique iam iam ad ſuperos in cœlum migraturo, Chriſtiana pietate ignoſcere velint. Hæc quum dixiſſet, intuentibusque, qui aderant omnibus rerum humanarum recordatione lachrymæ obortæ eſſent, ipſe ſe in lectum compoſuit, ac non multò poſt deficiente voce, oculiſque & ſenſibus hebetatis, aliquandiu ſimilis exanimato iacuit, deinde eâdem nocte â familiaribus eſſedo illatus, quùm ad Martinachium pagum peruentum eſſet, vir nobiliſſimus & fortiſſimus extinctus eſt, magno ſuorum omnium dolore incredibilique partium Ioannis detrimento, quæ poſt eius interitum in dies in peius ruere cæpere, ac poſtremò iuêre præcipites. Eius cadauer, magna clientum veteranorumque militum frequentia, ac multis cum lachrymis, quod nullam prolem reliquiſſet ditione eius omni, ac præamplis opibus Ferdinando fratri relictis, Modruſiæ tumulatum eſt. Poſtero die Battianius intellecto Frangepani interitu Drauum iterum remenſus, quod illius morte copias omnes in veſtigio dilapſas, obſidionem ſolutam, pacata præter ſpem omnia reperiſſet; proſpero rerum ſucceſſu lætus, Criſium Oppidum antiquitus ad conuentus celebrandos deſignatum, Comitia indixit. Atque eo frequentes proceres cum conueniſſent, ab eo partìm ſpe præmiorum, & pollicitationibus perſuaſi, partìm minis, & extremorum quorumcumque denunciatione territi, annitente etiam omnibus viribus Pecrio, ſuffragijs omnium concurrentibus in partes Ferdinandi conceſſêre, Ioanne Banffio, & Simone Epiſcopo Zagrabienſe exceptis, qui ſingulari conſtantia, omnibus contempis periculis ab Ioanne,

Chriſtophorus Frangepanus moritur.

ne, quanquam exule & inope, avelli nullo modo potuêre. & ſanè feliciorem ac laude multo digniorem poſuiſſent Bani operam, ſi maximis Boſnæ, ac Croatiæ, quæ ſecuta ſunt malis ſuccurriſſent; quam quod inteſtinis factionibus intempeſtiuè nimium aliæ nationis Imperium ambire cœperint: ſedulam enim nimis in tuendis Ferdinandi partibus navavere operam. at dùm Turcæ in omnem nocendi occaſionem intenti Iaiciam ac duodecim finitimas Boſnæ Arces, Ioannis quoque Carlovicij Bani dominia in Crovatia Lycam, Vduinam, Corbauam ſedem Epiſcopalem occupant, ij officio ſuo minimè prorſus ſatisfeciſſe iudicandi ſunt, quamuis Carlouicium in Arce ſua Medued gravi detentum ægritudine, nec ſuis laborantibus opem ferre valente, excuſatum facilè quiſque dixerit. Cuius etiam morbi atrocitate Anno inſequenti 1531. Vir nobiliſſimus nullis relictis liberis extinctus eſt: in eo progenies antiqua ac Illuſtris Cyriacorum, ſeu Carlouiciorum, è Torquata veteri Romanorum familia originem ducens, prorſus defecit, hæreditate eius omni, quæ ſupererat, Ioanni & Nicolao Comitibus Zrinianis, è ſorore illius progenitis obueniente, idque Ferdinando Rege liberalitèr approbante. Familia hæc ad Manlium Romanum equitem, Torquatum poſtea dictum genus ſuum refert, qui cùm Gallum iuuenem armorum peritia ferocientem atque iactabundum, ſuperbis indutum veſtibus, aureoque torque ornatum duello confeciſſet, torque ipſi detracto atque collo ſuo veluti victoriæ ſuperatique hoſtis ſigno impoſito, Torquati deinceps nomen obtinnit. Eius deinde poſteri Urbanis factionibus impulſi, mutatis Romanis ſedibus in Croatiæ oram deuenere, & nobili occupata arce in Croatiæ, Dalmatiæque finibus ſita Carlobagh nuncupata, Carlouiciorum perpetuo cognomentum vſurparunt. Quid verò Battianius his in periculis egerit, aut vbi nam commoratus fuerit, nihil de eo annales prodidere. Carlouicius celebri funere in æde Diuæ Virginis Remetenſi Sclavoniæ, apud Patres Eremitanos cuius benefactor inſignis olim fuerat, tumulatus requieſcit.

Mors Carlovicij Bani.

Durantibus his factionum tumultibus, Ioannes Chriſtophorum Frangepanum ſuarum partium Banum in Illyrico conſtitu-

ſtituerat, Ferdinandus verò Battianium à Ludouico iam olim Præfectum rurſum confirmauerat, vt iam ſupra diximus; verùm vbi Ioannem Banffi, ac Simonem Zagrabienſem Epiſcopum ſingulari conſtantia Ioañi regi Battianius fauere aduertiſſet, multis tandem inter eoſdem antea, quã Diætalibus publicis, quâ priuatis interlocutorijs habitis altercationibus, Battianus tot viciſſitudinum pertæſus, ſublato inſuper è viuis Collega, Præfecturam ſupremi Magiſtratus renunciat; qui quidem annis aliquot ſummo cum infortunio Illyrici, ob multorum diſcordiam ſubſequentem æmulorum vacabat. Eodem tempore Cliſſia Arx cæterum inexpugnabilis, ac in edito montis cacumine ſita, quæ multis annis à noſtris magno labore, egregiaque virtute defenſa fuerat, interempto eius fortiſſimè pugnante Præfecto Petro Cruſitio in poteſtatem hoſtium deuenit: ſimul etiam Clariſſimi Heroes, tàm Illyrij, quàm Alemanni ductore Cociano, ac Ludouico Pecrio (quorum poſterior interea Banali munere in ductando exercitu fungi iuſſus fuerat) in expeditione arcis Eſſek interiêre, nam militibus fame propè enectis, ac turpiſſima fuga eiſdem deſertis Duces rediêre, milites verò hinc inde palantes, aut hoſtium, aut mortis præda fuêre. Ob quam ignominioſiſſimam deſerti, ac perditi exercitus famam Pecrius ad Ferdinandum accerſitus, in cuſtodiam Græcij conijcitur, ſeptemque ibi detentus annis, ægrè poſtmodùm amicorum opera eliberatus, luminibus iam quaſi orbatus, rediјſſe domum fertur. Cocianus verò in cuſtodiam Viennæ ſimilitèr coniectus, ac ope mulieris cuiuſdam primariæ eliberatus, in Coſtaniciam Zriniorum Comitum arcem profugiens, ibidem interceptus, & iuſſu Ferdinandi à Nicolai Comitis familiaribus interficitur. Eum Iouius lib: 36. genere Croatam, & arcem Coſtaniciam eius fuiſſe ditionis ſcribit, ſed malim hac in parte Iſtuanffio contrarium ſentienti, velut magis rerum noſtrarum perito, fidem adhibere. Atque hæc duo immenſi ponderis Croatiæ, & Sclauoniæ illata detrimenta, accidêre ad annum, quo Battianius Magiſtratum reſignauerat, Milleſimum Quingenteſimum Trigeſimum Septimum, quo octo propè Olympiadibus, magnificè perfunctus dici poſſet, niſi principia egregiè geſta, vecordi fine terminaſſet: quippè cùm nequa-

quam aut prudentis, aut communem amantis ſalutem Naucleri munus eſſe dignoſcatur, ſummis claſſem jactatam fluctibus, naufragioque vicinam, clavum deſerere; atque privatis ſpectatis commodis extremis eam inuoluendam periculis, ſe in tutum ſubtracto, derelinquere.

FINIS LIBRI TERTII.



GE-

Digitized by Google

GEORGII RATTKAY
MEMORIÆ
REGVM,
&
BANORVM
Regnorum
DALMATIÆ, CROATIÆ, ET SCLAVONIÆ,
LIBER QVARTVS.

QVartus memoriæ noſtræ ſequitur Liber, quorum primum ac ſecundum ita inſtitueramꝰ, vt eos comprehenderet Reges & Banos, quos Illyricũ è ſuis habuiſſe conſtat; Tertius verò eos referebat Banos, qui regnis hiſce iam noſtris Coronæ Hungaricæ annexis & coniunctis, ac eiuſdẽ Regibus parentibus Illyricum gubernauêre. Quartꝰ hic demũ eos ob oculos ſtatuet, quos invictiſſima Auſtriaca Domus ſuſcepto horum Regnorum Imperio, Proregis munere fungi, ac vices ſuas obire iuſſit. Subſtituitur itaque Batthianio juſſu Ferdinandi, in cuius partes iam Illyrici omnes conceſ-

Digitized by Google

Petrus Keglevitius, & Thomas Nadaſdius Dal Croa. & Sclauon. Bani 1538.

conceſſerant, anno Milleſimo quingenteſimo trigeſimo octavo in Banalem dignitatẽ Petrus Keglevicius, ac Thomas Nadaſdius, Viri & Nobilitate generis, & meritorũ claritudine, & opũ abundantia celebres. Verùm dum ij pro dignitate officij ac perſonarũ inaugurarioni ſuæ incumbunt, Amurates, Cliſſiæ Præfectus cum vicinis præſidijs Dubiciam Arcem Zrinianorum Comitum, ad Savi ac Hunæ confluenta ſitam, quod per paucos in ea eſſe defenſores, & exiguam commeatus copiam habere intellexiſſent, parvo labore obſident, invadunt, capiunt. Cuius captæ fama perterriti milites, qui in præſidio Ieszenovacz poſiti erant, quod multam pulveris ſulphurei copiam haberent, illa vacua relicta atque ſuccenſa dilapſi fuêre. Quibus rebus permoti Keglevicius & Nadaſdius, vt Siſcia, Hraztovicia, cœteræque, quæ adhuc ſupererant Arces, ipſaque Zagrabia imminenti periculo eximerentur, copias cogere, & Turcarum iniurijs propulſandis obviam ire conſtituerunt. Sed illo ob valetudinem, qua nimis incommoda vtebatur, domi ſubſiſtente, Nadasdius Jeſzenovacz ditionis Procerum Sempceiorum nec opinantibus Turcis aggreſſus, milites vt ſcalas apponere, & muros aſcenſu ſuperare contenderent iuſſit. Quorum & præcipuè Marci Thomaſſovicij Præfecti tantus ardor ſcandendi muros, ac in Arcem euadendi celeritas fuit, vt repulſis & diffugientibus qui reſiſtebant Turcis, puncto temporis potirentur. Sed Nadaſdius præda quæ reperta erat militibus diuiſa, Arcem ſolo æquavit. Et ſanè noſtri reſumptis animis vlterius progreſſuri erant, comparataque claſſicula earum navium quas Saicas, ſeu Nazadas vocamus, tàm è flumine, quàm continenti inſtituta oppugnatione, Dubiciam recuperaturi videbantur, cùm per exploratores, qui Belgrado haud procul illinc diſtante convenerant, conſtanti fama adfertur Sulimannum ingentibus iterum copijs & viribus in Pannoniam venire, jamq́e haud procul Samandria, prima antecedentium agmina caſtris locum occupaſſe. Cœterùm is terror noſtros iuxta ac hoſtes in diuerſum affecit, & noſtris quidem audaciam omnem infregit, illos verò vt ad caſtra Principis ſui tot partis victorijs læti proficiſcerentur incitauit. Verùm de his Banis quid in officio geſſiſſent, nihil vltra memoriæ proditum eſt, quanquam antea bello clariſſimi, prudentiâ, vſu rerum, & apud omnès authoritate plurimum valuiſſent: Et Keglevitij

quidem

Digitized by Google

quidem laus tam Præfecturæ Jaicienſis tempore, quam antea ab Iſtuanffio celeberrima commemoratur, ipſius inſuper Ferdinandi litteris ad eum datis, initio à nobis recitatis, virtutem ac fortitudinem eius commendantibus. Verùm Nadaſdio brevi Præfecturam reſignante, Keglevitius aliquandiu præfuit ſolus, vt clariſſimè ex Litteris Ferdinandi ſupra memoratis 1540. datis liquet; vnde non rectè Iſtuanffius ijſdem Poſonienſibus Comitijs Anno Milleſimo Quingenteſimo QuadrageſimoSecundo celebratis, & Nadaſdium reſignaſſe, & Keglevitium dignitate motum ſcribit. Et ſanè, ſi finis principio reſpondiſſet, meritò Keglevitius inter clariſſimos Heroes cenſeri deberet, at aviditate honorum & auaritia correptus, reus Maieſtatis læſæ, ac legum refuga factus, meditato etiam ad Turcas transfugio, totam laudabilitèr tranſactam vitam, & canam iam ætatem (cùm ſeptuageſimum exceſſiſſet annum) vltimo dedecore turpiſſimè maculavit: Ob quæ etiam facinora juſſu Ferdinandi dignitate motus, quam annis quatuor adminiſtrauerat, domi deindè inglorius humanis exceſſit. Amoto è Magiſtratu Keglevitio, publicis in Comitijs juſſu Ferdinandi, & approbatione omnium, trium Illyrici Regnorum Banus conſtituitur Nicolaus Comes à Zrinio 1543. cuius iam tum eximiam fortiſſimi Adoleſcentis virtutem perſpectam habebant cum in Peſthana obſidione Vitellium & Perennium cum Turcis præliantes, adeò virilitèr cum quadringentis Illyrici nominis equitibus adiuviſſet, vt is potiſſimum celeberrimam omnibus victoriam peperiſſe ſit iudicatus. Celeberrima quoque ſemper Familia iſta Zriniorum habita fuit, & ab aliquot iam ſæculis, vel ipſo Comitum titulo gloriatur; nec facilè diſcernas, an virtute militari quoddammodò innata potiùs, an favore Virorum Principum ac popularium (quamvis neutrum illi vnquam defuerit) opulentiſſima ſemper dominia & honores ampliſſimos obtinuerit. Eius Familiæ Viri Subych olim cognominati de Oſtervicza, poſtea verò vbi Comitis titulo decorati fuerant, ab Arce Zryn in Croatia ſita appellationem vſurpârunt. Sed Nicolaus primam Banatus ſui arridentem excepit fortunam; Etenim cùm Sulimannus Anno 43. ſupra 1500. exiguo labore Quinque Eccleſias, Strigonium, Albamque occupaſſet, ipſeque iam feſſo exercitui quietem conceſſurus, domum reverteretur; Tartarorum aliquot millia ad vaſtandum

Iaurienſem

Nadaſdius Banatum reſignat.

Keglevitius eo priuatur.

Nicolaus Comes à Zrinio Banus 1542.

Digitized by Google

Iaurienſem agrum excurrere juſſerat. Erant nihilominus in caſtris circa Jaurinum copiæ quædam quæ tuendæ Regioni excubabant, inter eas Nicolaus Comes de Zrinio Illyrici Præfectus, Andreas Batthorius, duo Bartholomæi Croatæ, ac cœteri quam plures Duces, Præfectique: Ii cum Tartaros ex caſtris hoſtium excurriſſe, & obuia populari cognouiſſent, cohortante Comite Zriniano in eos coercendos maiori quo potuerant numero, caſtris exire, ac fœdam moribus cultuque corporis gentem armis aggredi conſtituerunt. Itaque Zrinius in itinere Paulum Rattcaium oppidi Papenſis Præfectum virum manu, conſilioque promptum ſibi adiunxit, & cognito ab exploratoribus Tartaros ad Zomlionis agrum prædabundis agminibus diſcurrere, eo cum vniuerſo exercitu maturè progreſſus eſt. Nec Tartari viſis noſtris eorum congreſſum vitandum duxere, ſed ſine mora arcubus & ſagittis acceptis, quibus in prælio potiſſimùm valerent noſtris obuiam prodire non dubitarunt: Rattcaius præcedebat cum duobus Bartholomæis, Zrinius Comes cum cæteris haud procul veſtigijs eorum inſiſtebat. Nec mora noſtri inclinatis haſtis in eos irruerunt, multoſque equis deturbatos ceciderunt. Noſtri qui ſequebantur ſuis nihilominùs laborantibus maturam ferunt operam, magnum haſtarum numerum in hoſtium pectoribus ac lateribus acri illato impetu perfringunt, plurimoſque ex eis equis deiectos occidunt; vim eorum Tartari nequaquàm ſuſtinentes, in effuſam fugam conuerſi, tergâ dant relictis omnibus captiuis quos populando, & vaſtando cœperant. Noſtri eos in paluſtre quoddam cœnoſumque nemus cœco procurſu delatos (metu enim, & pauore exanimes, quorſum fugerent non animaduerterant.) inſecuti, magnam eorum partem, relictis equis cœno & paludibus implicitam, partìm cœperunt, partìm trucidarunt; pars poſt longam colluctationem ibidem interijt, plerique à muſcis culicibuſque malè habiti, etiam in caſtris perierunt, plures etiam, qui ſummo labore fortè eniti potuerunt, ab agricolis, quorum familiam exuſtis domibus afflixerant, ſine miſericordia paſsìm cæſi fuere: adeò, vt ex Tartaris ampliùs tria millia, tàm prælio quàm in fuga cecidiſſe certò conſtiterit. Porrò vt humanarum rerum fert viciſſitudo, nec in eodem vnquam æqualitatis gradu fortuna conſiſtit, feliciora

Nico-

Digitized by Google

Nicolai principia aduerſa ſors excipiens, ſecuto infortunio eius gloriam nonnihil obumbraſſe viſa eſt. Nam vbi Vlamanes Boſnæ, & Malchus Hercegovinæ Præfecti in Illyricum excurrentes, Velicam arcem ab agreſtibus proditam, ac montem Claudium nullo valido Præſidio firmatum occupaſſent, fortunam vlteriùs tentandam arbitrati, itinere inter Criſium & Ivaniciam facto, eam Regionem prouinciæ Varaſdinenſis, quæ inter montes ſita, ac vſque ad Somſeduaram exporrecta, Sagoria appellatur crudelitèr populari, ferroque & igne vaſtare conſtituerunt. Quod cum Nicolaus Comes Zrinius Illyrici Prorex, ac Georgius Bildenſtanius Germanus, qui Styriæ, & Carinthiæ copijs præerat, ab idoneis exploratoribus didiciſſent, contracta & ipſi valida equitum manu, firmiſque peditum cohortibus obuiam hoſtibus eundum, collatiſque ſignis defendendam provinciam ſuſceperunt. Cùm autem antecedentium Turcarum agmina Criſium prætergreſſa, è ſyluis continuis, ad Conſchinæ ſeu Zelniciæ arcis planiciem, quanquam non latam ac ſpacioſam perueniſſent, Zrinianæ, & Bildenſtanianæ copiæ eis apparere cæperunt; quas cum hoſtes vidiſſent, vociferari ac proclamare, petereq; vt indictis momentaneis inducijs, ex vtraq; acie conſpicui, & promptiſſimi militũ infeſtis haſtis, ſub publica fide concurrerent. Erat è Ducibus Paulus Rattcaius, qui tale conſiliũ damnaret, & ſicut erat fraudem dolumq; ſubeſſe prædiceret, id enim à Turcis non aliam ob cauſam peti videbatur quam vt copiæ vniuerſæ, quæ in denſioribus vaſtiſque ſyluis lento gradu aduentabant, ad præcedentes ſuorum turmas peruenirent, ac in noſtros toto virium robore ſigna inferrent. Dum in hunc modum concurrentibus noſtris & Turcis, haſtæ ad ducentarum numerum aduerſis pectoribus franguntur, ac nonnullis ſauciatis, cæteri incurioſius quam res poſceret, agitant, Vlamanes, primò è ſylua cum ſuis prodit, ac inducias effluxiſſe fidemque publicam deſijſſe proclamat, & in noſtros ſolutis ordinibus diſperſos omnibus copijs irrumpit. Noſtri ſingulari animorum præſentia, cum eis pugnam ineunt, pedites è nemore ſclopetis rem gerere iubent. Sed Malchi ſuperuentu, quum metu perculſi pedites terga vertiſſent, equitibus quoque repentè animus concidit. Zrinius, & Rattcaius eos retentare conati, fruſtra operam perdunt. Bildenſtanius quoque aliquamdiu Germa-

nos

Digitized by Google

Zrini9 improſpere pugnat.

nos pugnam ſuſtentantes animare contendens, poſtremò à Turcis acritèr inſtantibus funditur; & pedites quidem noſtri ſaltibus & montibus protecti hoſtium inſequentium impetum vitavere, equites cùm fugâ haud quicquam proficerent, equis deſilientes exemplo cohortium in proximas ſyluas ſeſe pedibus proripuêre. Zrinius præſtantiſſimo vectus equo, quem Marcaſſum vocabat, cùm diu reſtitiſſet, & ſuorum fugam ſiſtere vellet equo vulnerato ad Conſchinam vicinam profugere coactus eſt, & quum equus eius à Turcis inſequentibus alterum vulnus profundum circa illa haſtæ cuſpide illatum ſuſcepiſſet, eoque magis debilitatus, ſupra arcis pontem concidiſſet, pedibus evadens, in arcem receptus eſt. Bildenſtanius iamiam ab hoſtibus capiendus, relicto equo in foſſam arcis præaltam inſiluit, parumque aberat, quin miſerabili caſu aquis immerſus interijſſet, niſi Stephanus Balevitius, qui nandi peritus vna inſiluerat non ferens virum inſignem ducemque ſuum, tàm fœda & indigna morte extingui, opem opportunè attuliſſet, cumque comas eius quod detonſæ eſſent, manu capere non poſſet, barbam, quam prolixam gerebat, profundo aquarum gurgite exemit, attonitumque & aquas evomentem in arcem perduxit: Paulus Rattcaius, Stephanus Dersffius, Franciſcus Tahius, ac maior pars noſtrorum in tutum evaſere. In ea pugna à noſtris malè pugnata, pauci milites deſiderati ſunt, quod peditatus ſyluarum, & montium beneficio protectus integer effugerit: equites verò, partìm ad ſyluas, partìm ad vallum & aggeres propinquæ arcis dilapſi, tormentis ex arce emiſſis defenderentur. Sed equorum, quos noſtri metu perterriti deſeruerant, magnus numerus in hoſtium poteſtatem devenit. Turcæ hac parta victoria à diripiendis incolis, vaſtandaque prouincia abſtinuere: ac paucis ſuorum amiſſis inter quos Demirhamus cognomento Spanacovicius inſignis alæ Camengradianæ Præfectus fuit: qui in primo haſtarum concurſu cum Stephano Segovitio, Zriny Comitis equitum Præfecto congreſſus, ad ſalutandum, & cum ſummo honore amplexandum Zrinium procurrerat, ac poſtremo in acie fuerat interfectus, inde Banialucam rediere. Verùm quia hic Paulus Rattcaius celeberrimus ſemper eſt habitus vir, de eo quædam adhuc (abſque iactantia nominis:) breviter inſerenda videntur: Ob eximia igitur militaris virtutis merita

Digitized by Google

rita Ferdinandi Cubicularius, & Papæ Præfectus anno 1551. Emericus verò Telequeſſius Beſprimio fuerat, viri Iſtuanffi teſtimonio excellenti virtute ac militari ſcientia præſtantiſſimi: eò tùm tempore Veliganes Perſa Albæ Præfectus, ex omnibus Præſidijs magna Turcarum manu collecta, omnem inter Iaurinum & Papam regionem latè populari & vaſtare cœpit. In ea excurſione IIII. Turcarum millia fuiſſe dicebantur. Atque Rattcaius, ac Telequeſſius cum cognito hoſtium itinere proceſſiſſent, ac ê Tata Gregorius Petrinianus aduениſſet, ad initia ſyluæ Bacaniæ haud procul Beſprimio obuiam hoſtibus procedendum decreuere, eiſque à populando reuertentibus, ad locum cui ponti Tabulato nomen eſt, occurrere; Veligianes, viſis noſtris ſtatim ſubſtitit, ſigna ac frontem in eos obuertit, neque certamen detrectauit. Cùm contrariæ acies promouerentur, iamiamque manus eſſent conſerendæ, Rattcaius & Telequeſſius, quod inter Paxium & Petrinianum magnas hoſtileſque ſimultates intercedere ſciebant, altâ voce ambobus compellatis, Chriſtiani nominis milites mutuis odijs carere, eorumque inimicitias mortales eſſe debere præfati, poſtremò dixere, eligerent vtrum vellent, aut ab exercitu recederent, aut in mutuam gratiam redirent. Nec ij reluctandum ſalutaria monentibus arbitrati ſpectante exercitu dextras iunxere, ac deinde cum hoſtibus vnâ omnes congreſſi, eos in effuſam fugam vertere: captiui extemplo liberantur, ex Turcis plurimi cadunt, Veligianes ſaucius elabitur, maior pars hoſtium relictis equis per montium & ſyluarum latebras, notóſque colles ægrè diffugit. Capti hoſtium ad DC. ſed equi multò plures, ſigna militaria XIII. ad Ferdinandum miſſa. Cumque & hic Rattcaius præclaram patriæ, ac fidei nauaſſet operam, eundem ſibi poſtea Eraſmus Thaifelius, velut veteranum copiarum Ductorem, in expeditionem arcis Dregel aſſociauit, ac tormentis aduehendis omniq; bellico apparatui cũ Georgio Keglevitio Petri filio præfecit, eo tamen inexpectato Thaifelius cum Sinan infeliciter congreſſus, fuſo fugatoque exercitu capitur, ac Bizancium cum quadraginta ſignis, Sulimanno mittitur. Adeò propria ſequi iudicia, quàm temerarium, tàm damnoſum eſſe ſolet. Sed præclara viri huius facinora, fortuna plerumque inſolens ac infeſta interrumpens, eum ſummo Patriæ dolore, ac

Digitized by Google

commiſeratione omnium è viuis ſuſtulit: in prima ſiquidem Sigetana ſub Marco Stanſicio Croata obſidione, *cùm ad Perlacum Oppidum peruentum fuiſſet, Paulus Rattcaius vir præſtantiſsimus (verba ſunt Iſtuanffij.) cùm ob vile ſcortum, rixa inter Germanos oborta eſſet, & ipſe fortè ex hoſpitio prodijſſet, glande in incertum emiſſa interfectus eſt.* Hæc Iſtuanffi; Nec dubium quìn in maximã adhuc, ſi meliora fata ſeruatum voluiſſent, dignitatem euectus fuiſſet; ſed ad Zrinium Banum redeamus, qui in præcipuis quibuſque expeditionibus, hunc Rattcaium Collegam ſuum eſſe voluit, vt ſæpiùs Iſtuanffius memorat. Vlamanes â Georgio Monacho è Lipa antea dimiſſus, qui Boſnenſem Provinciam adminiſtrabat, acerbiſſimo odio in nos concitatus, Murate Cliſſiano, Malcotio Herchegoviniano, ac alijs limitum Præfectis ſibi adſcitis bellum in Illyrico renovavit, atque in agrum Varaſdino ſubiectum, patentemque inter Dravum & Alpes planiciem excurrendo, magnas paſsìm cœdes, rapinaſque exercuit, incenſis vbique pagis, ac multis hominum millibus in ſervitutem abductis; ſed non omninò inulta fuit eius populationis immanitas. Nàm quùm ille ductis penés Criſium copijs, Camniciam arcem prætervectus ; via Topliciana, vbi Thermæ Conſtantinianæ habentur in campos deſcendiſſet, Nicolaus Comes Zrinianus Illyrici Prorex, ac Lucas Siculus, copijs Styriæ Præpoſitus, ex inſidijs, quas hic in Varaſdini ſuburbanis, ille verò in Mariana Valle Vinicenſi locaverant, opportunè egreſſi, eum, & Turcas paſſim igne, & ferro in omnia obvia graſſantes, duobus exercitibus intercluſos, relictis captivis, & multis ſuorum amiſſis, ſingulari, tàm publicè quàm privatìm accepto detrimento, pedem referre cöegerunt. Nàm præter aliquot clarioris nominis ordinum Ductores filium Gaifferem, quem ex tribus maiorem habebat cum Joanne Margititio inſigni equitum Præfecto congreſſum, mucronato enſe, qùem equites in priori Ephipij parte appenſum geſtare ſolent, per Illia adactum amiſit, & cum incredibili mœrore luctuque, eò, vndè venerat profugit, nemine è noſtris deſiderato. Nec tamèn eius irriti conatus, neque privato amiſſi filij dolore retardatus, copias iterùm collegit, & Chaſmam Arcem ad eiuſdem nominis flumen ſitam obſidione cinxit, quam Lupi Giulani Epiſcopi Zagrabienſis milites, numero non plures viginti negligentèr cuſtodiebant: qui repen-

Zrinius Turcas profligat.

repentino metu territi, extemplo ei portas aperuerunt. Quâ captâ ad Verucîam oppugnandam copias duxit, haud procul Dravo ſitam, cui Georgius Brodianinus cum quinquaginta plus minus peditum cohorte præerat: is cum per exploratores adventum hoſtium didiciſſet, â Luca Siculo commeatum, & res neceſſarias maximèque puluerem ſulphureum, cuius inopia laborabat, per literas & nuncios petere non ceſſabat. Sed cùm is ea curare negligit, aut cunctando moratur, hoſtes ſuperueniunt, ac factis in Monaſterio Monachorum, quod propè Arcem erat, aggeribus tormenta promouent, mœniaque Arcis, quod vetuſta neque valida eſſent, vim atque ictus tormentorum diù perferre non potuerunt; ita, vt Brodianinus priuſquàm Ratkomalius & Petrus Beſzedich Ductores Ordinum cum peditum Centuria, à Siculo in ſubſidium miſſi advenirent, paciſci cum Vlamane, & deditionem facere cogeretur; Dombronem quoq; eiuſdem Zagrabienſis Epiſcopi Oppidum Turcæ non multò poſt direptum, & ſuccenſum concremavere. Nec his contenti malis Turcæ, Malcus qui nuper Vlamani vita functo ſucceſſerat, occupandæ Crupæ, & Coſtaniciæ imminebat, niſi Nicolaus Zrinianus eas novis præſidijs, rebuſque neceſſarijs muniuiſſet. Nihilo tamen minus duas arces deſertas Bunich & Peruſſich dictas, è regione Corbauiæ ſitas, quæ ab obitu Carlouicij vacuæ relictæ erant, reſtaurauit, additis tecto, & portarum valuis, ut in ijs tutus excurrentibus ſuis, foret receptus. Hæc, habita aliquanta à tumultibus requie, à Zrinio domi acta.

Turcæ Chalmam & Veruciã occupant.

Verùm breui certus affertur rumor, Aly Eunuchum vnum è quatuor purpuratis juſſu Sulimanni ad obſidendum Sygethum cum ingentibus copijs aduentare, cumque oppugnatio iam aliquot continuata fuiſſet diebus, noſtris interim ſeſe fortiſſimè tuentibus, Nadaſdius Palatinus olim Illyrici Banus, cum Hungarici ac Illyrici nominis copijs, quo Aly à Sigetho auerteretur, Babociam expugnandam ſtatuit. Itaque dum hoſtis Sigethana obſidione occupatur, Babociæ muri noſtrorum ictibus verberati magnum patefaciunt hiatum, adeò, vt Palatinus irrumpi poſſe arbitraretur: ſed animaduerſo amittendæ Arcis periculo Acomates, qui tuendæ Arci Præfectus fuerat maiorem Turcarum partem clàm ex Arce dimittit, nunciatque Eunucho, ni quantocyùs auxilio adſit, de Arce, ac reliquis in ea relictis deſperatum

Zrinius iterũ Turcas profligat.

iri. His intellectis Eunuchus, intermiſſa obſidione Sigethana, cum toto exercitu Babociam eo fine diuertit, vt manus cum noſtris conſerat. Zrinius cùm Illyrici Prorex eſſet vetere belli conſuetudine, primi ductandi agminis munus à Palatino ſuſcipit: præit igitur cum mille ſuis, quos ſecum adduxerat, & adiuncto ſibi Joanne Lencouicio cum Styriacis, ac Sclauoniæ ſtipendiarijs, ternis fortiſſimè congreſſus vicibus, triplicem reportauit palmam, aliquot Turcarum millibus deſideratis. Deniq̃ue à fortitudine animiq̃ue robore, ita rem geſſit, ùt hoſtibus quoq̃ue miraculo fuerit, parua manu tantam aggredi multitudinem: confecto feliciter hoc prælio rurſum Zrinius cum ſuis, & Lencouitius cum Sclauonico peditatu, cum Ferdinando Principe iuventa feruido Corothnam arcem adeò feliciter occupauere, ut milites, nec expectato Ducum Imperio, muros ſcandere, portas ſecuribus diuellere, hoſtes trucidare, ſumma Principis admiratione noſtris triginta tantum occumbentibus conſpicerentur. His abſolutis Princeps Ferdinandus Viennam, Zrinius domum ſuam, Lencouicius in Sclauoniam, cœteri quoq̃ue ad ſuas quiſq̃ue ſtationes conceſſere, inſtantemq̃ue hyemem in hibernis ouantes ac plaudentes quieuere. Voluebatur Annus Quinquageſimus Septimus ſupra Milleſimum Quingenteſimum, quo Nicolaus Zrinius poſt duodecimum Annum geſtæ Illyrici Præfecturæ Magiſtratu ſeſe abdicauerat, nec adhuc quiſquam in eius locum fuerat ſuffectus; nihilominùs tamen reſignata etiam dignitate, verùm ſe ſemper amantiſsimumq̃ue Patriæ Ciuem, multis poſtea clarus facinoribus declarauit: Et quidèm vel maximè in illa vulgi etiam cantilenis celebrata Sigethi obſidione, cum locum illum tolerata priori obſidione celebrem, præclara poſteà ibi morte obita, longè celeberrimum reddidit; cùm per octo & triginta dies acerrimum infenſiſsimarum Gentium impetum conſtantiſſimè perferendo, deſperatis poſtremò auxilijs haud inultus cecidiſſet, nec incruentam hoſtibus victoriam reliquiſſet, cum viginti amplius millia hoſtium ibidem perijſſe certò conſtet. Sed cùm aliàs à pleriſq̃ue Scriptorum, memoriæ ſit traditus poſterorum obſidionis huius exitus, ne lectori oneri videamur ſuperfluitate, ad illos eum remittendum iudicauimus.

Zrinius Banatum reſignat 1057.

At dùm Zrinius Banatum in Regias reponit manus, nec vllus adhuc eius loco ſubſtituitur, Turcæ fraude & prodi-

tione

Digitized by Google

tione Simonis Loſthohar è Carnis oriundi, Arcem CoſtanicIam duobus millibus Aureorum venundantis, noctis vnius labore, clandeſtina facta irruptione, paucorumque ſuorum cœde, in poteſtatem redigunt. Vnde non multò poſt Croatia pene tota, omniſque inter Hunnam & Colapim regio in extremum rerum omnium diſcrimen delapſa, & in eam, quæ nunc apparet, vaſtitatem & ſolitudinem redacta eſt; Vt iam de Croatia verè dici poſſit: Loſthohar Coſtaniczam Turcis vendit.

Impreſſit altis Mœnibus
Hoſtile Mars aratrum
Vbi ſteterunt pergama, iam
Nec fluctuant Ariſtæ.

Quod vbi Ferdinando nunciatum eſt mœſtitiam ſimul curamque ei iniecit, ac ne maior calamitas ingrueret, neuè hoſtes magis inſultarent, Petro Erdödio, virtute ac fortitudine eius fretus Jllyrici Præfecturam dedit, ea qua Zrinius habuerat poteſtate; hunc autem Magiſtrum Thauernicorum fecit. Et quidem jam antea virtutem ſupra probauerat Erdödius cum occupata ab Vlamane Chaſma ac Verucia, eius populationibus ac incendijs irritatus, comparataque ex clientibus ſubditiſque ſuis haud contemnenda militum manu, ac conſilio cum Sacerdotibus Collegij Zagrabienſis qui Siſciæ Præſidium militare habebant, Georgio item Comite Zlunio, alijſque quorum virtuti ac viribus confidebat communicato; Claſſem ex ijs nauigijs quas Saycas ſeu Naſadas vocamus ſine mora comparauit; ſecundoque Sauo delatus, fortem operam ante alios omnes nauante, ducemque itineris ſe præbente, Marco Thomaſſouicio incomparabilis virtutis viro, Gradiſcam & Velicam arces cum ſuburbanis latè patentibus, improuiſa facta irruptione diripuit; magnaque cæde Turcarum edita, & rerum omnis generis, hominumque & pecorum, militarium etiam equorum præda abacta ſuccendit & concremauit, victorque claſſem & nauales Socios, ac incolumen reduxit exercitum. Fuerat hic Petrus Erdödius tertius huius nominis, eius Petri filius, qui ducta in matrimonium

Petrus Erdödiꝰ Dal: Croa: Sclavoniæ Banus 1557.

Excurſio Erdödy cũ ingenti hoſtiũ cæde, & præda.

Pu-

Puchamia incertis tamen de cauſis vna cum Coniuge poſtea, ablato ſecum ampliſſimo theſauro, ſolis bonis filio relictis, Venetias migrauerat. Quamquam nos ſæpiùs inter priuata cognatorum huius familiæ colloquia differentes, eam fuiſſe cauſam intelleximus; nimiam videlicet erga Patrem inobedientiam, ac proteruiam; atque cum tumidis feruidæ adoleſcentiæ ſpiritibus agitaretur, eo irreuerentiæ ac contumeliæ progreſſum, vt contempto DEI naturæque præcepto Patris faciem palma contundere, ac barbam ſputis & ſaliuis contaminare non fuerit veritus: Quâ demùm grauiſſimâ exacerbatus Pater contumeliâ, diris deuoto filio impijſſimo ſolum mutauit. Nec inultus maledictionem Patris, impiùs ſenſit filius. Duorum ſiquidem annorum ſpatio rubicundam ſemper ac cruentam Sacri Corporis Chriſti hoſtiam, dum in Sacrificio Miſſæ eleuata populo adoranda monſtraretur conſpiciebat. Tandèm à Sacrato quodam viro rei tàm ſtupendæ ac diuturnæ cauſam percunctans, graue ſe quoddam ſcelus commitere debuiſſe viro Sacrato docente intellexit; at ecce ſubitò Synderesis maluſque vermis patrati criminis momordit conſcientiam, eoque tàm diù ſtimulatus ſauciabatur, donec ad Diuam Virginem Lauretanam profectus, animum Sacra Exomologeſi non expiârat. Reconciliatus DEO in reditu Venetias diuertit, à Patre quoque veniam commiſſorum delictorum ſupplex poſtulaturus; quam quidem pius Pater, Chriſtiana motus benignitate, clementer indulſit, ſed de theſauris (quod iam in Archiuum Senatus Veneti tranſlati fuiſſent.) elargiri nihil dabatur: Ea nihilominùs deinceps vitæ, morumque integritate vixit, quæ Chriſtianum militem addeceret. Et licet ablatis à Patre theſauris maximum ſuſtinuiſſet detrimentum, quia tamen complures arces amplamque ditionem à Cardinale adhuc Thoma comparatam relictam habuerat, virtute quoque ſua arcem Czeſar vocatam in limitibus Styriæ ac Sclauoniæ ſitam fuerat adeptus, eo breui euaſit, vt & ipſe inter ſuos pace belloque clariſſimus fuerit, & reliquos eius familiæ inter Pannoniæ Illyricique proceres etiamnum ab annis iam 120. amplius opibus, & dignitate conſpicuos florere videamus. Sed infelici prorſus accidit infortunio in dignitate iam conſtituto, vt dùm Ioannes Lencovitius excurrentes ac populantes Turcas Diuæ Helenæ Vicum, æquali diſtantia inter Zagra-

Inſigne miraculũ.

grabiam & Iuanichiam ſitum ſumma hoſtium clade, ingentique parta præda reprimit, eius victoriæ particeps, grauiſſimis podagræ doloribus detentus eſſe non potuerit. Acerbiori verò multò torquebatur dolore, quod ſimili impeditus ægritudine, noſtris Crupæ laborantibus à Muſtapha Boſnæ Præfecto obſeſſis auxilio eſſe nequiuerit: Et quamuis Auſpergerus, qui Croatiæ finibus Illyrica Germanicaque ſtipendia merentibus præerat, ad ſeptem millia ſelectiſſimorum virorum in caſtris, quos, præter eorum confiniorum Præſidiarios, Erdödius Banus, & Zrinius miſerat, Zluniuſque Franciſcus ipſe præſens ſecum adduxerat habuiſſet; non ſempiterno tamen dedecore ac infamia vt Iſtuanffius carpit, Slunium cum Petro Farcaſſicio in pugnam iam ruentem interdixit, ſed cum prudenti iudicio numerum ſuorum militum longè inferiorem hoſtili metiretur, quo fortuna fortè, vt ſemper inſtabilis eſt, aduerſante proſtrato, captaque arce, nec in exercitu deinde nouo congregando fiducia vlla collocata, ſpem reſurgendi obuiandique hoſti quampiam haberet; ſatiùs arbitratus eſt amiſsâ Crupâ integras Patriæ vires conſeruare, ne vtroque deperdito vniuerſas demùm res Jllyrici præcipites ire neceſſum foret; quemadmodum ſanè & poſtea ipſo Auſpergero acie ſublato, multa Croatiæ Dominia amiſſa documento fuêre. Occupata Crupa, ac ſtatim poſtea Novia Muſtapha proſpero lætatus ſucceſſu, ſingulari Auſpergi contemptu, maiora arroganti animo voluere cœpit, & ad eam Illyrici partem, quæ inter Criſium & Capronciam ſita eſt, igne ferroque vaſtandam, & depopulandam animum adiecit. Itaque coacto ex Boſnenſibus iuſto exercitu, qui ad ſeptemdecim millia hominum efficere dicebatur, traiecto Sauo lentis itineribus ad Obreſcum peruenit, haud procul Criſio diſſitum. Nihil famæ de eius aduentu habebat Petrus Erdödius, qui eodem animo, vt Turcicam ditionem inter Sopronciam atque Velicam, & Monoſlonem (hunc montem Claudium veteribus fuiſſe appellatum quidam putant.) infeſtis armis popularetur, Sauum cum mille quingentis equitibus, ac tribus peditum millibus traiecerat. Erat cum eo præter ſuas peculiares copias, Ioannes Giulanus ex Vinicia, Matthæus, & Simon Kegleuitij, Ioannes Alapianus Socer eius, Ioannes Geſtinus, multique alij ex nobilitate egregij ac fortes viri; neque tamen Muſtaphas, de eius

Defenſio Auſpergeri

cona-

conatibus quicquàm cognouerat, quum fortè non procul Obreſco noſtri quoque caſtra poſuere, caſtris Turcicis tàm propè, vt ex eodem amne, qui ibi decurrebat, vterque exercitus aquaretur. Animaduerterant Turcarum præcurſores noſtrorum antecedentium veſtigia. Sed ea Erdödius, tanta induſtria celauerat, vt prius equitatum longo ordine protenſum & exporrectum præire; deinde peditatum confertim ſuccedere, & antegreſſorum veſtigia proculcare iuberet, ne hoſtes quanquam diligenter ſcrutantes, equitum præſentiam animaduerterent. Itaque regreſſi Muſtapham edocent præiuiſſe ſatis magnum peditum numerum, vt impreſſa telluri pedum veſtigia indicare viderentur; ſe tamen illos, vt nullo equitatu ſubnixos, & aliorſum tendentes non admodum formidandos exiſtimare. Quamobem ibidem exercitum ſubitaria caſtra locare, militeſque corpora curare, & equis ex amne potatis pabulum dari iubet: Idem etiam Erdödius, & reliqui Duces, quod meridiei tempus eſſet, vt copiæ laſſitudine itineris fatigatæ, nonnulla quiete & cibo, quem ſecum attulerant reficerentur, facere: ſeque curare & equos, ac iumenta ad aquandum ducere incœperunt. Quùm pabulatores ad amnem progreſſi, complures hoſtes conſpexiſſent, ad eum, quo noſtri conſederant locum, ſummâ celeritate & curſu prouolarunt, primique ad arma conclamarunt. Contra Turcæ quoque, qui noſtros ad eundem amnem viderant, hoſtes adeſſe eodem ferè temporis momento, ſuis ſignificarunt. Sed noſtri priores equos conſcendere, ac peditatus omnis cohortante Erdödio, ac Legato eius Marco Thomaſſouitio, cæteriſque Ducibus ſclopetis acceptis, in Turcas imparatos, & inopinatò caſu trepidos, tuncque primò equos frenantes acrem impetum facere. Et fuga potiùs, quam pugna Turcarum fuit. Multi in veſtigio cæſi, multi capti; ſed multò maxima eorum pars in proximas ſyluas relictis equis, & rebus omnibus attoniti profugere. Muſtaphas, & pauci alij, qui ei obſonanti aderant, nulla facta mora aut pugna, arreptis ſubitò & conſcenſis equis ſyluarum & montium beneficio protecti in tutum euaſere. Cum paucis ijs, qui obitis excubijs parati, & equis inſidentes vigilabant, ac ad ſclopetorum fragorem, & diſſonas fugientium voces adcurrerant, leue & minutum prælium fuit; in quo cadentibus paucis cæteri per varia, quæ

cuique

Digitized by Google

cuique notiora erant compendia palantes, & diſcincti aufugerunt; capti ex hoſtibus 128. ſed multò plures cœſi, equorum verò tàm militarium, quam ſarcinariorum ingens numerus fuit, inter quos Burdones duodecim ipſius Muſtaphæ cum impedimentis, & rebus haud contemnendis, quas vehebant intercepti, cum plurima & varia ſcutorum, haſtarum, lodicum, & eiuſmodi caſtrenſium ſuppellectilium copia. Contuſa per hunc modum tumultuario prælij genere Muſtaphæ & hoſtium ferocia, rariùs deindè & cautiùs excurſiones factæ, diuque earum partium Incolæ, ab illorum inſolentijs quietiores fuere: & victoria maiori Erdödij & noſtrorum gloria, quam hoſtium cœde, aut detrimento parta. His noſtris feliciter ſuccedentibus, leuioribus prælijs Sulimannus ob denegatum iam biennio, ac non perſolutum Induciarum â Cæſare vectigal, irâ excandeſcens, ingentes Aſiæ, Europæque cogit copias, Cæſarique Maximiliano Ferdinandi ſucceſſori indicit bellum: Atque cum pro comperto haberet, â Sigethanis quibus Comes Zrinius præerat, ſuos frequentèr impeti, Mehemetem quoque Boſnæ Præfectum ab eodem interfectum, Sigetum expugnandum ſuſcepit. Maximilianus quoque audito Sulymanni adventu, iuſtum Jaurinum verſus exercitum, qui opponi poſſit, adducit. Sed Petrum Erdödium Illyrici Pro-Regem, ac Franciſcum Slunium Comitem è Frangepana Romanæ Stirpis Familia oriundum, ad tutandos Regni limites, cum Nobilitate earum partium in Peninſula, quam Dravus & Mura fluvij efficiunt, ne quid detrimenti eæ partes accipiant, iuſſit excubare. Amiſſo demùm Sigheto interfectoque Zrinio, cum caſtra tàm Cæſaris, quàm Illyrici dilapſa fuiſſent, Erdödius, quùm filiam Stephano Dersffio elocare vellet, brevi nuptiarum ſolemnitatem celebraturus in Hungariam proficiſcitur; quâ abſolutâ, eoque indè in Illyricum revertente, viro cumprimis domi foriſque claro, fata finem vitæ anno Sexageſimo Sexto, ſupra Milleſimum Quingenteſimum, cùm novem annis egiſſet Magiſtratum, impoſuere. Sepultus eſt Jazkæ Oppido ditionis ſuæ funere honorifico, in Æde Divi Nicolai alto elegantique laborioſi operis lapide tectus.

Maximilianus Rex.

Mors Petri Erdödi Bani.

Suſcepit Magiſtratus Præfecturam anno eodem Franciſcus Slunius clariſſimum militiæ martiſque lumen, qui ſanè Illyrici reliquiarum enſis, & Clypeus merito dici poterat. Illud memoriâ

Franciſcus Slunius Dal. Cro. & Scl. Ban. 1566

& Georgio Draskouicius Epiſc. Zagrabienſ.

moriâ dignum: cùm in Arce ſua Gore vocata, vno à Hraſtoviczia lapide diſtante, cum Aulicâ manu familiariùs hilariùſque prandeçet, repente advolat nuncius Turcas adeſſe, vicinos populari agros, miſeram ſub jugum mittere plebem; Is ſubitò relictis menſæ ſympoſijs, equiſque celerrimè conſcenſis, adeò fortitèr in populantem irruit hoſtem, vt terno congreſſus prælio, ſemper victor, maximâ hoſtium ſtrage factâ, evaſerit, ſalvuſque ac incolumis, nemine ex ſuis amiſſo, in Arcem redierit; quod nobile facinus ipſi poſtea hoſtes, heroicis militaribus verſibus, poſteritati virtutem eius commendaturi, celebrârunt. Quocircà, cum Georgium Thurium in Pannonia, Slunium verò in Illyrico, geminos martis Alumnos, ſæpiùs experti fuiſſent hoſtes, eorumque mentes atque animi ſuoptè inſtinctu, in hos duos viros admirabili virtute præditos adeò intenti eſſent, ut nihil niſi de eorum nece, aut captiuitate cogitarent, quod nulli, qui cum ipſis arma contuliſſent, cum his aut promptitudine, aut irrequieti animi robore comparandi viderentur; tùm verò etiam à Selimo admonebantur, omnem mouerent lapidem, ut ſiue dolo & fraude, vſitatis Turcarum genti artibus, ſiue vera vi capti in poteſtatem inciderent, aut ſi id minus fieri poſſet, è medio tollerentur. Nec diu poſt Slunium quidem fata deſtinato ab hoſtibus exitio ita exemêre, vt cùm ex Illyrico Nicloſpurgum in Morauiam feſtinaret ad nuptias cum Kerechini filia Iuditha, ex Cæſaris conſenſu contrahendas, ac Varaſdini ſubſtitiſſet furunculi circa aures fortè enati, dolore repentino caſu exanimaretur. Nam cùm imperitus ac circumforaneus Medicus affectum locum ſcalpello incidiſſet, ac vulneri oleum ſcorpionum inſtillaſſet, tumefacto toto capite, oculiſque & faucibus turgentibus, intercluſa reſpirandi facultate, Vir in alijs, præterquam in tuenda valetudine cautus & ſagax, immaturâ morte extinctus eſt, cùm Banatum annis ſex feliciſſimè, atque ſupra ætatem prudentiſſimè tenuiſſet: tanto acerbiori militum luctu doloreque, quod moriens nullos liberos reliquiſſet; & ea Frangepanorum Familia, quæ â Slunio Oppido denominabatur, vetuſta & clara in eo prorſus defeciſſet: Varaſdino ſolemni pompa ac comitiua, quam nuptijs cohoneſtandis adduxerat, Zagrabiam devectus, in Cathedrali Divi Stephani Regis Baſilica, rubro tectus elaborato marmore, cum hâc inſcriptione tumulatur.

Franciſcus Slunius Banus moritur 1572

ME-

Digitized by Google

MEMORIÆ

Spectabilis, ac Magnifici Domini

FRANCISCI SLVNII DE FRANG.

Segniæ, Vegliæ, Modruſſiæq; Comitis, Dalm: Croa: & Sclavo: Bani fideliſſimi & fortiſſimi, Anna Soror, relicta Magnifici Nicolai Olah Czazar, &c. Fratri chariſſimo poſuit. Vixit Annos XXXVI. Mortuus II. Decembris M.D.LXXII. Varaſdini.

Eidem.

SLunia Styrps cecidit Franciſcus Martis Alumnus
Infeſtus raſis, terror eratq; Gethis.
Eſt proavis clarus, ſed dextra promptior vſq;
Conſilioque, infert damna cruenta Scythis.
Banus erat Dalmat, Sclauorum tumq; Croatæ,
Prælia commiſit, fauſta Trophea tulit.
Sed quia Pannoniæ vix ſpes eſt vlla ſalutis,
Ni Deus accurrat, quid ſupereſſe velit?
Ergo Dijs mixtus potiori parte triumphat,
Oſſa tegit marmor mens pia novit iter.

Hi marmori ſepulchrali inciſi verſus, pedibus tranſeuntium attrito, quamvis inelegantes ac minus venuſti, illis tamen temporibus vſitati leguntur.

Digitized by Google

Habuerat quidem Slunius ſupremi Magiſtratus Collegam Georgium Draſcouicium Epiſcopum Zagrabienſem Virum omni ſcientiarum genere, & amicitia Principis, & Legatione Tridentinæ Synodi celebrem, Slunio tamen omni diſciplinæ militaris mole incumbente; proindè cùm Slunius è vivis exceſſiſſet ruſticorum & agricolarum plebs, militiæ peritiam cum eodem concidiſſe rata, quodque intolerandis ſeruilium operam laboribus, ac pecuniarijs exactionibus opprimi à Dominis quereretur, temeraria in nobilitatem vſurpauit arma; eoque res periculi proceſſerat, vt niſi maturè Draſcouitius habito Prouincialium concilio, Caſparem Alapi, & Matthæum Keglevitium cum nobilitate, & Colapianis Præſidiarijs à Regno interteneri ſolitis, ad ſedandam nefariæ colluvionis ſeditionem delegiſſent, & aduerſus eos quantocyùs properare mandaſſent; inteſtino tumultu deformata Patria penitùs euertenda videbatur. Verùm profligatis rebellibus, ac Matthæo Gubecio, ferreâ Coronâ Zagrabiæ redimito, horrendoque ſupplicij genere, vſurpati Regij nominis temeritatiſque præſumptæ pœnas luente, ea omnis ſeditio, domitâ agricolarum inſolentiâ, finem accepit. Poſt hæc vbi Draſcouitius in locum demortui Comitis Sluny, alium ſibi conſortem Magiſtratus poſtulaſſet, neque quiſpiam alius præter Caſparem Alapium, virum alioquìn militarem, niſi quòd nuper direptæ à Turcis per ſocordiam Caniſæ reus diceretur, occurreret; eum Collegam indulgente Cæſare accepit; & is tradita iuſſu Cæſaris Georgio Comiti Zriniano Caniſa in Illyricum reuerſus eſt. Felicem huius Alapiani à Turcis eliberationem maiores referunt, etenim cum Sygethanæ obſidionis tempore fortitèr pugnans in hoſtium manus captiuus incidiſſet, quod homo ſtatura puſillus, deformi vultu, corporeque vitiato eſſet, pro gregario quopiam ac ſimplici habitus, quingentorum duntaxat florenorum pretium paciſcitur, & quamuis ab alio Turca ſuo olìm captiuo fuiſſet agnitus, quia tamen comem ac benignum herum fuerat expertus, clementiam taciturnitate reſarcit, monetque vt quantocyùs de litro deponendo curam ſuſcipiat, ne protracto longiùs tempore, ab alijs ſtemma eius, opulentiaque Turcis innoteſcat. Atque ita vſus Alapi beneficio ſilentij Turcici, conſtitutis de more pro ſe vadibus obligatum redemptionis pretium per alios remiſſurus,

Ruſticorū Rebellio 1575.

Draſcouicius Collegā accipit Caſparem Alapy.

Felix Alapy è captiuitate eliberatio.

S 2 à Tur-

à Turcis abit. Eo diſcedente, Turca cui Alapius fuerat cognitus, ex ſocijs conſultò ſciſcitatur, vbinam deformis ille ac contemptui habitus captiuus foret. pro litro, inquiunt, reportando dimiſſus abijt; at quodnam, inquit iſte, eliberationis eius pretium? 500. aiunt ſocij florenorum. Tùm admirabundo attonitoque ſimilis exclamat Turca: *eheu, inquit, Caſparem Alapy virum militia inſignem, ſtemmate clarum, opibus redundantem pro 500. dimittitis florenis? vbi nunc Turcica in inueſtiganda viri dignitate latuit curioſitas? adeòne vos, ſagaces cæterùm ac cautos, vultus eius corporiſq; deformitas fefellit? quaſi verò nobili viro minùs venuſtum eſſe haud liceret, & non pretioſum etiam ſub terræ ramentis, ſcabritieque latet aurum.*

His alijſque verbis exaggerata ſociorum incuria, exacerbati omnes, ſubitò conſcenſis equis abeuntem inſequuntur Alapium, ſi in itinere forsàn ignarus viarum recipi poſſet errabundus. Verùm ille Deo propitio, fortunaque comite, adeò feliciter compendioſos graditur tramites, vt ſpe citiùs in arcem ſuam Camniciam peruenerit, indeque redemptionis pretium per captiuum alium cum hoc reſponſo tranſmiſerit: *gratulari ſe plurimum, quod cum pinguem manibus tenuiſſent caponem, eum tamen non eos deplumare ſciuiſſe, 500. hos florenos penſuros adhuc ſibi fauente numine Turcas.* Ita clementia ac bonitas etiam ab hoſte culta beneficio ceſſit. Dùm Alapius Regni Magiſtratum ſuſcipit, Maximilianus interea Poſonium indicit Comitia, ad quæ, cum nemo ex Magnatibus venire videretur, quod Dobonem & Balaſſam, publica oblata fide, cuſtodiæ nihilominùs mancipaſſet, eundemque ſibi caſum cæteri evenire poſſe dicerent; Georgium Draſcouitium Banum (qui eo, relicto tamen domi Alapiano, profectus fuerat:) & Paulum Bornemiſſam Epiſcopum Nitrienſem, quæ eſſet tantæ alienationis animorum cauſa, & an ipſe vllam cauſam præbuiſſet, ſub fide ac iuramento priuatim percontatur. Illi verò quoniam ſe ad fidem adſtringi aiunt dicturos ſe quod ſentirent. Nam nihil eorum, quæ in libertatibus ſuis eſſent obſeruauiſſet, & ideò cauſam eſſe à ſe illis præbitam. Ad hæc Maximilianus more ſuo, cur ſe ante non admouiſſent; illi verò inquiunt quantum ſibi licuiſſet, in comitijs publicis, & conſilijs ſatis dixiſſe. Ergo, inquit, ſe fateri culpam: deinceps tamen viſuros, ne iuſte de ſe quiſ-

que

que conqueri poſſit. Et vt ad alios Regni Proceres, publico nomine dent literas, promittantque nullum ſibi eſſe periculum metuendum iubet veniant tantùm publicorum negotiorum tractandorum cauſa; ita literæ publicâ fide interueniente ad eos mitttuntur. Abſoluto in hunc modum Regali conuentu, ſingulisque optimatum ad ſua remeantibus, breui interiecto tempore de Ioannis Coruini elargitis ſuper bona Diplomatibus deinde orta diſputatio; ac præcipuè arcibus Sumſedia atque Ztubica, quæ priuilegiorum infirmitate, vti prætendebatur, tametſi extra Iuris curſum ab familia Heningh occupatæ fuerant; quas neque precibus deinde vniuerſorum Regnicolarum in publicis conuentibus, neque lege adduci potuit, vt Iure tantùm cauſam cognoſcendam permitteret; cogitabat enim factâ tanquàm vnâ Prouinciâ aliquod vni liberorum parare patrimonium. Tùm ad poſſeſſores bonorum, atque arcium ſingulos mandata mittuntur, vti Priuilegia Quæſtoribus præſententur, ij de eorum firmitate cognoſcerent, atque ſtatuerent. Nam cum ea bona & pleraque alia Ioannes Dux Coruinus, filius Matthiæ Regis, cum orbus liberis eſſet, benemeritis ſuis ac Parentis diſtribuiſſet, intendebat priuilegia omnium ac ſingulorum inualidare, ac poſſeſſionem omnium quocunque tandem modo vſurpare; quod ſcilicet nemini præter Regem, aut cui Rex conceſſiſſet lege Regni hæreditates donare liceret. Sed Matthias Principatum Sclauoniæ amplis Priuilegijs filio donauerat, quem etiam in Regno ſuccedere voluit ſi præmatura morte præuentus non fuiſſet: Cùm verò paulò ante mortem Proceres petijſſet, vt filium in Regem aſſumerent, maluerunt præſentia commoda, vt ipſis tum videbatur ſpectare, quam diuturnam ac perpetuam ſecuritatem. Nàm in ampliſſimo & opulentiſſimo Regno ipſi florentes, dum quiſque augeri potentiam ſtudent, debile ac languefactum Regnum poſteris tranſmittentes, breui ſuos atque Patriam inimicorum proteruitati tradidere: adeò in longum differre, quod maturè æque benè præſtari poteſt, periculoſum eſt, Matthias enim Ioannem filium ſi maturè, vti facere poterat, ſibi ſublegiſſet, omnibus malis quæcunque hactenùs perpeſſi ſumus, aut deinceps patiemur, nos liberare potuiſſet. Attamen ipſe reprehenſione caret, quod quæ ipſe ad perpetuitatem Regni perficere non potuit, monuit tamen, ſuaſit, petiuit, & ſi contra fece-

Maximilianꝰ vi bona in Sclauon: occupat.

Digitized by Google

facerent, prædixit omnia quæ euenerunt mala. At cum Sclauoniæ Nobiles ac pauci ex Proceribus, quibus vetuſta Regni libertas magis cordi fuerat, ſemel atque iterum Cæſari ſupplicaſſent, ne eos in ſuis bonis turbaret, neque Iura atque Priuilegia ſine debito iudicio producere cogeret, hominibus præſertim priuatis & extraneis legum ignaris, neve inter tot mala amiſſis Patrimonijs Regnoque, nouam atque indignam calamitatem, ipſis adeò acerbè accumularet; neque tamen ad hæc deſiſteret poſtulata, nullâ commiſeratione, nedum Iuris Regni habitâ ratione; tandem exacerbati reſponderunt, maiores ſuos armis quæſiuiſſe, & commeruiſſe bona; & ferè omnia propter fidem inconcuſsè ſeruatam amiſiſſe, nulla autem ab illo virtuti reſpondentia ſenſiſſe beneficia: iam ex reliquijs non ſplendorem familiarum, ſed vix vitam ipſam ſuſtentare; ſe non niſi cum vita atque anima bona ſua amittere. Tùm demum hanc rem per ſilentium tranſmiſit. Quas obres, tanta erat animorum conſternatio vt penè ab ipſo Ioanne Secundo Patrocinium ſeſe dedituri quæſiuiſſent. Et ſanè niſi bellum Venetum res Hungaricas præ occupaſſet, omnium ſimul tunc reliquiarum Vngariæ & Illyrici perdendarum, ſummum periculum adijſſet. Atque vtinam etiamnum is nobis ineſſet animus, vt dum pudenda Alemannorum permiſſione ac indulgentia proprij quæſtus cauſa, à ſordidiſſima Thracum natione dominia noſtra, ac eorum limites vellicantur, atque per vim & omne nefas occupantur; eodem conſilio, animo, conſtantiaque virium, maiorum noſtrorum inſiſtentes veſtigijs vteremur. Interea temporis Ferrhates Boſnenſis cum Auſpergum Croatiæ limitum Præfectum acie ſuſtuliſſet; & partes ille Duce orbatæ mœrerent, nullam moram aut ocium dandum ratus Buſinum, Kegleuitij natale ſolum, ac Czaſinium, quod ad Ius ditionemque Epiſcopi Tininienſis pertinebat, admoto tormentorum terrore, ac Præſidiarijs diffugientibus obtinuit: emiſſis etiam qui Colapianos vrendo populandoque vaſtarent Caſtellum Zrachicza, quod ſpeculæ inſtar ad Colapis ripam è materia, ac roboribus contextis erat extructum, igne coniecto concremauit. deinde cum nemo adhuc in locum Auſpergi ſuffectus eſſet, & inproſpero eius caſu, omnes veluti attoniti confuſique animis nutare viderentur, modica ſuis quiete data, Zriniam Arcem, Comitum Zrinianorum domicilium, à qua veluti

Cordatum Sclauoniæ reſponſum.

Turcæ noſtrornm arces occupant.

Digitized by Google

veluti natali ſolo ipſi cognomen ducunt, admotis tormentis expugnauit. Erat illa duplex, & muro duplici cincta, ita vt ſi propugnatores idoneos & fortes nacta eſſet, facile ſeruari potuiſſet. Verùm Petrus Camenianus imbellis peditum qui locum cuſtodibant Præfectus, vix expectatis aliquot ferrearum pilarum ictibus, ſubitò pauore perculſus, accepta à Ferrhate fide Arcem dedidit. Quæ ei more Turcico ita ſeruata eſt, ut captiuus in Boſnam abduceretur, ibique diuturno tempore ſeruatus, tandem incertum, an non ex compoſito dimiſſus libertati reſtitueretur. His profectò tantiſque cladibus tanta vaſtitas ſtrageſque edita eſt, ut ab eo tempore in Illyrico necdum ſpe aut reſurgendi facultate oblata, plurimi Incolarum qui ſuperfuere in varias Auſtriæ Pannoniæque partes, præſentium aut futurorum metu, deſertis ſedibus migraſſe conſpiciantur.

Rudolphus Rex. Maximilianus vrgente magis Patre Ferdinando, quàm Provincialium votis acceptatus, multis inuiſus, iniurius plurimis, humanis excedens Rudolphum ſucceſſorem reliquit, atque habenas Imperij aſſecutus, anno Septuageſimo Octauo ſupra Milleſimum Quingenteſimum prima auſpicijs ſuis Comitia, ad Kalendas Februarias Poſonij indixit, in quibus poſt Decreta nummorum & pecuniæ ſubſidia, Magiſtratus quoſdam diſtribuit: & in locum Ioannis Liſtij Epiſcopi Iaurienſis & Cancellarij nuper Pragæ extincti, Georgium Draſcouicium ab Epiſcopatu Zagrabienſi, in Hungariam tranſtulit, ac ei in Præfectura Illyrici duodecim ab illo annis laudabilitèr geſta Chriſtophorum Vngnadium Agriæ Præfectum ſuccedere iuſſit. Alapianus quia poſtulante Draſcouicio in Banatum Collega adſcitus fuerat, idem quoque Vngnadio Præfecturâ ceſſit. Et ſexto poſt reſignationem dignitatis anno è viuis exceſſit, quarto Kalendas Aprilis anno ſalutis Octogeſimo Quarto ſupra Milleſimum Quingenteſimum. In Æde deinde Diuæ Virginis Remetenſi Patrum Eremitarum rubeo Banali vexillo tumulo ſuperappenſo, ſepultus requieſcit.

Chriſtophorus Vngnadius Ban9 1578. Eo qui ſecutus eſt Anno Carolus Princeps, qui Cæſaris voluntate Regia dignitate Illyricum regebat, coacto ad Pruccum Oppidum, in Muræ amnis ripa ſitum ſuorum concilio, communicatis cum Cæſare conſilijs, copias è Styria, Carinthijſque, & Carnis, cæteriſque ſuis Prouincijs coëgit; eiſque Georgium Queuenhillerum cum ſummo imperio præeſſe iuſſit. Ioannem verò

Feren-

Digitized by Google

Ferenbergum, qui Croaciæ, & Vitum Hallecum, qui Sclauoniæ limitibus præerant, ei adiunxit. Chriſtophorus etiam Vngnadius, qui Ordinib⁹ & Statibus eorum Regnorũ Bani nomine non ita pridem præeſſe iuſſus erat, nobilitatẽ ſumptis armis haud contemnendo numero in caſtra adduxit; ita vt confluentibus etiam Labacenſibus, & Goricianis, Iſtriſque, iuſti exercitus ſpeciem habere videretur. Eius autem animi propoſitique erat Carolus, vt ea loca, quæ anno ſuperiori à Ferrhate, & Boſnenſibus Turcis contrà pacta induciarum, ſingulari illorum perfidia, noſtrorumque ignauia in poteſtatem redacta erant, primo quoq; tempore recuperarentur: ne occupatis ab hoſte ſemel atque iterum opportunis arcibus & munitionibus, in Carnos & Iſtros & Iapides, & intima ſuæ ditionis expeditum diris hoſtibus iter panderetur. Erat exercitui per deſerta, & confragoſa loca progrediendum, denſique ſaltus, & ſaxoſi montes ſuperandi, per quæ tormenta currulia, & commeatus innumeris carris impoſiti, magno tàm hominum quàm jumentorum labore, magnaque difficultate vehebantur, Ducum tamen induſtria, ingens operarum numerus, qui enatas in via arbores, dolabris & ſecuribus exſcinderet, & deturbatis grandioribus ſaxis iter complanaret, erat comparatus. Itaque primò Buſinium peruentum eſt, idque diffugientibus pedeſtris Ordinis militibus, quorum exigua manu cuſtodiebatur facili negotio receptum eſt. Eadem celeritate Czaſinium, Zrinium, atque aliæ cis Nunnam flumen Arces dilabentibus Turcis in noſtrorum manus, & poteſtatem redierunt. Ferrhates verò & Turcæ, nonniſi ſemel in conſpectum noſtrorum venire auſi, leue certamen cum noſtris contraxerunt; in quo perpauci vtrinque ceciderunt, plures tamen ex hoſtibus deſiderati ſunt: in partibus autem noſtrorum Nicolaus Bradacius, nobili genere ortus adoleſcens, dum interfecti Turcæ cadauer armis, & pelle Tygridis ſpoliaturus, abſque galea equo deſcendiſſet, caput prægrandi acinace ictus eodem in veſtigio occubuit. Eius autem expeditionis magna cura & labore ſuſceptæ is exitus fuit, ut noſtris per ea loca quæ recuperaverant, idoneis diſtributis præſidijs, maturè celeriterque redeuntibus, Turcæ ea illico repeterent, & noſtris militibus nimio pavore conſternatis, ac diffugientibus ijſdem locis omnibus parvo labore potirentur. Vngnadius reverſus, iam antea inchoatum cum Grubariana

Noſtri aliquot Arces recuperãt, & iterum perdunt.

Digitized by Google

Vngnadius Zamoborinum vi occupat.

Vidua de reſtituendo Zamoborino tractatum proſequitur, quod coniugij titulo ſibi deberi affirmabat. Itaque cum longis diſceptationibus temporiſque prorogatione nihil proficeretur, vi tandèm admota fœminam domandam conſtituit Banus; & tractatis inprimis in partes ſuas multis promiſſis ac largitionibus oppidanis, quo ſecurior ei oppugnandæ Arcis aditus pateret; tormenta deinde ad vicinum collem â dextra parte Arci obuerſum, in quo alba veluti via conſpicitur (cùm alioquin Arx in edito monte ſita, vix ab aliqua ſui parte verberari poſſit) attrahi iubet, & ferreis pilis in feneſtras Arcis fulminare pergit; fœmina advertens nequaquam ſe in ulla domo tutam conſiſtere poſſe, ad concameratos primum quoſdam fornices, portaſque teſtudineas ſeſe recepit, ſed nec ibi ſecura, crebrioribus petita machinis, tandèm Arcis claves eâ conditione Vngnadio mittit, vt ſalvis rebus ſuis ei liber tutuſque concedatur abitus; atque ita illa abeunte Arx Vngnadij ceſſit poteſtati: atque hæc de Vngnadio. Verùm an ille morte, ac reſignatione genero ſuo Thomæ Erdödio Banatum concluſerit, certò nihil conſtat, ſolum ſex eum præfuiſſe annis, ac tùm demùm anno Milleſimo Quingenteſimo Octogeſimo Quarto Thomam ei ſucceſſiſſe tradit Iſtuanffius; cùm interim Scanderbegi Poſegæ Præfecti, infelicem referat caſum, quo præter proprium 249. capita ac ſigna militaria 20. â Comite Georgio à Zrinio Capronciam Turcæ relata doluerunt.

Thomas Erdödius Ban9 1584 Turcas profligat.

Quocirca memorati ſupra anni autumno, cum Ferrhatis Boſnæ Præfecti juſſu Turcarum Duces haud contemnendas copias collegiſſent, in quibus ipſorum confeſſione ad octo armatorum millia cenſebantur, in Carnos gravem acerbamque incurſionem vſque ad Lublanos fecere, concrematis pagis, ac multis captivis in ſervitutem abductis. Non tulere perfidorum hominum contumelias, Joſephus Comes Turrianus qui nuper Joanni Ferenbergo in Croatiæ finium præfectura ſucceſſerat, ac Thomas Erdödius Banus, collectiſque ſumma adhibita celeritate ſuorum copijs, hoſtes iam ſe cum præda, & captivis domum recipientes, quanquam numero & viribus ſuperiores, forti animo aggredi nequaquam dubitârunt: eiſque primo congreſſu apud Slunium in effuſam fugam coniectis, captivos omnes, qui ſupra Sexingenti erant, liberârunt, ex hoſtibus quadraginta vivos cœperunt; ſed interfectorum magnus fuit numerus, quùm ex ſuis nonniſi

duos

Digitized by Google

duos aut tres glandibus ictos amiſiſſent. Signa militaria decem illis adempta, ac Carolo Cæſaris Fratri Græcium Styriæ Vrbem miſſa ſunt. Celebris ſanè victoria, ſi hoſtium numerum ac noſtros tres tantum amiſſos ad inuicem conferas. Caſtigata hunc in modum hoſtium inſolentia, annis quaſi ſeptem noſtri ab infeſtationibus, induciarum maximè tempore quievêre: donec Sinanes Purpuratorum quartus pacis pertæſus, vti erat ingenio turbido, crudeli & furioſo, ac Illyrici belli cupidine, quod præ alijs adminiſtrandũ decreverat æſtuanti, adeò in rabiem quandã verſo per literas Haſanem Boſnæ Præfectum ſecretò admonuit, vt ea in p arte bello Cæſarianis illato, cauſas novarum rerum quærere non intermitteret: ſic vt poſtea ſe ab ijs contra inducias armis petitum, ſcriptis Byzantium literis, aſtuta diſſimulationis oſtentatione conquereretur. Itaque Haſanem per ſe belli auidum ac temerarium, facile ad irritandos armis & cruentis incurſionibus Cæſarianos impulit: primumque omnium collectis tota provincia copijs, cum quinque armatorum millibus, ac totidem tormentis currulibus minoris formæ, quæ binis equorum jugis trahebantur, acerrimam in eam regionem, quæ inter Criſium & Iuanicium eſt, irruptionэm fecit, ac circumlato paſſim terrore Cuſtarocium pagum ſuccendit, caſtello, quod illinc eminùs peteretur, intacto relicto. Boſiacum autem Tahy caſtellum, in quo haberi quidem tormenta, ſed pulveris ſulphurei nè pugillum quidem à transfuga quodam edoctus erat, acri peditatus impetu cœpit ac diripuit, & capto ibidem Laurentio Radivano coniugeque & liberis eius in ſervitutem abductis, iniecto igne concremavit. Poſtremò capto ſatis magno circuitu ex Roconoco, Verbocio & Sanctæ Helenæ vico, pagiſque cis Zagrabiam ſitis, ingentem prædam egit; maiorem acturus, niſi ingentes pluviæ autumnales itinera cœno, & crebris lacunis impedivißent, inflatique & exundantes amnes Glogoutius & Lonius ulterioribus eius conatibus reſtitiſſent. His difficultatibus circumventum, & cum captivis ac præda redire conantem Stephanus Grasbanius è Caproncia, Gregorius Labeharius è Criſio, ac cœteri Arcium finitimarum Præfecti, cum Germanis ac Illyricis militibus inſequi decreverunt, ac contento gradu veſtigijs abeuntium inſtiterunt. Haſanes cùm noſtros adventare intellexiſſet, relictis tormentis, quæ profundo in cœno pertrahi nequaquam poterant,

Haſanis in fines noſtros irruptio 1591.

pluuijs nihil intermittentibus cœptum iter ita proſecutus eſt, vt validò à tergo equitum & peditum præſidio relicto, ipſe cum cætero exercitu præcederet. Noſtri Turcarum agmen noviſſimum, acerrimo illato impetu aggreſſi ſunt, cùm illud ad Gradacium Epiſcopi Zagrabienſis caſtellum lentis paſſibus progreſſum attigiſſent. Nec Turcis defuit animus reſiſtendi, qui obverſa in aduerſos noſtros fronte acre certamen incœperunt, cohortante eos Alibego & Oſmane, qui tuendis poſtremis agminibus inuigilare iuſſi erant. Dum pugnatur, Oſmanes expeditiſſimos equites ad Haſanem qui præcedebat mittit, nunciatque hoſtes adeſſe, certamen acre contractum, & niſi ſuppetias mittat, Martem ancipitem eſſe. Sed ille cùm cogitabundus paululum ſubſtitiſſet, remiſſis equitibus reſpondit, ſe aſſiduis imbribus impediri, vt recurrendo laborantibus ſuccurrat; at ſi imparem ſe hoſti viribus videat, ad exercitum ſe recipiat. In hunc modum cùm nôſtri diutiùs atque acriùs certamen protraxiſſent, nec Haſanes auxilio ſuperueniſſet, Turcæ multis ex ſuorum numero amiſſis terga dedere. Cecidit eo prælio Oſmanes, & complures Turcarum capti ſunt: Signa militaria viginti duo capta, quæ maiori ex parte pedeſtria erant cum ſeptuaginta duobus Turcis, interque eos Muſtapha equeſtris Turmæ Verucianæ Ductor, ac equis & cæſorum centum viginti capitibus. Sed gratum militibus noſtris ſpectaculum ante alia attulere captiui Chriſtiani ad 400. promiſcui ſexus hominum numerum vinculis eorum opera ſoluti, & in libertatem vindicati, cum hoſtes viſis noſtris ſeſe ad pugnam parantes, illos ſtatìm dimiſiſſent. Compertum eſt à captiuis tormenta non procul à loco pugnæ relicta eſſe, quod fatigatis & procumbentibus jumentis vlterius protrahi nequiviſſent, itaque ea etiam in noſtrorum poteſtatem deuenere, ex noſtris nemo præter Franciſcum Iaicianum veteranum equitem deſideratus eſt, qui ſine galea pugnans diſciſſa immani vulnere fronte occubuit, & poſt hoſtium fugam, in loco pugnæ tumulatus eſt. Sauciati in partibus noſtrorum pauci, atque ij breui poſt omnes conualuerunt. Haſanes hoc accepto detrimento, nihil permotus, cùm domum perueniſſet, duos è captiuis Græcium ad Ferdinandi Principis impuberis, qui Patri Carolo ſucceſſerat, curatores cum literis miſit, quibus tormenta currulia, quæ auehere ob viæ incommoditatem non potuiſſet, ſibi

Turcarum cœdes.

reddi

reddi poſtulabat; à quibus tamen reſponſum fruſtra expectauit.

Ardentibus hunc in modum vndique bellis, ac Marte longè ingentem armorum apparatum, terribili claſſico ciente, ita vt breui totius Illyrij atque Boſnæ vires ancipiti victoriæ euentu infeſtis armis animiſque concurſuræ viderentur, ſæuiſſimus annis aliquot Mars graſſabatur; ſingula minutatim perſequi, ocioſum credo, cum ea omnia ſtylo eleganti copioſoque Iſtuanffius ſit proſecutus; ſummatim præſtricta hæc fuere. Haſſanes, repetitis vicibus Siſciam Collegij Zagrabienſis Canonicorum Præſidium firmum ac validum, Romanorum olim coloniam, vbi adhuc ampliſſima veteris vrbis mapalia, aut verius ſquallida murorum rudera viſuntur, quamuis irrito conatu propugnatoribus Spartanâ ſeſe patientiâ tuentibus oppugnat. Bihicium Vrbem oportuno & amœno loco ſitam, Templis, Cœnobijs veteranorumque militum ac Ducum ſepulchris claram, ſumma Chriſtophori Lambergi ſocordia expugnat. Caſtrum vbi Petrinius amnis Colapi miſcetur, inter Hraztoviciâ & Goram erigit, regioni omni inter Colapim & Sauum interiacenti populoſiſſimæ ac fœcundiſſimæ extremum futurum excidium. Erdödium Banum ſumma Stephani Grasbanij Capronceníis Præfecti negligentia ac pigritia aduentum tardantis, iiſque qui aderant Germanis meridiano tempore, cibo vinoque ſopitis atque aleis intentis, nec in ordinem ocyùs ſeſe reſtituere valentibus (quamuis Illiricis haſtas perfringentibus) in fugam conijcit. Omnem eam latè patentem ac amœniſſimam planiciem Kereczincium ac Okichium vſque barbara crudelitate vaſtat, diripit, populatur: eoque iam ſecuritatis, ac ſimul temeritatis proceſſerat, vt ad Lomniciam amnem aucupio, ac venatu ſeſe oblectaret, ac barbaro faſtu tumidus, in Ara Baſilicæ Diui Stephani Zagrabienſis equos ſe ſuos pabulaturum palam iactitaret. Verùm, eo euentu hæc omnia fœdifragus egit Barbarus, vt anno inſequenti Milleſimo Quingenteſimo Nonageſimo Tertio, Siſcianam repetens obſidionem, quam ſolam ſibi negari dijs imprecabatur, memorandum prorſus ac funeſtum de ſe ſuiſque, omnibus futuris ſæculis documento futurus, ſpectaculum exhibuerit. Collectis enim ſex amplius, vt quidam autumant Boſnenſiam, ac vicinarum Regionum Legio-

A Haſſan Baſſa damna noſtris illata.

Legionibus, eam omnem Segeſticæ Inſulæ ditionem, quæ olim Appiano belli ac Pannoniæ horreum dicta fuit, deuaſtandam; ac ipſam arcem latericio ac triangulari opere fabricatam, vltimum reliquiarum Sclauoniæ refugium, aut in poteſtatem æternum redigendam, aut penitus conuellendam, ſoloque æquandam ſuſcepit: at ecce ſingulari Dei prouidentia, virtuteque ſua Erdödius Pro-Rex, coadunatis in vnum nobilitatis ac finium, tàm Illyrici, quàm Alemannici nominis, tàm equitum, quàm peditum copijs, quæ octo millium numerum complebant; hanc paucitatem Leoninæ illi ferocique multitudini, ac præterita elatæ clade eo oppoſuit prouentu, vt omnis propemodum vicinus Colapi campus Turcico duodecim millium ſanguine maduerit, amniſque ipſe cadaueribus refertus, ac permeabile tranſire volentibus iter miniſtrans, fœdifragi cruoris ignominiâ redundauerit. Partâ hac celebri victoriâ mirum quantùm lætitiæ Cæſari Rudolpho, Clementi Pontifici Summo, cæteriſque Chriſtianis Principibus acceſſerit: quam vt Clemens Orbi palàm teſtaretur, datis ad Erdödium literis eius in tuenda Republica Chriſtiana ſtudium, & operam gratam ſibi accidiſſe affirmauit. Sed & milites Sacri Ordinis Redemptoris ob nauatam ſæpiùs fortitèr operam ſui eum Ordinis eſſe voluerunt miſſo eidem inſigni, quod ſolido conſtabat auro monili Sapphiricis egregiæ quantitatis diſtincto gemmis, ac inter eaſdem hac variante Epigraphe. *Domine probaſti me*, appenſo circa pectus Symbolo Euchariſtico, illudque ſemper ſymboli nomine vſurpans: *In* D E O *vici.* Allatum hoc virtutis eius inſigne, Zagrabiam fuerat à duobus Ordinis eius Primoribus; quo cum Thomas cum gentilibus familiæ ſuæ, cæteraque Procerum comitiua aduentaret, ab Antiſtite Zagrabienſi, Petro Domitrouicio fœcunda ingenij humanitatiſque vbertate viro ſalutatus, eidem gratijs redditis, Vrbem ea nocte quieturus conceſſit. Sequenti ſolis die, cùm inſigni rerum omnium apparatu in Baſilicam, Diui Stephani Regis deſcendit, ibidem ſolemni pompa à Præſule Sacra celebrata: quibus abſolutis Sacroſancta Miles Chriſti reficitur Euchariſtia, ac Monili in humeros impoſito, *Sacri Redemptoris Ordinis Athleta* certa verborum forma ea lege conſtituitur, vt quotidie Sacerdotum inſtar diuini officij, quod Breuiari nomine vocant, recitatione ſit obſtrictus. Inſti-

Ingens Turcarum cœdes à Bano facta

Thomas Erdödius Miles Ordinis Redemptoris creatur Zagrabiæ.

tuit

tuit hunc Ordinem Vincentius Gonzaga Quartus Dux Mantuæ, & ſecundus Montis Ferrati, Anno M. DC. VIII. in nuptijs filij ſui Franciſci cum Margaretha Sabauda, pro defenſione & propagatione Religionis Chriſtianæ, adlectis in hunc ordinem viginti equitibus; qui Ordo fuit poſtea confirmatus à Papa Paulo Quinto. Quoniam verò Eccleſiaſtici Templi S. Andreæ, quod eſt Mantuæ, credunt ſe habere partem Spongiæ Domini noſtri, & tres ſanguinis ipſius guttas, à Sancto Longino Centurione & Martyre collectas, Dux Ordinis ſui titulum inde ſumpſit, dictumque ordinem equitum ſacri ſanguinis Domini noſtri IESV Chriſti, ſeu equitum Redemptoris eſſe voluit cum hac Epigraphe: *Nihil iſto triſte recepto.* Torquem deinde confici curauit, ex virgulis aureis colligatis, ſupra quas eſt ignis intermixtis gemmis ac alijs particulis, quibus hæc verba inſcripta ſunt. *Domine probaſti me*: hoc ſymbolo indicare volens, eos qui in hunc Ordinem adſcripti eſſent, in ſummis aduerſitatibus ſibi mutuo fidem præſtare, & in perpetua amicitia, atque concordia viuere debere. vt Ludouicus Godefredus in Archontologia Coſmica de origine ordinum militarium interpretatur. Quibus peractis, ingenti gratulantium clamore, tormentorum boatu, buccinarum clangore, Tympanorum ſtrepitu, omniumque fauſta precantium vocibus aëra perſonabant, ac tùm demùm ſplendidi conuiuij hilaritate, ac lætitijs tranſacta dies. Hæc non quidem temporis ratio, ſed nectendæ hiſtoriæ occaſio nunc referenda ſuadebat. Animatus Banus & præſenti Diuini numinis ope, & reſpondentibus virtuti ſucceſſibus, Petriniæ obſidionem iuſſu Cæſaris repetit, quam anno præcedenti intempeſtiua Equenpergi ceſſatione interruperat; proprijſque manibus terram aggeribus parandis egerit, gregarijs ad maturandum opus exemplo futurus. Aderat in caſtris Georgius Comes Zrinianus Caniſæ Præfectus, ſcientia militari clarus, Franciſcus adoleſcens Battianius prima militiæ rudimenta poſiturus, & Gotfridus Prayncrius Germanicarum cohortium Ductor, quorum ſententia euicit, vt ſolutis caſtris, quæ iam octo durauerat diebus obſidio remittatur; ne paucitas noſtrorum temere irritatæ Turcarum multitudini, quæ ſuis laborantibus ſubſidio aduenerat, obijciatur, quorum conſilium erat, eo fine cum noſtris manus conſerere, vt aut præte-

Pulchrum Ducis exẽplum.

rito-

Digitized by Google

ritorum dierum acceptam cladem noſtris ad internetionem deletis vlciſcantur, aut & ipſi, ſocijs prælio nupero occiſis, glorioſa morte parentent. Atque ita ſecundo relictâ Petriniâ, in ſtationes quiſque ſuas, eo rerum noſtrarum incommodo rediere; vt viſo noſtrorum diſceſſu, quamprimùm hoſtis Siſciam auxilio deſtitutam, ac Turri rotunda ad Colapim obuerſa, tormentorum ictibus collapſa, interfecto etiam Caſpare Grangia, captoque Fabricio, (qui poſtea Conſtantinopolim abductus, ac in lineum conjectus ſaccum mari merſus interijt.) loci Præfectis, ad conditiones dedendæ arcis noſtros compulerit. Occupata Siſcia, Hraſtovicia, Gora, ac Petrinia retenta, nullum hoſtis finem flamma ferroque populandi, ac in noſtros barbara feritate debacchandi fecit; donec Maximilianus precibus populorum Styriæ, & Carnorum, ac Illyricorum præſertim permotus, Erdödio Pro-Regi, Lencovicio Croatiæ limitum Præfecto, alijſque in caſtra (quibus, & ipſe præfuit.) conuenire iuſſis, tandem Petriniam, cæteraſque arces, ſat difficili labore expugnauit, & caſtrum quod ceruicibus vicinorum accolarum impoſitum fuerat, funditus eſt demolitus, quorum periculo Siſciani Turcæ perculſi, & ipſi incenſa arce tumultariâ fugâ, quâ quiſque potuit, naſadis conſcenſis profugerunt: Arce Collegio Sacerdotum Zagrabienſium à Maximiliano reſtituta. Verùm dum Cæſar bellum in Pannonia longiùs trahit, Strigonium Mansfeldi virtute recuperat, ac cum Sigiſmundo Battorio Tranſyluaniæ Vaiuoda fœdus ſancit; in eoque Thomas Pro-Rex cum cæteris Arbitris componendo laborat, Turcæ quietis impatientes, Banique abſentia illecti Petriniam demolitam rurſum reſtaurant, vallo, ac Præſidio firmant, Ruſtanem loci cuſtodiæ præficiunt, vicinaſque arces, Goram, & Hraſtoviciam, denuò expugnant. At ne grauiſſima iterum vaſtatam toties Patriam detrimenta ſubire contingat, Thomas Pro-Rex communicato cum Georgio Lencovitio, ac Sigiſmundo Herbeſtanio, limitum Præfectis conſilio eam denuò expugnandam decernunt. Quare poſtpoſita cunctatione omni ad arcem nouam Erdödianæ ditionis caſtra locant, tum impedimenta omnia Siſciam verſus expediunt, ipſi leuiori apparatu Petriniam contendunt. Ruſtanes aduenientes noſtros conſpicatus contineri non potuit, quin in pugnam proſiliens de ſumma rerum cum noſtris ferro decernere

Petrinia à noſtris expugnata.

ſtatue-

ſtatueret; verùm contracto certamine plumbea glande à Caſpare Kurtitio per ilia traiectus, animaduerſo vulnere ſe cum ſuis in arcem recipit, breuique temeritatem vitâ perſoluit, quo extincto Turcæ agminatim patefactis arcis valuis profugiunt, ſalutemque vicinarum ſyluarum latebris protecti conſeruant: noſtri à captiuis quibuſdam re intellecta pars arcem feſtini, paucis ijſque metu attonitis repertis hoſtibus, occupant, pars fugientes perſecuti, captiuos plures cum opima præda retractos reduxere. Ac tandem fatali noſtros, deſtinatoque iam dudum ab hoſte ſeruitutis periculo, quod inde ſemper imminebat, eximunt. Accepta in poteſtatem arce valla reſtaurant, ac Præſidio impoſito curæ fideique Danielis Francoli Equeſtris turmæ Carloſtadianæ Duci committitur. Fama fuit, eaque tàm apud hoſtes quàm noſtros conſtans, inſigne à Ducibus operæ pretium fieri potuiſſe, ſi armis vlteriùs prolatis, Iaiciæ & Banialucæ terrorem admouiſſent: neque in ijs recuperandis irritos futuros fuiſſe eorum conatus, niſi in medio rerum gerendarum curſu importunis conſilijs ceſſatum fuiſſet. Confectis feliciter hiſce prælijs, pacataque Prouincia Thomas Erdödius in omnibus pacis bellique artibus Princeps clarus, cum muneri ſuo egregiè à ſe ſatisfactum per annos duodecim, quibus prouinciam adminiſtrauerat, videret; quietis ac priuatæ vitæ amore illectus eam ſollicitè apud Cæſarem procurabat. Itaque Cæſar aſſiduis eius precibus permotus, eũ ſeſe officio abdicare volentem dimiſit, ac in eius locum Gaſparem Ztankouaccium Epiſcopum Zagrabienſem, ac Ioannem Draſcouicium Criſij equitum Præfectum, præcedentibus hiſce bellis egregiè exercitatum conſtituit: ſic tamen vt Epiſcopo paucos poſt dies graui morbo è viuis ſublato, ſolus Draſcouicius abſque Collega Magiſtratu potiretur Anno 96. ſupra Milleſimum Quingenteſimum. Et quamuis elapſis annis aliquot reſignante Draſcouicio iteratò Erdödius in officium ſucceſſiſſet, quia tamen quieta omnia ſibi relicta fuerant, ac opima pace florebant, nullum eo tempore geſtum eſt bellum, vno excepto diſſidio, quod publicis in Comitijs Poſonij inter Hæreticos & Catholicos interuenerat. Fatalis enim illa Hæreſum lues, ſuis non contenta anguſtijs, quo latiùs ac virulentiùs ſerperet, omni contentione Sclauoniæ, ac Croatiæ pacem perturbare, puritatem Romanæ fidei inficere,

Noſtri denuò Petriniam expugnant.

Thomas Erdödius Banatum reſignat.

Digitized by Google

ſibiq́ue domicilium figere introducendis damnatorum dogmatum Seminatoribus ſatagebat: ad quam Reipublicæ labem à finibus Illyrij repellendam, præter Regnorum Legatos, Erdödius Banus omni reſtitit conatu, ac ne multitudini inconditis clamoribus vociferanti ſuperandum ſe præberet, ſempiterna memoria in faſtos referendo exemplo, publicè euaginans gladium: *hoc* inquit *ferro, ſi aliter fieri non poterit, peſtem iſtam à nobis eliminabimus, treſq; nobis adſunt fluuij Drauus, Sauus & Colapis, è quibus vnum nouis hoſpitibus ſorbendum dabimus.* Attonitis ad iſta Hæreticis ſubmiſſius muſſitare, tùm demum conticeſcere cœperunt. Cœterùm in omni vita ſua amantiſſimum ſe ſemper Patriæ Senatorem oſtendit, in conſilijs maturus, in actionibus grauis, in hilaritate feſtiuus, in colloquio comis & affabilis, in diſciplina temperatè ſeuerus, in prælijs fortunatus, in omnibus probatus. Vnde reſignante eo & ſecundo magiſtratum, quod ob libertatis publicæ defenſionem, nulla per octennium Banali dignitati ſtipendia deſtinata à Cæſare obtinere poſſet, imò quinquaginta equitum ſtipendium ſublatum ſibi vidiſſet; Tauernicorum tamen ſuſcepto officio, & ad mortem vſque retento in omnibus publicis tractatibus, Bockaiano præſertim, componendis à Cæſare euocatus, præclaram vbiq́ue impendit operam. Tandem anno vigeſimo quarto ſupra Sexcenteſimum Menſe Ianuario annis, laboribus, morbiſq́ue grauatus ſexageſimo ſexto ætatis anno in arce Crapina, ſummo omnium dolore, ſuiq́ue relicto deſiderio, omnibus Chriſtiano ritu munitus Sacramentis, humanis excedit. Inter cætera memoratu digna tria à Georgio Spiſichio, qui compluribus annis eius fuit à Cubiculis, ſæpius referente accepimus, eum nimirum Eutrapoliæ luſum exercuiſſe, pecuniam manibus tractaſſe, nec in conuiuio hilariori potu exceſſiſſe viſum vnquã: Res ſanè quam communis tam difficilis, eoq́ue mirabilior. Nec illud mirandum minus; prole quam fœcundus fuit, tam beatus: nam præter filios natas habuit quatuor, non ſolum maximis iunctas connubijs, ſed ſpeciali prudentiæ, grauitatis, liberalitatis, ac pietatis in Deum laude inſignes; vt vel nunc in Elizabetha æui noſtri heroina videre licet. vna ex eis Iuliana nomine, decennis adhuc demortua in æde Diui Nicolai oppidi Iazkenſis apud Auum Petrum iacet, compage membrorum atq́ue cute, veſtimentiſq́ue

Inſignis Erdödij pro fide zelus.

Eius Encomium.

Mors Thomæ Bani 1624.

Inſigne miraculum.

integris

Digitized by Google

integris, conſeruatæ innocentiæ teſtimonio manifeſto, inſtar pueri innocentis in Baſilica Diui Stephani Regis Zagrabiæ, aut Sancti Ioannis Eleemoſynarij Poſonij aſſeruati. Hoc incorruptum Virginis corpus, nos ipſi manibus noſtris contrectauimus, quamuis reprehenſione non careat, quod tam nobile integritatis pignus, minus decenti loco, honorevé conſeruetur. Poſt ſemeſtre ſpatium præparatis omnibus ad funebralem pompam neceſſarijs, Crapinâ educitur Zamoborinum deuehendus; præcedebant multò auro phalerati equi inſignes, ac trecenti haſtati equites, pullum omnes induti amictum, ponè ſequebantur filij, ac præſertìm Sigiſmundus, qui præ cæteris ſpecialius diligebatur cum cæteris nepotibus, magna procerum Nobiliumque manu ſtipante. Zamoborino corpus Zagrabiam deducitur, ac eâ nocte in Vrbis Parochiali Eccleſia Diuo Marco Sacra aſſeruandum collocatur. Die ſequenti funus celebratur hora matutina octaua: antelata vexilla inſigniaque ſtemmatis bina vaſtæ magnitudinis ſculptorio opere pictorioque affabre elaborata, ac monile illud Sacri Ordinis Redemptoris purpuræ impoſitum, equi atrati complures, caput, oculos calcem vſqu e nigra purpura, ac ex lateribus pictis maiorum imaginibus tecti. anteibat Nepotum numerus pulcher cætera multitudine præmiſſa, quos ſequebatur Pontificum ordo, dein feretrum Principis, poſtremò Sigiſmundus cum fratribus, cumque primoribus, atque legatis: ea fuit comitantium hominum copia, vt binis & binis incedentibus, dum primi Baſilicam Diui Stephani ingrederentur, poſtremi nondum vrbe egreſſi fuerint, quod ſat notabilem ſpatij diſtantiam efficit. Feretrum illatum lecto in æde Diui Stephani præparato, quod doloris caſtrum appellant, tum inferiæ per Antiſtitem celebratæ. Laudatus eſt inter ſolemnia pro ſuggeſtu à Petro Domitrouitio loci eius Epiſcopo, ea eloquentiæ facundia virique laude, quam & Suada ei inſtillauerat melleam, & quam merita tanti Principis expoſcebant. omnium enim maiorum ſuorum Thomam Cardinalem ſequentium, hic Thomas maior fuit: inter alia maximè ſpectandum erat lectus faſtigiatus in altitudinem propè concamerationis Templi luminibus vitreis miro modo, colorumque varietatibus diſtinctis. Sed miſerationem & ploratus omnibus eliciebant ſilentium vaſtum, conlucentes faces, populus, templum

Sepultura Thomæ Erdödij.

paulò ante igne abſumptum, & quoquò verſum aſpiceres atrata, parietes funebralibus emblematibus ſingulari artificio tecti; ſed quæ cuncta ſuperabat, popularitas illa, & clementia boni Principis, tacitis animis deſiderata. Subière poſt feretrum Viri Illuſtres, delatumque in ſepulchrum clangentibus mortuali leſſo tubis. tum trecenti illi, quos diximus, haſtati, quiſque ſuam, quam gerebat haſtam, in murum perfringentes, fragilem humanæ vitæ pompam declarantes, funeris celebritatem omnem concluſêre.

Annus qui fuit à partu Virginis 1595. Vniuerſam imprimis Sclauoniam, cæteraſque Prouincias, quas proximè bello expoſuerat, quietiſſimas habuit nulla tamen ſpe futuræ pacis: quandoquidem diuturnitate bellorum feſſi Principes, quum haud dubiè attritæ omnium vires facilè reparari non poſſent, veluti conſenſu quodam arma poſuerant, quæ mox infenſioribus animis reſumerent. adeò acerba inter ſe odia, victi victoreſq; exercebant, vt veteres controuerſias, quibus nouas etiam belli cauſas in tanta varietate caſuum addiderant, finituri minimè viderentur, niſi alterutris nihil reliquum fortuna faceret, vel vtrique per mutuas clades, ad internetionem bellando conciderent. Itaque anno inſequenti, quo Ioannem Draſcouitium Erdödio in officium ſucceſſiſſe diximus, non parui in Croatia motus ſub Georgio Lencouitio earum partium Præfecto, exciri cœpêre. Nutu ſiquidem ac voluntate eius 50. Dalmatæ, cùm 500. Segnienſibus nocturna vſi fraude, altas Cliſſiæ montis crepidines, cui arx impoſita fuerat, ſcandunt, in arcem per occultum muri hiatum, qua purgamenta arcis egerebantur penetrant, obuios trucidant, captamque arcem ingenti lætitia perfuſi, tormentorum fragore & boatu ſignificant. Lencouitius tricenariam cohortem adminiſtrato ſufficienti commeatu eo ſubitò miſit, arci præſidio futuram. Nec Segnienſes potitæ arcis gloria contenti, ſed fugientes Oppidanos Turcas inſecuti, captiuorum cum opima victoria trecentorum numero Segniam deductorum, prædam ſub haſta vendunt. Ibraimus loci antea Præfectus, qui Cliſſiæ amiſſæ ſolus culpam ſuſtinebat, ob direptam ditiſſimam ſuppellectilem irâ frendens, vitæque perdendæ metu, Apardem Boſnæ Præfectum ingentibus onerat precibus ac promiſſis, ne ſaluti ſuæ in extremum deductæ diſcrimen, auxilio deſit.

Ioannes Draſcouitius Banus 1596.

Cliſſia à noſtris occupatur.

ſit. Sed Turcæ grauiſſimorum potiùs incommodorum perpetuis futuris temporibus, terrâ mariq́ue inferendorum periculo moti, quàm precibus eius, iuſtum cogunt exercitum, Cliſſiamq́ue obſidione repetunt: Sed & Lencouitius cum quatuor lectiſſimorum millibus ſuis, præſtò adeſt. Vbi in mutuum venere conſpectum, ſuos quiſq́ue cohortatus in certamen ruit; confligitur ſtrenuè, pugnatur acerrimè & alternante fortuna melioribus inuidæ ſucceſſibus Lencouitius vincit, vinciturq́ue. tùm ſaluti ſuæ conſulens, arcem cum ſuis petit, vbi biduo moratus, ſuos in fide & conſtantiâ firmans, illâ excedit, ne abſumptis edulijs obſeſſi inedia laborent; numerus eorum qui cum Lencovitio exiêre ad DC. milites conſtituit, cumq́ue haud procul ab arce ſilenti agmine irent, Turcæ in vtrumq́ue latus progredientium ingenti ſublato clamore irruerunt, pugnaq́ue magnis vtrinq́ue viribus inita eſt. Verùm noſtris numero longè inferioribus præualuêre hoſtes, ac geminata parta victoria, noſtros in effuſam fugam vertêre: ita vt cadentibus multis, & Ioanne Domninio Epiſcopo Segnienſi cum aliquot Sacrificulis, quos Glagolias vocant, item Andrea & Ioanne Baſſanijs fratribus vnà interfectis, plures tamen vivi caperentur: inter quos Georgius Paradiſius Segniæ Præfectus, Weichardus Auſpergus Andreæ ex fratre nepos, Ioannes Mardax, Gabriel Criſanitius, ac aliquot Centuriones Segniani. Lencouitius accepto vulnere, cum tribus fugæ ſocijs ab Michaele Radecio viarum perito, è medijs hoſtibus elapſus, poſt varios ac multiplices errores Segniam peruenit. Clecouitio ætate ac laboribus confecto equus ſuffoditur, ac ipſe cum fugere non poſſet, ſub rupe quadam caua velut antro, eam noctem ſe occultauit, ac haud procul caſtris Turcicis itinere facto altera nocte Suturciam, ac deinde Segniam veniens, Lencouitio ſe coniunxit. Magna etiam noſtrorum pars trepidi, & conſilij inopes, in arcem vndè exiuerant, refugere. Ferunt Epiſcopum Domnionem cùm noſtros in fugam verſos animaduertiſſet precata peccatorum venia benedictionem pro Chriſti fide pugnantibus elargitum, cui cum attentiùs inſiſteret, ab hoſtibus deprehenſus interficitur. In hunc modum varijs caſibus alternante fortuna, ſub Cliſſiæ mœnibus ſatis improſpero euentu, pugnatum eſt, ita ut vtroq́ue in certamine, tàm in diripiendis caſtris, quam in reditu no-

ctur-

ſturno, viri fortes ex noſtris ſupra trecentos deſiderati ſint. cæteri incolumes, ſed varijs erroribus acti ad ſuas ſtationes redierunt. Nec Turcis incruenta ceſſit victoria; quandoquidèm mille circiter eorum occubuiſſe feruntur; & Ibrahimus ſclopeto traiectus, ex vulnere mortem obijt, plurimique ex præcipuis partìm in acie cœſi, partìm domi vitam finiuerunt. Lencovitius Segniâ per idoneos nuncios confeſtim Chriſtianos bono animo eſſe iuſſit neué deſperati arcem hoſti traderent, admonuit, ſeque intra octiduum redintegratis viribus, adducto ſecum commeatu, & recentiori milite reuerſurum pollicitus eſt, daturumque operam, vt vel inuitis hoſtibus arci ſuppetias ferat, & frumentarijs etiam anguſtijs quam celerrimè occurrat: iamque conueniſſe circiter mille milites ex Dalmatis voluntarios, qui iterum Cliſſiam repetere, & ſecum vna prælij fortunam cum hoſtibus experiri velint. Mauritius & obſeſſi, ſe octiduum expectaturos reſponderunt, ſic tamen, vt Lencouitium magnoperè petitum vellent, vt promiſſi memor, maturam intra hoc tempus opem ferre non differret; cæterum ſe veniam poſtulare ſi ipſi duræ neceſſitatis telo adacti ſpe celerius ſibi conſulere cogerentur. Verùm Turcæ miſſo in arcem Paradyſio nocturna in pugna capto, omnibus qui in arce erant, liberum abitum cum armis, & ſarcinis, ſi arcem reddant, vltrò offerebant: tùm verò etiam omnes illos, qui vtroque in certamine capti erant, ſeſe ſine pretio dimiſſuros iureiurando pollicebantur. Paradyſius multis verbis ſocios, qui in arce erant cohortari vt ſuæ, & ſociorum ſaluti quam optimè conſultum vellent, ac conditiones â Turcis propoſitas haud cùnctantèr admitterent, ſatiùs & præſtabilius eſſe, cedendo aduerſæ fortunæ, ſeſe ad meliora reſeruare, quàm neglecta propria ſalute, arcem pertinaciùs tueri, quam mox inedia, & ſiti rerumque neceſſariarum inopia coactis, ad arbitrium crudeliſſimi hoſtis, nec poſtea cuiquam parſuri dedere oporteat. Quibus & alijs talibus verbis Paradyſius vltrò citroque commeando perfecit, vt vtrinque de conditionibus ſubſcribendis tranſigeretur, ac literæ mutuò conficerentur, quibus confectis, captiui à Turcis dimittuntur; ipſe Paradyſius, Auſpergus, Criſanitius, & alij complures. Sed Iacominius, Peczius, ac Mardax, quod eſſent decora forma adoleſcentes, contra pacta occultati, retentique fuerunt: iurantibus

Cliſſia Paradiſij fraude Turcis deditur

bus quamquam falsò Turcis, illos nocturna in acie cœſos occubuiſſe. Obſeſſis etiam militibus ferè quingentis fides ab hoſtibus ſervata eſt, & cum rebus omnibus dimiſſi domum redierunt. Atque hic fuit infauſtæ huius Cliſsianæ expeditionis exitus in qua profectò fortunæ potius inconſtantiam, quæ, & dolis, & virtuti noſtrorum malignè defuiſſe viſa eſt, incuſare licet; quam Dalmatarum, qui facinus incœptaverant, fidem ac induſtriam deſiderare. Paucos demùm poſt dies Sigiſmundus Herbeſtannius, qui citeriores Illyrici partes & limites tuebatur, exercitu coacto ignominiam cladem que Cliſsiæ acceptam rependere hoſtibus conatus, ad recuperandam Coſtaniciam vires animumque adiecit. Venere ad eum mille è Styria equites, quos Fridericus Schaffenbergius ductabat, ex Carinthia ac Carnis equeſtres pedeſtreſque copiæ, quas Deſelanas vocant, & Joannes Draſcovitius, cui nobilitas earum regionum juſſu Cæſaris, tanquam Bano, vt veteri vocabulo noſtrate utamur, parere iuſſa erat, eis ſeſe cum tribus circitèr millibus, vtriuſque ordinis militibus coniunxit. Itum eſt primò Petriniam, ibique Lencouitius Carloſtadianos ſuos, qui Cliſsiano bello ſuperfuerant, in caſtra miſit, Duce Chriſtophoro Obruciano equitum Præfecto. Adfuere etiam nuncij Thracum cum literis à Radoſtano Archipreſbytero, ac Raiaco Vaivoda, Voino, & Sincone Cneſijs, Emanuele Iusbaſſa, Bogdano Harambaſſa, Novakaga, Dracula, Odabaſſa, alijſque omnibus, qui à Colapi ad Adriaticum litus vſque ſedes habent, communi nomine ſcriptis (eas autem, ut quam ſecretiſsimè haberentur, petebant) quibus ſi ipſis vacuæ arces cum agris & fundis deſertis, quæ inter Colapim & Valdanum (ſic antiquitus flumini Hunnæ nomen fuiſſe ferunt) circiter LXX. habentur, inhabitandæ concederentur, ſe arma aduerſus Turcas ſumpturos pollicebantur. Siue tamen hoſtium metu, & quod rebus infectis reditum fuerit, ſiue inſita eius generis hominibus inconſtantia, ſive ob alias cauſas promiſsis minimè ſtetere, tametſi Duces nuncijs pecunia donatis, vota eorum rata fore reſpondiſſent. Primis caſtris è Petrinia promotis, ad vallem Vinodoliam, qua Moſenicius rivus præterfluit ventum eſt, ſecundis ad eam planitiem, quæ planitia nominatur, amniculo Veleſnoue irriguam, indeque lentis agminibus diem octavum Iduum Julij, cum impedimentis, & carris, ac tormentis in Coſtaniciæ

con-

conſpectum ductus exercitus. Turcæ pedites Thracibus permixti viſis noſtris, priuſquam tabernacula extenderentur, ac tormentis collocandis idoneus locus quæreretur, cymbis & naviculis transiecerunt flumen, ac ad Dedum montem, qui Arci ſupereminet delati eos, qui primi è noſtris procurrerant, ſclopetorum glandibus petere cœperunt; ſed mox alijs atque alijs auxilio ſupervenientibus, vno aut altero ex illis trucidato, cymbarum beneficio, ſuperato flumine in Arcem redierunt; paulò poſt meridiem tormenta promota, & duobus in locis collocata ſunt, tria quidèm in edito Dedi montis ſupercilio, vnde arx commodè peti poterat, duo autèm in eius radicibus circa Hunnam fluvium qui Arcem in Inſula ſitam circumfluit: quibus arx bipartito verberari cœpta eſt. Apardis Boſnæ Præfectus, qui Banialucæ fragorem tormentorum facilè exaudire poterat, miſsis equitibus obſeſſos vt Arcem fortiter ſervarent admonuit, ſeque die ſequenti ſubſidio venturum promiſit. Nec dictis fides defuit; eodem enim tempore, quo venturus expectabatur, ipſe equo inſiliens, cùm ducentis peditibus ſclopetarijs, per vlteriorem fluminis ripam, verſus arcem per notos tramites is perrexit, noſtris qui editioribus locis per montes paſſim tentoria ſua tetenderant, eum eminus conſpicientibus, ita ut eorum numerus facilè iniri poſſit. Sed tamèn quùm aliquot Turcæ noſtris aquationi intentis inſidiantes, ad flumen capti eſſent, impudenti ore illum octingentos ſecum Janiceros adduxiſſe falsò referebant: adeò illi ſuorum numerum peierando, atque mentiendo ſupra veri fidem augere conſueverunt, quoniam neq; plures eo tempore auxiliares mitti poterant; eo quod ex Boſnæ præſidijs magnæ militum manus in Pannoniam, defendendæ Budæ cauſa tranſlatæ eſſe dicerentur. Cùm in hunc modum bidui ſpatio arx tormentis petita verberaretur, ſed quia interfluente Hunna, irritus omnis eſſet labor, Herberſtannius habito cum ſuis conſilio, navibus quas in hunc vſum ſecum plauſtris attulerat, & tabulatis, flumen ponte inſternere conſtituit. Sed indigenis viarumque peritis, poſſe vado traijci referentibus paruit, moxque tubis & tympanis exercitui ſignum trajiciendi dedit: primique Joannes Voycouicius & Chriſtophorus Mernauicius equitum Præfecti, cum ſuis turmis in ulteriorem ripam euaſerunt. Eorum exemplo cœteri equites eodem vado certatim tranſire cœperunt, & qui robuſtiores

Coſtanicia à noſtris obſidetur.

res

res habebant equos, ſingulos pedites ſclopetarios eorum clunibus impoſitos tranſuexere, ita vt totus ferè exercitus ſummâ celeritate, diuerſis qua quiſque potuit repertis vadis, fluuium ſuperaret, & peditatus maior pars, ſclopetos & ſulphurei pulveris lagenulas, ne madefactæ ulli uſui eſſent, ſupra capita tolleret, nec extantibus è flumine pectoribus pone ſequeretur. Apardis conſpecto noſtrorum tranſitu, haud dubio perculſus metu, relicto in arce ordinario præſidio, cum ijs, quos pridiè adduxerat peditibus, ac Thracum manu, quæ è Dubicia tumultuariè confluxerat, obuiam noſtris venit, ita ut equites haud plures ducentis præcederent, & ijs quatuor vexilla equeſtria præferrentur, pediteſque rari & ſparſim, laxiori ſpatio in ordine redacti, quo maior eorum numerus appareret ſequerentur. Sed vix primum noſtrorum impetum ſuſtinuêre, quin ſtatim terga verterent, & equites abactis ſignis in præruptos montes & præcipitia rupium, vix feris aut capris pervia fugam darent: pedites verò vrgentibus terga noſtris, ignari quam capeſſerent viam pari terrore, ſed duplici viarum diuortio fœdè profugerent; pars enim eo arduo & difficili aſcenſu, qua equites iuerant vitato, in proximas ſylvas multa ſilice proceraque & fruticibus denſiſſimas ſeſe proripuit; pars notis tramitibus, verſus arcem, ac quo cuique licuit palantes & diſperſi ſaluti conſuluêre, ſicque facilè euenit, ut etiam noſtri in tot agmina diviſi fugientibus inſiſterent. In eo fugæ tumultu multi ex hoſtium numero, ſed etiam aliquot ex noſtris equites cecidêre, ab hoſtium peditibus ſubter frondes & proceriores ſtirpes latentibus circumventi, inter quos Joannes Clobucicius, & Ladiſlaus Bucovackius junior fuêre, Caſpar etiam Criſanicius Gabrielis nuper Cliſſiæ capti, & mox ex pacto dimiſſi frater, egregiæ virtutis peditum Centurio. Reditum deinde ſub noctem ad ulteriorem fluminis ripam, ubi Oppidum ſitum eſt, quod ſine mora direptum, ſed pauca ſpeque minor præda reperta fuit, quod hoſtes rebus ſuis tempeſtivè aſportandis proſpexiſſent, moxque igne ſubiecto concrematum. Diluculo facto noſtri pontem extruere cœperunt, eodemque die maturato labore ad vlteriorem ripam perduxerunt; eo animo, vt arx tormentis tranſvectis ac propius admotis expugnaretur. Nec cœptis optatus exitus defuiſſet, ſi Duces ſtabili propoſito conſtantiæ decus retinendum duxiſſent, verùm cùm incertis & dubiæ fidei

Apardis à noſtris profligatur

Ab obſidione Coſtanicæ ceſſatur.

auctoribus Achomatem Evnuchum cognomento Aphiſem cum ingentibus copijs Coſtaniciæ opem laturum adventare, jamque ad Suinarium Savi fluminis tranſitum perveniſſe didiciſſent (quanquam is necdum Belgradum attigerat) reductis copijs & reſciſſo plauſtriſque impoſito ponte infectis rebus, eodem quo venerant itinere, reverſi ſunt.

Sed ubi noſtri in Turcas detonare ceſſant, tùm eorum adverſus noſtros validiſſima turbulentiſſimaque glomeratur tempeſtas. Nubes enim illa, quæ in iugis montium Boſnæ à longo tempore conſediſſe circumferebatur, ubi maturuit in fines noſtros omnem effudit belli procellam, quæ ſanè vel eo maiori terrori, ac veluti infauſto quodam prodigio nobis fuit, quia plùs minus centum millibus armatorum, Duce Achomate Viſerio, ac eiuſdem Eunucho SzerdarBaſſa, inſtar alicuius turgidæ tempeſtatis agitabatur. Et verò HaſſanBaſſam, qui ſuperioribus annis Siſciam olim Romanorum Coloniam, nunc verò vbi Colapis fluvius Savum influit, Capituli Zagrabienſis ſingulare propugnaculum, ſuâ quam accepit memorabili clade & interitu, clariorem reddiderat, redditum ſibi veteres Boſnæ milites credidêre, vbi Szerdarij ingenij vigorem, vultus truculentiam, oculorum vim intuebantur; nam homo ſtaturâ puſillus, corpore vitiatus, natura ſignatus, fronte rugis perarata ac annis obſitæ anui perquam ſimillimus fuit: plurimum illi audaciæ ad pericula capeſſenda, plurimum conſilij inter ipſa pericula erat; inhumana præterea in omnes, & maximè in Chriſtiana mancipia crudelitas; perfidia pluſquam Turcica, nihil veri, nihil ſancti, nullius Dei metus, nullum jus jurandum, nulla pietas, nulla religio. Cum hac vitiorum indole in Cæſaris Turcarum Gynæceo, teneris ab annis enutritus, in militiæ palæſtra eruditus, belli artibus inſtructus, Perſicis tandem armis exercitus Provinciam hanc eſt ſortitus. Cœterùm ex quo fines noſtros fulmen illud attigit, nihil prolatandum ratus, ne ſe cunctantem aliquis caſus opprimeret, mox armatam præmittit cohortem, quæ Petriniam olim Boſnenſium latronum domicilium, & prædonum tutiſſimum aſylum, nunc verò (ſuperis ita volentibus) unicum reliquiarum afflicti huius Regni propugnaculum, primùm verbis ſpecioſis, poſtea diris etiam repeteret minis. Erat adhuc in ipſa Petrinia Daniel Francol, cuius ſupra meminimus, artium belli haud ignarus, loci

illius

Digitized by Google

illus ſummus Capitaneus, cum Georgio Preſtocio, quem paulò ante cum centuria vna peditum Illyricorum Draſcouicius ſubmiſerat: hi cum quadringentis circiter partìm Germanis, partìm noſtræ Gentis, præſidio ſanè perexiguo, omnem illius belli ac obſidionis molem, ſtrenuè animoque forti ſuſtinendam in ſe aſſumpſerant; quos vbi hoſtis nec precibus flectere, nec pollicitis corrumpere, nec etiam minis potuiſſet in ſuam pertrahere ſententiam, acritèr viris & armis oppugnandum ſtatuit, jurans per impia Mahometis numina, ſe illinc niſi victorem non abſceſſurum. Imprimis autèm execranda tempeſtas illa, validiſſima Ianicerorum grandine, in quibus omnem expugnationis ſpem, haud ſecùs ac in triarijs olim, poſitam habebat, miſeram ac infelicem cingit Petriniam, ac ne à noſtris lædi poſſet, profundis tranſverſum ſuos quâ poteſt circumfodit vallis, ſicque locum plurimis tutum parat ſclopetarijs, qui mœnia defendentes continuò infeſtarent; pontem quoque navalem, qui in Colapi ibidem erat, extemplo reſcindi jubet, poſthæc caſtra locat, cuſtodias, vigiliaſque in vadis ſuſpectis, alijsq; locis opportunis inſtruit, militum catervas diſponit, acies ordinat, & quacunque noſtros obſeſſis opem laturos rebatur, cautus præcludit; Inſuper, quod virium, quod roboris habebat, ſummo ſtudio opponit. Omnibus ſic ex ordine diſpoſitis, & caſtris benè communitis, aggeres excitat, pluteos & ſcalas parat, bellica denique firmat tormenta, cœteraque omnia, quæ non minùs ad obſidionem, quàm ad expugnationem neceſſaria fore cenſebat, incredibili celeritate præparat. Sublato tandem vndique ingenti clamore, ac plus quam barbaro vlulatu claſſicum canit, tympana pulſat, inflat tubas, arma capeſſere, & dicto celerius effrænata militum examina cœca ſubire mœnia iubet; atque vno tempore obſidione & oppugnationibus noſtros premere cœpit, propugnacula deindè bellicis acritèr concutit machinis, mœnia denudat, propugnacula ſclopetis, ſagittis, & denſiſſimo telorum imbre obruit; quin etiam ignem qua poteſt adijcit, qui vbi lignea comprehenderat opera, mox à noſtris partìm extinguitur, partìm reſcinditur, ac quod iam hoſti patebat, terrâ velocitèr obſtruitur: ille nihilominus furijs agitatus certatim noſtros oppugnare non deſiſtit; inſtat pertinacitèr, & nunc receptui, vt reintegratis ac reſumptis viribus validiores faciat impreſsiones, nunc claſsicum canit in omnem

Petrinia à Turcis obſidetur.

 occa-

Digitized by Google

occaſionem intentus; feſſis recentes, ſaucijs integros ſubmittit; ignavos ac deſidioſos acriùs increpat ac vrget, cœteris vt pertinaciùs oppugnent, animum ſimul & calcar addit; his ampliſſima ſi vicerint, pollicetur prœmia, illis è contra atrociſſima ferox minatur ſupplicia, ignaviæ & puſillanimitatis condigna ſtipendia. Noſtri, vbi vident ſe iam à circumfuſa multitudine, durâ non ſolùm obſidione, ſed etiam oppugnatione premi, divinis freti præſidijs, hoſtium conatibus reſiſtunt gnavitèr, artes artibus eludunt prudentèr; ſubeuntes repellunt, aſcendere enitentes deturbant, telorum grandine hoſtium agmina proſternunt, ſtragem, cœdemque maximam faciunt. Non paucos etiam haſtis præpilatis, ſudibuſque præuſtis, ſaxis ac denſatis miſſilibus inceſſunt; præterea vt crebras & vix iam tolerandas impreſſiones impedirent, cupas quam plurimas pulvere tormentario, ſævo, pice, ſcanduliſque complent, ac ardentes in confertiſsimos hoſtes ſubindè provolvunt. Pugnatur vno tempore omnibus in locis, atque omnia etiam extrema tentantur; quæ minima viſa pars eſt firma, huc concurritur. & quamvis noſtri, tantæ molis defenſione diſtinerentur, nec facilè pluribus pauci vbique occurrerent: omnia tamen fortiſſimo ſuſtinentes animo, ita pertinacitèr reſiſtebant, vt non prius, quo quiſque conſtitiſſet, diſcederet loco, quàm aut gravitèr vulneraretur, aut occideretur. Omnium ſiquidem, & præcipuè qui capita eorum erant, vna & conſtans „vox hæc erat: *Eia boni ſocij maſculo pectore nunc eſt opus,* „*quando extremam fati noſtri videmus imminere horam, & ideò* „*antequam aut turpitèr occumbamus, aut certè in immaniſsimam* „*abducamur ſervitutem, pugnemus fortitèr imprimis pro fide Chri-* „*ſtianâ, pro religione Catholicâ, pro aris, pro focis, pro coniugibus, li-* „*beris, chariſsimiſq; pignoribus, pro ſalute deniq; atq; conſervatio-* „*ne Patriæ dulciſsimæ; nam nulla iam ſupereſt nobis futura via,* „*præter dextras & virtutem; victi nullam ſperemus ſalutem.* His dictis adeò omnium animi ſunt accenſi, (ac præſertim Francoli, qui frænatis antea equis, de fuga ac deditione cogitaverat, niſi à Preſtocio acrioribus caſtigatus verbis retentus fuiſſet) & ad ſubeunda quæque pericula confirmati, vt qui non priùs honeſtè mortem oppeteret, quàm vel ſeſe dedere, aut Patriam prodere mallet, fuerit nemo. Vix jam tunc ſenſit hoſtis, Germanorum conſtantiam in hoc vno exigui roboris præſidio, ac Croa-

Noſtrorum ad invicem exhortatio

tarum

Digitized by Google

tarum fidelitatem; Intereà verò dum hæc circa Petriniam gerũntur, Joannes Draſcovicius Regni huius Banus, coactis ſuis copijs, & excitis Regni, ac Confiniorum gentibus eorumque Magnatibus, apud Siſciam caſtra metabatur. Poſtquàm autem Georgius Lencovitius Croatiæ, & Sigiſmundus Herberſtanius Sclavoniæ limitum Præfecti, in caſtra ad Banum confluxiſſent, mox excubias in locis opportunis, vbique ſumma cum diligentia diſponunt, & pontem in Odra fluvio celerrimè parari jubent. Quinquaginta etiam equites Petriniam verſus, vt quid ibi rerum ageretur, fideliter explorarent, ſtatìm ablegant; qui cùm paulu- lùm à Drencina fortalitio memorati Capituli Zagrabienſis, pro- greſſi fuiſſent, illicò incauti in latentes hoſtium inſidias incidunt, vno duntaxat ſocio illic amiſſo, cœteri hinc inde diſperſi, palan- tes vix fuga in tutum ad ſuos rediêre. Ille miſer vbi apud Acho- matem captivus ſiſtitur, tormentis excruciatus, capite tandem plectitur: parcebat enim impius ille carnifex nemini, ſed quoſ- cunque captivos habere poterat, ſtatìm crudeliſſimè enecabat, aſſerens Mahometanæ religionis, ac pervetuſtæ conſuetudinis Turcarum eſſe, vt dum eorum Cæſar foris bellum ageret, nemini parci, neque etiam fidem ſervari debere. Cumque jam diem dies truderet, fruſtraque obſeſſi noſtra ſe expectare auxilia cerne- rent, de exitu ſuarum fortunarum conſultáre ſunt coacti. Nam præterquam quod ab hoſte premerentur vehementèr, ob penuri- am aquæ, ſiti etiam intolerabili conficiebantur, quamvis aquâ pluviæ beneficio aliquantulum fuerint alleviati. Varijs vltrò citròque dictis ſententijs, placuit omnibus, vt duos è medio ſui ad noſtros ſubmitterent; quibus dant in mandatis, vt ſi ſalvi Deo duce ad noſtros pervenerint, ad amuſsìm illos, cùm de eo- rum & Petriniæ, tùm etiam de hoſtium ſtatu, ac conatibus edo- ceant; ſimulque ni amiſſam velint Petriniam, & ſocios perditos, cita implorent auxilia; horum alter ab hoſtibus fato ſuo eſt in- terceptus, ac gravi ſupplicio interfectus, alter autem comite fortuna, incolumis noſtra evaſit in caſtra. hic data ſibi facultate & copia loquendi, quos in ipſa obſidione reliquerat ſocios, non ſolùm vehementiſſimè oppugnari, & maxima vi premi, verùm etiam extrema jam ſiti perimi; rem ſummo eſſe in periculo, nec jam vires ſufficere, nec ferre defenſionis laborem vlterius poſſe, niſi illis tempeſtivè ſuccurratur; & alia multa, multis verbis ac

Draſcovicius Banus Petriniæ ſubſidio venit.

ratio-

rationibus lachrymabundus ediſſerit. Divulgato paſſim per caſtra tanto Petriniæ & obſeſſorum periculo, poſt quorundam cunctationem magnum imprimis apud illos, quibus ſalus Patriæ cordi erat ſuboritur murmur & indignatio, quod neque ſocijs arctiſſima obſidione cinctis, & tam ab hoſtibus, quàm ab intenſiſſima ſiti extremè jam pereuntibus, vlla ſubmitterentur ſubſidia; & quod neque Petriniæ, quæ vnicum eſſet non ſolùm Regni huius, ſed etiam vicinarum Provinciarum propugnaculum, imò quaſi clypeus & antemurale, ſuccurreretur; quâ amiſsâ, iri etiam cœteras Regni reliquias, adeòque omnem viciniam, nullis vnquam recuperandam viribus. Succurrebat præterea memoriæ quorundam, quam ex parva, dum Petrinia ab hoſtibus ædificaretur, contempta ſcintilla, ingens exarſerit Patriæ conflagratio: quam perniciosa ex minimo neglecto morbo enata ſit peſtis: quàm ingens ex parva nubecula inundaverit per omnem regionem tempeſtas, cunctas Regni reliquias devaſtans. Recenti exemplo eſſe Siſciam, toties belli machinis fulminatam, concuſſam, ac propemodùm ſolo adæquatam; Drencinam dirutam, Boſiaco in cinerem & fauillam redactam, Hraſtouicam, & Bihitium, cæteraque antiquiſſima Croatiæ propugnacula expugnata. Brezth, Hergouichi, Lethouanich, Bercuſſa, Zredichco, & vniuerſa Colapis confinia exuſta, ac deſolata; Turopoliam portum Saui, & omnem Segeſticam Inſulam, non minùs populoſiſſimam, quam fertiliſſimam, Regni horreum penitùs vaſtatam, ſupereſſe iam Zagrabiam Regni caput; Quot inſuper prædas animalium paritèr & hominum in grauiſſimam morte duriorem ſeruitutem abegerint, varijſque affecerint ſupplicijs; Templa profanauerint, Sacraria expoliauerint, Chriſti, & Eccleſiæ eius Sponſæ Sacramenta conculcauerint, DEI, Sanctorum omnium ſimulacra comminuerint, toti deniqué Chriſtianitati ſummum incuſſerint terrorem. Certo certiùs præſentiſſimum, ne illa tempeſtas procul à finibus, imò à ceruicibus noſtris pellatur, imminere & Patriæ, & cæteris vicinis prouincijs periculum, ac extremum excidium. Ad hæc milites etiam murmurare, quod more fœminarum in caſtris otioſi deliteſcerent, ac viribus indies molleſcerent, quod commeatum fruſtra conſumerent, quod ſua cunctatione hoſti animum adderent, quod

Segnities noſtrorū.

ſocios

Digitized by Google

ſocios deniq́ue ac Patriam proderent; ducerent, qui' eſſent belli Duces, aut ſequerentur, quo & fortuna, & rei neceſſitas apprimè poſtularet, ipſos quoſuis labores & pericula, mortem deniq́ue ipſam non detrectaturos. Pudore tandèm potiùs, quam rationibus victi conſilium ineunt, dictiſq́ue ſuffragijs mox ad Brezt ſua illinc transferenda ſtatuunt caſtra: eò nimirum animo, vt obſeſſis expetitam in tempore ferant opem, & hoſtes illinc propulſent; quæ adeò audactèr propè ipſamPetriniam in ipſo nempè hoſtium conſpectu ponunt, vt nonniſi Colapis amnis eos dirimeret: noſtris tunc quidem animus erat, ſuo aduentu vi etiam adhita recentem militem in Petriniam imponere, partìm etiam hoſtem, quo mitius obſeſſos vexaret pro virili diſtrahere ac impedire, ſed hoc opus, hic labor erat. Turcæ enim adeò omnes vias armatis obſepiuerant cateruis, vt iam neq́ue noſtris aditus, neque etiam exitus pateret. Contempta etiam paucitate noſtrorum (vix enim erant armatorum millia ſex) tantò liberiùs ac pertinacius oppugnationi inſtabant, quantò minùs ſibi à noſtris timendum exiſtimabant; Ideoq́ue illis nunc ignauiam, quia tardi tanquam grauis armaturæ milites, plumbeis pedibus, gradu teſtudineo incedentes, in militiæ campum venirent; nunc temeritatem, quod pauci multis reſiſtere præſumerent exprobrant: præteritam quoque cladem Breztenſem, illis in memoriam refricabant, ac dira quæq́ue non minus ſuperbè quàm imperiosè, ni Euro velociùs, ſi ſalui eſſe velint, illinc abſcederent, minabantur. Verba quidem hoſtes noſtris dare videbantur. interea tamen ab oppugnatione non ceſſabant; ſed quo citius voti compotes euaderent dies noctesq́; ſtupendos ad euertendam Petriniam agebant cuniculos. Extremum iam hoc oppugnationis erat refugium, vt quod proprijs viribus, quantumnis maximis ſe expugnare poſſe diffidebant, id pulueris tormentarij vehementia tentarent. Res profectò iam plena periculi erat, adeòq́ue in extremis, vt niſi DEVS Optimus Maximus, cuius nutu reguntur omnia, occultâ, & immensâ ſuâ benignitate, ſuis fidelibus opportunè ſuccurriſſet; eo ipſo, quo cladem hoſtis accepit die non tam de Petrinia, quam de noſtris etiam caſtris, ac de omnibus alijs afflicti Regni huius reliquijs actum fuiſſet. De Petrinia quidem, quia iam hoſtis omnes propemodum confecerat cuniculos, de caſtris verò, quia illa ea ipſa nocte (ſicuti

poſtea

Digitized by Google

poſtea ex captiuis eſt cognitum) inuadenda propoſuerat, de Regni autem reliquijs, quia expugnata Petrinia, & deletis noſtris copijs Regni munimentis, nonniſi vltimum ſequebatur excidij periculum. At ex tantis periculorum fluctibus, multum adiuuante Colapi, plurimum DEI immortalis ſuper ſuos fideles vigilantis, & pro illis pugnantis benignitate, qui cum omnibus belli caſibus interſit, tùm præcipuè eis, quibus nihil ratione potuit adminiſtrari erepti ſumus; nam dum noſtri obſidionem illam ocioſi ac oſcitantes inſpectarent, & nequè quicquam obſeſſis auxilij, præter verba ſpecioſa, quæ etiam mox hoſtes excitato in caſtris fremitu, ità vt neque audiri ne dum intelligi poſſent, intercipiebant, dare poſſent: diuino planè ſunt moniti oraculo, vt illinc quam primùm recederent, ac hoſtium caſtra à tergo circumuenirent. Fuit autem in eam rem à Præfecto Siſcienſi pons ex mandato Bani, ex ratibus in Colapi ſub ipſa arcis mœnia, opere quidem tumultuario, attamen affabrè pro traijciendo exercitu factus, hoſtibus vt puto vix benè cognitus; Antequam tamèn eo concederent, in tantis rerum anguſtijs, quomodò de ſuis conatibus incluſos certiores reddere poſſent, ne eos in deſperationis baratrum ſuo ſeceſſu conijcerent, haud modicè diſcruciabantur; capto demùm ex tempore conſilio, dolis & ſtratagemate hunc in modum hoſtes circumveniendos ſtatuunt, Martino Segniano peditum Centurioni perſuadentes, & hanc obeundam iniungunt Provinciani, vt quibuſcunque poſſet artibus, hoſtes falleret, & ſtudia eorum aperiret; Dolus enim an virtus quis in hoſte requirat? Hic itaque more Turcarum abraſus, habitu quoque & lingua, quam probè callebat, Turcam ſe eſſe ſimulans, noctu clam in hoſtium caſtra commigrat, ex manipulis Ianicherorum ſe vnum eſſe mentitur, cum quibus vt incognitus familiaritèr converſatur, ſingula quæque accuratè obſervat, aditus omnes explorat, ſi qua in arcem ingredi poſſet omnem tentat viam. Nacta itaque occaſione, nocte intempeſta mœnia ſubit, & vigili quis ſit, quid fieri velit, quaſi per tenuis auræ ſibilum inſuſurrat: quem noſtri fune demiſſo attollunt, ac è denſiſſima hoſtilium telorum pluvia fraudem advertentium, vix ſalvum eripiunt. Ex quo cùm illi noſtrorum ſtudia, ac ſalutares conatus intellexiſſent, paululùm refocillati, proſperos quoſvis fortunæ ſucceſſus, & felicia quæque læti precabantur. Confirmatis ſic obſeſſorum animis,

Noſtri Siſciam caſtra transferunt.

Digitized by Google

animis, actutum noſtri ſolutis caſtris & præmiſſis impedimentis aperta luce propoſitum arripiunt iter, Turcæ verò eos, aut deſperatione fractos abire, aut ſaltem metu perculſos fugere rati, properè habito tàm peditum quàm equitum delectu ſine mora inſequuntur, turpem illis objiciunt fugam, vituperijs afficiunt, minis territant, terga prementes ad pugnam laceſſunt. Tandem noſtri vbi iam moram in periculo eſſe cernerent, mox greſſum convertunt, invocatoque numine divino, magnâ vi, maiorique impetu in hoſtes aperto Marte irruunt, terga dare cogunt, fundunt fugantque, ac in Colapim vaſtis gurgitibus abſorbendos impellunt; multi Turcarum ibidem cœſi, pauci ex condicto vivi capti, pars magna flumine abſumpta, vniverſim ex hoſtium numero haud pauciores 3000. interijſſe feruntur. Szerdar vbi tam inopinatam ac funeſtam ſuorum cladem anxius proſpiceret, timore non minimo & ipſe correptus, né ſimilem aut certè maiorem cum his qui adhuc ſupererant acciperet ſtragem; nihil moratus, non ſolùm ſolvendæ obſidionis, verùm etiam turpis fugæ cogitur inire rationem. Quamobrem inclinata jam die caſtra ſolvit, ſarcinas colligit, impedimenta Coſtaniciam verſus præmittit, poſtridie & ipſe ea ſubſecuturus. Verùm ne noſtri eum fugam adornare animadverterent, cum ſelectiſſimis quas ſecum detinuerat, tàm equitum quàm peditum copijs, ſolito diutiùs emanet, ac in certas ſe abdit latebras eo animo, vt ſi noſtri eum inſequerentur, manus cum eis conſerere poſſet. Noſtri autem parta Deo propitio celebri victoria, & reportato de tàm potenti ac ſuperbo hoſte haud obſcuro triumpho, fugæ ac ſeceſſus Szerdarij ignari, ovantes inſtitutum proſequuntur iter. Atq; vbi Siſciam quo fortuna eos avocabat pervenere, curatis corporibus Colapim traijciunt, acies quaſi cum hoſte pugnaturi inſtituunt: pedites lævum, equites dextrum cornu tenere iubent, alacreſque milites alius alium vt adderent gradum, memor ad defendendam & conſervandam ire patriam, ad vlciſcendas tot illatas iniurias, ad reportanda deniquè ampla & opima ſpolia hortabantur. In procinctu jam tunc erat Szerdar, cùm noſtri pedites paucis cum equitibus, qui exercitum præire juſſi erant, caſu primi in eum incidunt, invocatoque divini numinis præſidio pixides explodunt, arma expediunt; ſtetit ille ad noſtrorum clamorem, & tot pixidum tonitrua pauliſpèr attonitus; & vndenam illa,

Inſignis Turcarum cædes.

Digitized by Google

aut quæ eſſet improviſa tempeſtas? quid turbarum? quis armorum ſtrepitus? quæ belli procella? quis furor? aut quæ inſania? quæſivit. Et cum omne noſtrorum caſtrorum robur adeſſe cognoviſſet, territus, ac quaſi divino fulmine cœlitus ictus fugit impius turpiter. Eius exemplo Odaverdis cum Boſnenſibus, poſtremò omnes fugam capeſſunt; ità vt noſtri perterritis & fugientibus inſiſtentes, plurimos ex eis obtruncarent, ac aliquot vexillis ac duobus inuſitati ponderis tormentis, quæ fatiſcentibus jumentis ea quæ præceſſerant ſequi nequiviſſent, potirentur, quibus Fherhatis purpurati nomen Arabicis literis inſculptum erat, & axibus ſolido è ferro compactis vehebantur. Magna etiam pabuli & farinæ ſalitæque carnis copia haud procul è loco vbi tentoria Evnuchi fuerant ſepimento incluſa reperta eſt; ac aliquot Chriſtianorum capita contis ac perticis infixa, inter quæ etiam infelicis cuiuſdam fœminæ inuſitata crudelitate cœſæ caput, paſſis crinibus ſpectaculo fuit, quam non niſi propterea obtruncatam illius iuſſu ferebant, quod interrogata copias noſtrorum, uti verum erat, vix octo aut novem millium ſummam militum conſtituere dixerat, evaſuramque fuiſſe cœdem, ſi earum numerum triplo ampliorem vel falsò affirmaſſet; ſed ea noſtri ſublata ſpectantium oculis confeſtim humanda curaverunt, geminataque victoria læti, relictis Petriniæ quæ ab hoſte cœperant tormentis, copias incolumes reduxerunt. Anno inſequenti id eſt 97. ſupra 1500. Draſcovicius Pro-Rex Petriniam opera agricolarum Regni reſtaurari, ac citra flumen munitionem erigi curavit, in qua equitibus idoneæ forent ſtationes; ac re peractâ ſimul cum Herberſtanio Sclavonicorum limitum Præfecto, ad oppugnandam Veruciam profectus eſt. Sed ea oppugnatio adeò lentè negligenterque proceſſit, eumque habuit exitum, vt quanquam tribus tormentis mediocris ponderis mœnia quaterentur, arcem tamen vel pauci qui intus erant Turcæ, ijque gregarij ita defenderent, ut noſtros deditionem flagitantes, nihil prorſus reſpondendo contemnere viderentur. Et Herberſtanius relicta parte exercitus, quæ obſidionem continuaret, ipſe Slatinam Oppidum ad ſecundum inde lapidem diſſitum depopulatus, igne iniecto concremavit, cœſis Turcici nominis incolis omnibus, multiſque qui in turrim templi ſatis altam ſeſe receperant, ibidem fumo & flamma exanimatis, aut ſeſe inde periculoſo

Iterata Turcarum cædes.

ſaltu

Digitized by Google

ſaltu præcipitantibus. Inde poſtmodum ad proximas villas, pagos, & mapalia ducto exercitu Thraces, qui magno numero ſedes illinc habebant, Turcicum iugum excutere cervicibus cupidos, cum familia & pecoribus ac facultatibus ad propinquos agros Turcarum armis & continuis excurſionibus deſolatos tranſtulit, omiſſaque irritæ obſidionis Verucianæ cura incolumen reduxit exercitum. In hac Slatinæ depopulatione eximia prorſus Joannis Rattcay enituit in pugnando virtus, in parcendo clementia; quam enim acritèr obſtinatos præalta turri receptos, ad deditionem ferro flammiſque vrgebat, tam piè humanæ conditionis memor ſeſe ſubijcientes, ac opem eius implorantes vitæ ſervabat.

Anno ſæculari ſexcenteſimo à partu Virginis ſupra milleſimum dum ab Ibraimo Caniſa obſideretur, ac Mercurianus Cæſaris Archiſtrategus Georgium Comitem Zrinium, Nadaſdium, Herberſtanium cum Sclavonicis, Banum cum Nobilitate ac Carloſtadianos in caſtra recepiſſet; duplici declaratâ Pro-Rex Draſcouitius virtute clarus evaſit; nam cum Tartari in eam caſtrorum partem quam ille cum ſuis tutandam ſuſceperat, acerrimo impetu irrupiſſent, adeò præſenti animo eorum repreſſit audaciam, vt quam plurimis ſuis deſideratis à ſimili poſtea abſtinuerint conatu; tùm demùm vbi commeatus penuria exercitus laborare cœpit, ob eamque cauſam Duces regrederentur, ac tormenta cœteraque caſtrenſis ſuppellectilis impedimenta, ſuper cœnoſa paluſtriaque loca ſummo labore devcherentur; mirificum Sultij Comitis Banique Draſcouicij ſtudium ac diligentia in tranſvehendis oneribus, viarum ac pontium reparatione, incitandiſque ad opus militibus enituit. Circumagente ſe anno tertio ſupra ſæcularem ſæviſſima denuò Tartarorum tempeſtas rapidiſſimum populationis effudit imbrem; adſcitis enim in ſocietatem Turcis, ità vt ſedecim millium numerum univerſim conſtituerent, in Illyricum progreſſi, quòd Jacobum Grasbanium inter Veruciam & Breſoviciam cum quadringentis militibus Capronciæ præſidiarijs fortè obviam habuiſſent, qui adventus eorum ignari, excurrere in hoſticum volebant, fuſis & fugatis noſtris, captoque Grasbanio, omnem eum tractum, qui ſecundum Dravi dextram ſeu citeriorem ripam, à Caproncia uſque ad Varaſdinum & Viniciam lata & plana protenditur, hinc inde diſcurrendo & Tartarorũ depopulatio

 carptim

Digitized by Google

carptim urendo crudelitèr depopulati ſunt, tantâ celeritate, ut à Comarnicia amne, ubi pernoctârunt, ad uſque Vinicenſes campos (quod iter expedito equiti vix uno die ſuperabile eſt) trium horarum ſpatio longè latèque percurrerent. Aberat Herbeſtanius limitis illius Præfectus, ſed Joannis Draſcovicij Provinciæ Præfecti, quem Banum vocant, ſtudio atque vigilantia, qui ſe cum copijs Varaſdinum receperat effectum eſt, ut & ſuburbia eius loci ab eorum immanitate ſalva retenta ſint, nec multum captivorum, aut pecoris abductum. Illicoque qui ex hoſtibus Criſium verſus populatum præcurrerant, à ſubiectis Herberſtainio Præſidiarijs ac Nobilitate, quæ in ſuam defenſionem arma ſumpſerat, aliquot locis non ſine clade cohibiti fuere. Georgium Keglevicium cum Balthaſare Wragouicio fuſum in Caſtellum Cuſtarocium ſeſe à fuga recipere coëgerant, illudque aggreſſi diu oppugnârunt; Verùm quod latiore foſſa aquarum plena munitum eſſet, & incluſi ſe ſclopetis craſſioribus tuerentur, incœpto deſtitêre. Demùm altero die Ludbregum redeuntes, ubi ſocios & Turcas in caſtris reliquerant, & expugnata ex itinere Raſinia, onuſti ſpolijs 1500. circiter captivis abductis, paucis ſuorum amiſſis eo quo venerant itinere, Sighetum & Quinque Eccleſias reverſi ſunt. Hâc tempeſtate adeò afflictus Sclavonicarum rerum ſtatus erat, ut benè opulentum paulò ante ex frequentioribus ab hoſte relatis victorijs Regnum commutata fortuna, iam incendijs populationibuſque ea Regni Provincia deformata, miſeram præberet faciem; reſpiravit tamen aliquantum repenſâ Turcis vice, dum Sigiſmundus Trautmanſtorffius Herberſtanij ſucceſſor, ditionem Poſeganam Turcis parentem vaſtavit: & paſſim ubique circumlato terrore in oppida & pagos ac arces hoſtiles igne ferroque ſævijt, frumentumque hoſtium in horrea & acervos congeſtum concremavit, pecoraque magno numero abacta, militibus diviſit; præterea Caſtella duo ad Dravum flumen infra Babociam ad Tamaſſium pagum ſita, quæ ponte ibi conſtructo, ac commeantibus ex Illyrico in Pannoniam Turcis præſidio ad tranſitum erant, cum Nicolao Zrinio Georgij nuper fato functi filio (is adoleſcens tunc primum arma adverſus hoſtes induit, equumque conſcendit, ut Tyrocinium militiæ faceret) per vim capta evertit & ſuccendit, incolumemque reduxit exercitum.

Noſtri Poſegam depopulâtur.

Quieſcente

Digitized by Google

Quieſcente paululum aperto Marte in Illyrico, civilia ſuſcitat Bochcaius bella in Pannonia, quæ adeò quidem lento ac occulto procedere principio videbantur, ut nunquam ex tàm exigua ſcintilla, tàm ingens ac formidabile conflagrandæ Patriæ incendium metuere quiſpiam potuiſſet; donec in apertum diſcrimen re deducta, univerſis Haidonibus, Nobilitate, ac præcipuis ſenſim Proceribus ei adhærentibus, omnem propè Hungariam eius ſe poteſtati ſubieciſſe, fineſque Imperij Ormoſdino incenſo Dravum iam ſibi ſtatuiſſe non fuit animadverſum. Nemethius Bochcaij legatus, Ormoſdinorum ſubiugatorum incendio, veluti qui vicini eſſent exemplo, ad Joannem Draſcovicium Illyrici Præfectum quem Banum vocant, ac alios Proceres, miſſis ad eorum nonnullos ipſius Bochcay literis eiuſdem ſententiæ, multis verbis & ſermone hortari cœpit, ne reſurgentem ipſorum ſtudio & opera, Hungaricæ gentis libertatem negligerent, ſed omni quâ poſſent ope iuvarent, coniunctiſque viribus & animis, Germanorum jugum excutiendum ſuſciperent; ſe brevi propius venturum, imperata facientibus amicum, detrectantibus verò acerrimum hoſtem futurum. Ad ea nihil reſponſum eſt, ſed conuocato Concilio Draſcovicius quidnam faciendum, ſalva Cæſaris gratia foret, decernendum propoſuit. Variabant Procerum ſuffragia, partìm magna ſumma pecuniæ contribuenda avertendum Nemethium exiſtimantium; partim Illieshaſium qui magna iam apud Bochcaium gratia pollebat petendum, ut author eſſe vellet revocandi à propoſito invadendæ Sclavoniæ Nemethij; ſed cum potiori parti neutrum placuiſſet, ne ille accepta pecunia nequaquam tamen delinitus inſtructior ad nocendum redderetur; ab hoc verò homine ſuſpicaci & verſatili ſuſque deque haberentur, & vtraque re Cæſar offendi poſſet: poſtremò concordibus animis decretum, vt citerior Dravi ripa, qui eo tempore ob diuturnos æſtatis fervores, vado pleriſque in locis tranſiri poterat, à Vinicenſi agro vſque ad Ludbregum ſex plus minus leucis longitudine cuſtodiretur; & caſtra per pagos & villas haud procul inter ſe diſſita eo ordine collocarentur, vt ſi neceſſitas poſtularet in mutuum auxilium celeriter concurrere poſſent; atque in hunc modum Draſcouicio præſente & annitente, ab æſtate vſque ad Kalendas Decembres ac ingruentem hyemem, vigilando & hoſtium adventum expectando in caſtris permanſêre, qui

Rebellio Bochcaiana.

Fidelitas Illyricorũ erga Cæſarem.

Draſcouicius Sclauoniã conſervat.

Digitized by Google

qui tamen nequaquam auſi venire,alio vires converterant. Interea ne hoſtibus vbi vellent,& quicquid cuique liberet,etiam licere poſſet,Sigiſmundus Trautmanſtorffius ſtipendiarijs militibus in Illyrico Præfectus,communicato cum Draſcovicio conſilio eos aggredi ſtatuit. Itaque ad 23. diem Iulij Draſcovicius equitatu & dimidia peditum parte ſecum ducta, (alteram enim voluit ad Vada cuſtodienda relinquere) traiecit,ac quintis caſtris ad Sanctum Gothardum in caſtra Trautmanſtorffij pervenit,eodemque die mille quoque pedites à Principe Ferdinando mercede conducti,eodem appulêre. Itum eſt ſequenti die ad Chakaniam Batthiany villam ad Arabonem flumen, non niſi vno milliari à Krörmendio ſitam,ubi Nemethius cum Tartaris & Turcis caſtra habere,& noſtrorum adventum ad patrandæ nobilis alicujus pugnæ occaſionem expectare dicebatur. Eo in loco Bathianius & Zrinius Juvenis cum ſuis equitum & peditum copijs exercitui ſeſe coniunxêre,jamque Cæſariani ad decem millia bellatorum numerum excreviſſe cenſebantur. Poſtero die inſtructis ordinibus in agrum Keörmendianum proceſſum eſt,& Matthias Belavicius,qui nuper ad hoſtes transfugiens arci erat præpoſitus, noſtrorum adventum ſtrepitu tormentorum eis ſignificauit. Erat animus Trautmanſtorffio & Draſcovicio nihil prorſus cunctari,ſed protinùs hoſtes,qui inter Holloſium & Keörmendium caſtra habebant,ſumma vi adoriri,quod & milites pugnæ deſiderio teneri haud ambiguè cernerent, & ipſi eum in finem vt hoſtem diuturna impunitate inſolentem retunderent, & ad ſpem univerſæ victoriæ occaſionem quærerent, domo veniſſe meminiſſent,ſed ardentèr & obnixè interceſſit Batthianius,ſeque cum ijs,qui paulo ante ex vicinia ad perduelles tranſijſſent, occulta communicaſſe conſilia aſſeruit, qui ſpem ſibi certam dediſſent fore,ut æquis conditionibus pacem faciant,atque ab armis diſcedant: aut ſi id minus velle viderentur, ſe eodem tempore, quo Cæſariani impetum in eos facturi eſſent acerrimam & pugnaciſſimam Turcarum & Tartarorum gentem, converſis armis invaſurum: conſultius fore bellum hunc in modum finire, quàm Chriſtianos in mutuam perniciem pertinacius decertare, cautoque & prudenti Duci quam maximè convenire, ut citra ſuorum ſanguinem & cœdem incruenta victoria potiatur. Differente Batthianio, duo ad eum

ab

eum ab hoſtibus internuncij venêre, Ludouicus Polanius & Alexander Holloſius, qui nomine Thomæ Nadaſdij referebant, Nemethium, & Turcas ac Tartaros poſtulare obſides, vt ſecurius de inducijs faciendis diſceptari queat. Itaque datus fuit contendente Batthianio Stephanus Comornicus, iſque cum Nuncijs ad hoſtes profectus eſt. Sed ij metu noſtrorum perculſi nec manus conſerere audebant, & doloſè nuncios miſſitando, colloquiumque expetendo tempus extrahebant, vt decepto Batthianio, impedimenta & currus, prædamque trans Arabonem in tutiora loca præmitterent, eaque deinde ipſi, vitata pugnæ alea, vti euenit, fugiendo ſequerentur. Quod cùm à Ducibus noſtris quamquam ſeriùs animaduerſum eſſet, progredi ſtatim iuſtis paſſibus exercitum, ac poſtremo laxis habenis, & ſubditis calcaribus, equitatum præcurrere iuſſerunt: atque adeò extento per patentes campos curſu, cùm ad Hiduegum Caſtellum, quod Podonianum vocatur, pontemque ibidem Araboniæ impoſitum, peruentum eſſet, iam hoſtes abducto à Tartaris obſide Comornico, effuſa fuga in diuerſas partes dilapſos eſſe cognouere, Nadaſdius, qui cum globo Tartarorum ſpecie tractandæ pacis poſtremo loco erat relictus, poſtquam inſequentis ſumma celeritate equitatus puluerem inſtar fumi craſſioris in in aera ſublatum conſpexiſſet, præcipite fuga ſe commiſit, & nec quæſito ponte ab eminentis, & præaltæ ripæ margine in Arabonem inſilijt, & ægrè in tutum euaſit. Nemethius, cum Simega intercepta non haberet quo confugeret, cum Turcis Sighetum ſe proripuit, Nadaſdius Egeruariam, Hagmaſius Szentgrotum, Tartari Coppanium repetiuêre; multi ex Vngaris ad Camengiam edito in monte ſitam arcem profugerunt: Fugatis vltra Arrabonem diſſipatiſque hoſtibus Keörmendia, Sabaria, Cuſegum, & quæcunque loca à perduellibus capta erant, in Cæſaris poteſtatem facili negotio redierunt, Simegha quoque arx munita, à Miloſſo Thrace Centurione Papenſi, qui nuper Vaſoniam receperat ſub id committendi prælij tempus iſtic fortè cum ſuis militibus oberrante, quod cæſos ad internecionem hoſtes Nemethium, & Turcas Tartaroſque fuſos & fugatos, ac debellatum eſſe, multò aſſeuerantius affirmaſſet ijs, qui intus erant, extremo perfuſis metu, ac non obſcura perfidia agitatis, recuperata & poſtmodum Batthiano tradita fuit. His rebus

Illyrici Hungariã contra Bochcaiũ defendunt.

per-

Digitized by Google

peractis Draſcouitius, ne quid detrimenti ab hoſte inferri poſſet, relicto in caſtris inter Keörmendiam & Hiduegum Trautmonſtörffio, pridie nonas Sextiles, cum ſuis copijs reuerſus eſt, ac cuſtodiendis Draui ripis vadiſque, vt cœperat, incumbendum exiſtimauit.

Atque hæc geſta ſunt 1606. quo demùm poſt cruentas præliorum congreſſiones, ac diuturnam in vtramque partem diſceptationem, primùm cum Bochcaio, ac deinde Turcis certis interpoſitis conditionibus fœdus ictum, & pax ſubſecuta: cuius mentione veterani milites Duceſque adeò offendebantur, quibus in armis & bello iucundum fuit exerceri, vt audientibus etiam Legatis, eos qui pacificationi ſtuduiſſent, diris omnibus deuouerent; Quo loco luculentum capere licet documentum, quam inani nimirum metu tanquàm inertes, & congerendarum duntaxat opum auidi ij teneantur, qui honeſtiſſimum ac ſalutare belli genus, pro fide, pro patria, rebuſque domeſticis ampliandis perhorreſcunt; vnum illud victorum hominum non vincere aſſuetorum, meticuloſum ac inglorium dictum vſurpantes: *nulla ſalus bello, pacem te poſcimus omnes.* An non enim hiſce diſturbiorum temporibus, quibus per ſeptemdecim propè annos continua martis tonabant fulmina, clariſſimos triumphos, opima ſpolia, innumeraſque hoſtium mortes, ac captiuorum numerum recenſere licuit; in ſolo Illyrico ſexaginta amplius millia hoſtium, nullo notabili facta hoſtis comparatione, accepto detrimento, orco tranſmiſſa auſim affirmare; Quod ſi fortaſſe Coſtaniciam, Bihicium, Cliſſiam, Caniſamque, amiſſa grauiſſima Patriæ iactura opponas, & nos tibi intra hos eoſdem annos Albam, Strigonium, Babociam, Siſciam, Petriniam, Hraſztouiciam, Goram, recuperata numerabimus; ſed & illa eadem Patriæ propugnacula, non tàm vera vi hoſtium aut armis, quam Germanorum Præfectorum, Laboharij, Lambergerij, Paradiſyque non ſolum belli, ſed etiam pacis tempore (quemadmodum de Coſtanicia conſtat) perfidia amiſſa nouimus, quorum alij longis compedum vinculis, ac carcerum maceratione, demùm vita ipſa, digno perfidiæ ſtipendio perſoluere; alij honore mulctati, infames permanſêre; & ſanè ſi vetera quoque memoria repetamus Ioannes Hunniades, Matthiaſque Rex rei militaris peritia, magnitudine animi & felicitate rerum geſtarum,

Exhortatio ad bellandum cũ Turcis.

Digitized by Google

rum, veterum Imperatorum gloriam non ſolùm æquauerant, ſed & Regnum plurium Prouinciarum vi atque armis domitarum amplitudine locupletaverant; verùm Wladiſlaus eius ſucceſſor, diſcordia atque ambitione Procerum potiùs quàm inſigni virtute, à Bohemico ad Pannonicum Imperium evectus, cum ſingulari Provinciæ detrimento, & fortiſſimæ gentis ignominia, ſæpè pudendam pacem atque otium neceſſario bello prætulit. Vnde & Proceres Pannoniæ ac Nobilitas quietem & tranquillitatem nacti, adeò corpora atque animos laxaverant, ut labante ſenſim diſciplinæ militaris atque religionis cura quibus priores Regnum ſtabiliverant, non aliud quàm ſuis commodis atque avaritiæ ſtudere, & omnia per otium & ignaviam tranſmittere, Regiam authoritatem Magiſtratuumque honores, non ad publicum decus, ſed ad privatum quæſtum revocare, deniquè Rempublicam ex bona deterrimam reddidiſſe viderentur. Atque ità quæ antea invictis maiorum armis feliciſſimè ſtetere, ea etiamnum diuturno otio ſquallida iacere dolemus; ſed utinam ſurdis fabulam non canamus.

Publicata pace Draſcovicius re ubique benè geſta, ſuperatis ſæpiùs hoſtium copijs, reſtauratis præſidijs, pacata Nobilitate, Patriâ demùm tam à barbarico iugo ac hæretica pravitate, quàm inteſtinis ſeditionum motibus, ac civilium bellorum fluctibus conſervatâ; ſumma omnium ſatisfactione prudentiæque laude, ac immortali nominis ſui memoriâ apud poſteros relictâ, quindecim adminiſtrato Magiſtratu annis tandem Banatu iuſſu Cæſaris ſeſe abdicat, & ultra Danubianarũ partium ac limitum Hungariæ Præfecturam, Tavernicorum quoque Magiſterium ſuſcipit; cùm enim Conſiliarij Bellici titulo gauderet, etiam munere ut fungatur propiuſque adſit, voluit Imperator: quibus cum non niſi anno uno ac dimidio præfuiſſet, invidentibus fatis immaturâ ſublatus morte, Poſonij Vir clariſſimus anno decimo tertio ſupra Sexcenteſimum humanis exceſſit; Illud nullis intermorituris calamis cedrinis inſcribendum tabulis, quod dum uſitatâ conſuetudine in diætali tractatu Hungarico, inter Orthodoxos atque Acatholicos, de introducenda in Illyricum religionis libertate ejuſque perditi gregis, ut falsò vocant, paſtoribus admittendis diſceptatio mota fuiſſet, invicti pectoris magnitudine palàm proteſtatus ſit, ſe malle cùm univerſo Regno ab unione Hun- *Draſcouicius Banatum reſignat.* *Inſignis Draſcouicij pro fide zelus.*

garicæ Coronæ ſeparari, quam mortiferam illam animarum peſtem, ac funeſtiſſimam Reipublicæ labem ſub Banatu ſuo admiſſam aut conceſſam videre; O Virum nullis ſæculis tacendum, omnibus poſteris quàm admirandum, tam imitandum! Ferunt eum coloris ſubrubei ac facie fuiſſe eminentiore, profundioribus oculorum cavitatibus explicatam tamen ſuſtentaſſe frontem; & corporis ad obeſitatem proclivioris, ſtaturæ tamen iuſtæ ventrem vaſtiorem habuiſſe, prudentiæ ac magnanimitatis quam ſingularis ſemper fuit, tàm feſtivitatis ac lætitiæ, cum tempus permittebat amans, atque inter lautiores convivij epulas, dum cùm amicis ſolitò confidentiùs ageret, propinato eis hauſtu, in amoris deindè indicium, eorum genas ſubmorſicare ſolitus fertur. Tres reliquit natos, ſacris & politicis ſublimes honoribus, quos ſi penitiùs contemplari cupis, tot Pallades è Jovis cerebro prognatas, quot Viros numerabis. Denique Vir omni ex parte præclarus Poſonij ut diximus extinctus, ibidem ſolemni funere in Æde Divi Martini tumulatur, his Epitaphio eius Marmoreo inciſis verſibus.

Eius deſcriptio.

Spes mea Chriſtus,

Palladis & Martis columen, pietatis avitæ
Vindex, hic virtus Hunnia ſpeſq; jacet.
O Draſcovicios dent poſtera ſæcula multos:
Gloria priſca Hunni, Martis & artis erit.

Ioanni Draſcouicio ſucceſſit iterum Thomas Erdődius, & illi Benedictus Thurocius 1615.

Diſcedente in Pannoniam Draſcouicio anno 1611. Thomas Erdődius denuò Banatum iubente Cæſare ſuſceperat, quænam verò in eo egerit, dùm de eo ſcriberemus, paulò ſupra commemoravimus; quocirca Erdődius, 8. iterum functus annis officio, ætate ac laboribus gravatus, tædioq; non ſolutorũ ſtipendiorũ affectus Benedicto Thurocio, Viro militari, ac elegantis formę illud adminiſtrandum reſignat anno 1615. Fuerat hic Thurocius ſecunda fortuna aliquot exercitus prælijs, & imprimis dum Haſſan Baſſa ſub Siſcio Colapim copioſo Turcarum ſanguine nobilitaſſet, is primus trium Centurionum Collegarum quos habuerat, ſcilicet Joannem Draſcovicium ac Franciſcum Orehocium

Digitized by Google

cium in lectiſſimos Turcarum mille fortiter irruit, pugnæque fecit initium, omnium deinceps ſecutorum bellorum, nulli voluit deeſſe expeditioni. Sed & in illo Caczarlachiano omnibus ſæculis memorando prælio, quo inſigne etiam hoſtile mancipium, quatuor aut quinque florenorum prætio veniebat, præclaram impendit operam; illo uno infortunatus caſu, quo dum acerrimè cum hoſtibus gladio dimicaſſet, à proprio non agnitus ſervo, ſed pro hoſte habitus, pugnum dextrum totum, quo gladium peritiſſimè gyrabat, à brachio diſſectum amiſerit, itaque ab ulteriori pugnæ fervore abeſſe coactus fuerit. Præfecturam ſeſqui altero non amplius geſſit anno, quo tempore ex officij ſui munere aliud egit nihil, quàm quod longo intermiſſa tempore octavalium judicia celebraverit, velociori deindè quàm merita eius poſtulabant ſublatus fato; deſideraſſent certè optimi quique longiori eius & imperio Regi, & benevolentia frui, ſi ſuperis placuiſſet; verùm ita divina prouidentia tempora hominum moderante, aliquanto conflictatus morbo, Viniciæ Caſtello extinctus ſuis prodeſſe deſijt anno 1616. relicta Vidua Suſanna Rattcay Matrona inter Aulicos ſplendores priſcæ pietatis, prolibus item duabus Nicolao & Barbara, quarum ille vernantis juventæ floſculus, in meridie inimica manu decerpitur, omnibus mundi huius pullis futurus documento. Iacet uterque Viniciæ Divi Marci Æde ſepultus, eleganti ſepulchrali coopertus lapide, hoc Patri Bano inciſo memoriæ futuro Epigrammate: Mors Thurocij Bani 1616.

Regnorum tutela trium, Banuſq; Potentis
    Illyrij & Patriæ, hic cura ſaluſq; iacet.
Cuius ſi poſſet complecti ſaxea moles
    Virtutes, pulcher quam foret iſte lapis!

Eodem in delubro quieti repoſitus iacet Thurocij neceſſarius Nicolaus Iſtuanffius Pannonico ortus genere, ſed qui ducta in matrimonium coniuge Eliſabetha Bott Andreæ Bani filia, ſedem ac domicilium in Illyrico poſuiſſet. Juvenis Italicarum Academiarum alumnus, Philoſophiæ inſtitutis, atque utriſque literis apprimè eruditus, in patriam redijt; in qua primis deinde per-

functus honoribus, graviſſimus utriuſque Patriæ Senator exti-
tit; quippè qui & bellis præcipuis interfuerit, & Pro-Palatini
dignitatem annis pluribus laudabilitèr adminiſtrârit, & ele-
gantiſſima Pannonicarum hiſtoriarum ſcriptione, poſt Matthiæ
Regis obitum exorſus, nomen ſuum inter eruditos celebrârit:
eo uno infortunatus eventu, quod ſuorum poſtremus
nomen ac familiam prole maſcula,
nequiverit propa-
gare.

FINIS LIBRI QUARTI.



GE-

Digitized by Google

GEORGII RATTKAY

MEMORIÆ

REGVM,

&

BANORVM

Regnorum

DALMATIÆ, CROATIÆ, ET SCLAVONIÆ,

LIBER QVINTVS.

QUæ pluribus hactenùs Principibus Baniſque Illyrij imperantibus, paulò remotiora ab hominum memoria geſta ſunt; & quam iam proſperi, iam funeſti bellorum exitus, ob certamina potentium, cladibus alijs poſt alias ſubſecutis evenêre, è fide dignis literarum monumentis eruta, ſuperioribus libris expoſita ſunt: deinceps certiora quidem & clariora ſequentur, utpotè quibus ætas noſtra proxima, quorumque memoria recentior eſt, nequaquam tamen omnibus partibus lætiora. Nam à morte Thurocij ſuſcepit Magiſtratum Nicolaus

Ferdinandus II. Rex

laus

Digitized by Google

laus Comes de Frangepanibus, Vir quidem priſcæ ſeveritatis, & cui multa rerum experientia cum inſigni coniuncta prudentiâ, ſummam inter ſui temporis Heroës laudem attuliſſet, niſi ferventiores naturæ impetus temperare recuſaſſet: brevi enim à ſuſcepto munere acerbas nimis controverſias incertis de cauſis ortas cum Stephano Patacichio Prætore Regni, quem nunc Prothonotarium vocantus (poſtea etiam præſentiæ Regiæ in Iudicijs Perſonali Locumtenente) animorumque diſſenſiones gravi Reipublicæ offenſione alere cœpit, quæ non ſolùm privatìm inter eos pruriebant, verùm publicis etiam in Comitijs multis verborum aculeis patefactæ, in apertam erupere partium ſciſſionem; adeò ut illè Scribam tantum ſuum mordaci perſtringens voce hunc compellaret, ſigillumque Banale Judiciarium, quod penes ipſum ex officio iuxta vetera regni privilegia ſervabatur repeteret, omniaque ſuo nomine ac ſigillo literalia inſtrumenta in futurum expedienda vetaret; Ille contra traducta in partes ſuas nobilitate privilegioque Regni ſubnixus, ſigillum omninò ſe reſtituturum negabat, cum non Banali arbitrio, ſed Provincialium votis Prætor conſtitueretur; ipſeque Banus Privilegijs Regni dictantibus, electo iam Procerum Nobiliumque calculis Prætori Judiciale ſigillum ſuum publicè tradere conſuetus eſſet. In longas demùm protractum tempus abſque fructu diſceptationes, nulluſque jurgijs impoſitus finis. Concitata in ſe Nobilitate, graviorem adhuc odij inimicitiarumque familiæ Erdödianæ præbuit anſam; Petri ſiquidem ſenioris filiam Annam Mariam vocatam, ſponſalitij vinculo ſibi copulatam, eandem poſt paulò divortio repudiavit; quâ repulſa Erdödi accepta, ac velut gravi iniuria ſe notatos rati, acerbos deinceps in eundem ferebant animos. Itaque exortis in Pannonia tumultibus Bethlemianis, ac vulgante fama, eam inteſtinam civilemque ſeditionem in Sclavoniam penetraturam, abſque mora ad Semocium campum Dravum verſus, à Frangepano indicta caſtra, quo cum frequentes Proceres, Nobilitaſque confluxiſſet, Nicolaus Draſcovicius occupato per vim hoſpitio Ladiſlai Kerecheny, exprobrataque acerbioribus verbis, per fraudem traditæ Turcis Babociæ infidelitate Gregorio Petheoni, ſciſſioni denuò principium fecit: nam cum hi duo nobiles, tanquam contumelia in præſentiarum affecti, repetundarum à Bano poſtularent, nec ab eo (quod nobilitatem

Nicolaus Comes de Frangepanibus Dal. Croat. & Scla. Ban9 1616.

Factiones in caſtris Semoczianis.

in

in ſe commotam intelligeret) ſatisfactionis quicquam obtinerent; Erdödios alioquin ei infenſos, quoſque nobilitatis pars ſemper potior ſequitur adeunt, querelas reduplicant, ſciſſionem repetunt, palamq; ſe eius minimè obtemperaturos mandatis ingeminant. Itaque re in apertum deducta diſcrimen, Banus ut tumultuantia tantiſper ſedaret caſtra, Varaſdinum ſe recipit, ac Georgium Keglevitium Virum militarem multiſque acceptum, ſuo præeſſe nomine voluit, indicata interim per celeres nuncios partium ſciſſione animorumque diſcordia Cæſari; quibus intellectis Cæſar, maximum Reipublicæ incommodum, hanc turbatorum animorum diſcordiam allaturam ratus, è veſtigio Stephanum Sennieyum iam Præpoſitum, poſtea Cancellarij munere functum, ad componendos inteſtinos motus, conciliandumque cum Provincialibus Banum, in caſtra quantocyus iter maturare jubet; qui quantumvis ſeriam, quò ſimultates mutuò ponerentur, atque pax & benevolentia inter eoſdem coaleſceret, impendiſſet operam; obſtinatioribus tamen animis Provincialium ad concordiam deprehenſis, negotio infecto ad Cæſarem revertitur. Dilapſis hunc in modum caſtris, durantibus nihilominus Pannonicis tumultibus, quorum Franciſcus Batthyanius, gravem ſe fecerat aſſertorem, Frangepanus in mandatis à Cæſare accipit, ut Grebeniam Batthyani arcem in medio quaſi Sclavoniæ ſitam, (cùm in qualibet Regni Provincia, ſeu ut nunc vocant Comitatu ditionem habeat) vi atque armis expugnet: certis enim afferebatur rumoribus, Batthyanium Dravi vadū occupaturum, ac Haidones ſenſim & ſenſim traiecturos, ut in arcē recepti in Sclavoniā univerſam populabundi excurrant, eamq; occupandi fine infeſtis armis diuexēt. Eſt ea arx in edito monte ſita, per decliue quaſi deſcendens, ac coronæ ſpeciem referens; muris ſat firmis, foſsis ac profundis undique vallibus cincta, expugnatuque difficilis. Itaque collectis Regni ac Banalibus ſtipendiarijs eo cum duabus mediocribus colubrinis progreditur Banus arcemque obſidione cingit: verùm cum & locus natura munitus, & ſeptuaginta Præſidiariorum virtute, ſub Georgio Turcouicio fortitèr defenderetur, aliquot iam fruſtra abſumpſerant noſtri obſidionis dies, nam præterquam quod colubrinæ nullo opportunò loco ob longiùs intermediantes valles collocari poterant, ingentia etiam frigora, ac hyemis aſperitas milites ad alacrius rem agendam

Frangepanus Grebeniam obſidet & occupat.

retar-

retardabant, ingentibusſque proindè rogis excitandis potiùs miles incumbebat, ac vndique ex circum vicinis pagis conquirendo vino, quam oppugnationi inſiſtebat. Nec Batthianius intereà per literas ſuos ad ſtrenuè defendendam arcem hortari deſinebat, iam fortes alliciendo præmijs, iam pauidos adfuturis auxilijs animando, iam ignauos ſupplicijs deterrendo; & pleræque quidem literæ à Bano interceptæ dolum prodebant, aliæ tamen atque aliæ per multos internuncios â Patachichio & Petheone ſubminiſtratos, in manus obſeſſorum deueniebant; ſed & horum duorum aſtu atq; liuore, tota Varaſdinenſis ciuitas cum ſubiecta nobilium planicie, duodecim millium Turcarum ac decem Hungarorum aduentantium terrore conſternata, Banum ad tuenda Draui vada, ni vniuerſum Regnum perditum velit, reuocabat. Intelligebat Banus ludicra hæc & maleuolorum eſſe figmenta, nihilo tamen minus relicto ad oppugnandam arcem peditatu, equitatum ſecum, ac duos peditum manipulos Varaſdinum ducit. Ibi fallacias & clandeſtina inimicorum conſilia detegit, Imperium quoque Cæſaris de occupando Grebenio recitat, ac graui ſermone vniuerſos ad vanum excutiendum timorem inducit; affirmans ſe vna cùm vniuerſo exercitu, ſi quid periculi ab hoſtibus metueretur, aut immineret, in vrbem incluſurum, & ad extremum vſque ſpiritum cum iiſdem perſtiturum. Confirmatis in vrbe ciuibus recta Banus Grebeniam iter intendit, quo otyùs vbi aduenisſet, à ſuis didicit, arci murum ſat validum ac firmum eſſe, ideòque diuturniorem in deijciendo extrahendam moram, pluribuſque machinis fore neceſſariùm: verùm porta ſi aſſultu inuadatur, à nulla parte eam tueri quoquomodo hoſtes poſſe. Itaque iuſsis omnibus ad proximum impetum paratis eſſe, eam aperiendam decernit; pars igitur Haramiarum, quos pedeſtres milites vocant, bipennibus, dolabris, cœteriſque ferreis inſtrumentis valuas diuellit; pars colubrinarum, aliorumque ſclopetorum bombis terrore admoto, præſidiarios in deditionem compellit; itaque pactis conditionibus ac incolumitate omnium, arcem ſpondent, quamuis eam ſi viri fuiſſent, facilì negotio retinere potuiſſent, adeò enim valuas concamerationeſque portarum bipedalibus roboribus, ac vaſis terra ceſpiteque repletis intercluſerant, vt & noſtri aforis, & illi à parte interiori, à matutina diei luce, vſque ad ſerum crepu-

Digitized by Google

crepuſculum impedimenta amouendo deſudauerint. Capta in hunc modum arce, quinque tantùm noſtris amiſſis eam Frangepanus omnis generis commeatu ac munitione prouiſam, Præſidiarijſque iuramento adſtrictis Lupo Pernario adminiſtrandam commiſit, verùm ille non vt temporis periculique ratio poſtulabat arci inuigilans, eam ſingulari negligentia hinc inde diuagatus poſteà deſeruit, ac corruptis aliquanto ære cuſtodibus Batthianij rurſum poſtliminiò ceſſit poteſtati, pro cuius tamen amiſſione aliam Frangepanus in Morauia, in ſtipendij ſui Banalis debitum à Ferdinando accepit poſtea. Verùm dum imperio adhuc pareret Bani, Ioannem Kruſſelium virum quidem multa ſcientia præditum, ſed ſingularis peruicaciæ, ac vipereæ in Banum loquacitatis, Zagrabiæ captum in vincula conijciendum miſit, inſimulatus deinde Kruſſelius variarum cum Bethlemio in perniciem Patriæ conſpirationum iudicio primùm, graui poſtmodum torturæ ſupplicio ſubiectus, ac de aliquibus quæ literis eiuſdem probabantur conuictus; demum ab Ogniano quodam à Turcis ad noſtros transfuga, omnibus irrogatis in Banum iniurijs vitâ perſolutis interfectus fuit. His ità geſtis denuò Frangepanus in vrbe montis Græcenſis Zagrabienſis Comitia certis id cauſis expoſcentibus indixit, in quibus nihil pro Reipublicæ commodo futuriſq; periculis præcauendis agitatum, ſed inueterato in Banum odio, ac iam præſertim ob Kruſſelij necem aucto, quod minimè inſtar nobilium legitimè citatus, neque iuris proceſſu morte damnatus, vitam poſuiſſet, acerbiſſimis eum proſciſſum verbis, nobilitateque cum potiori magnatum parte ſeparata, Comitia rumpere coëgerunt. Tum verò poſtea conſcenſis Erdödi equis, ac ſuper impoſito quilibet clunibus equi famulo, per forum ac Vrbis plateas circumcurſando, eumque contumelioſiſſimis affectum verbis, indigno ſanè modo plurimis onerarunt iniurijs. Quibus ille tandem commotus, ne cauſa ſua Reſpublica detrimenti quidpiam imposterùm capiat, in publicâ Sopronienſi Diæta anno vigeſimo ſecundo ſupra Milleſimum Sexcenteſimum celebratâ, medio Petri Domitrovicij Zagrabienſis Epiſcopi Magiſtratum, quem annis ſex tenuerat reſignavit, atque privatam deincèps ad canos uſque dies, ſeptuagenario maior duxit vitam; quamvìs poſteà juſſu Ferdinandi fructuoſam in componendâ cum Turcis pace, ad Comaromium operam im-

Pernarius Grebeniã deſerit.

Kruſſel interficitur.

pendiſſet. Anno tandèm quadrageſimo ſeptimo ſupra Milleſimum Sexcenteſimum, cùm Poſonium ad Centumviralem à Cæſare indictum diem graviſſimus Patriæ Senator adveniſſet, paucis ibi menſibus commoratus, annis atque laboribus fatiſcens, contractâ ægritudine, Viennam ad curandam reparandamq; valetudinem, eſſedo à Ferdinando Cæſare mutuato delatus eſt. Verùm invaleſcente vi morbi, ubì ſupremam advenire horam ſenſit, omnibus è ritu Chriſtiano munitus Sacramentis piam Creatori ſuo reddidit animam; Teſtamento in Croatiâ condito, quo arcem in Moravia Altichaniam vocatam à ſe acquiſitam Patribus Societatis Zagrabienſibus eâ conditione reliquit ac legavit, ut duodecim quotannis adoleſcentes Illyricæ nationis, quorum pars media à Familia Frangepana commendaretur, ſtipendio indè penſo, literarum ſtudia poſterorum gentis huius bono proſequerentur, atque Seminarium Frangepanicum non morituro nomine appellaretur. Septem quoque ſupra decem millium ſummam, partìm tumulationi neceſſariam, partìm in pios Eleemoſynarum deſtinatam uſus, in Collegio Sacerdotum Zagrabienſi, ab ijſdem ſuo id tempore poſtulante, dividendam repoſuit; cœtera omni divite ſuppellectili, cum bonis Fratri Lupo hæreditatis jure cedente. Viennæ Principum Virorum comitante turma apud Patres Societatis in Eccleſiâ Domus Profeſſæ depoſitus eò uſque jacuit, donec exanime corpus in Croatiam inde devectum fuerat: quod poſtea in Æde Divæ Virginis Terſatenſi, ubi Majores ſui pij ejuſdem loci fundatores requieſcunt, magnâ clientum, veteranorumque militum frequentiâ, celebratis exequijs, tumulatum eſt.

Nicolaus Frangepanus moritur.

Sub finem Comitiorum anni vigeſimi ſecundi obtinuit Banatus dignitatem Georgius Comes à Zrinio, mundi pullus, Bellonæ filius; nihil erat (una duntaxat cultiorum literarum peritia excepta) aut militari Heroë, aut ſummo Principe dignum, quod in eo deſideraſſes: venationes, equeſtres ludos, militarem exercitationem, armorumque uſum; gravia item, maturaque conſilia, ac ſermones eruditos, ſuo id expoſcente tempore, in delicijs habebat; parvis, mediocribus, maximis æquè gratus; Præluſerat jàm tùm felicitati futuræ, in campo ut vocant Leporum ſub Poſonio, dum cum Ferdinando Cæſare venaretur, vulpes inventa; quam tàm diu nobiliſſimo vectus equo in orbem

Georgius Comes à Zrinio Dal. Croat. & Scl. Banus. 1622.

circum-

circumagebat, donec eam aſſecutus, haſtæ infixam Cæſari præſentaret, Divi Ladiſlai Regis inſtar, cuius muſcella haſtæ inſiliens victoriam portendebat. Tùm verò leviora exercens prælia, ingens hoſtium de ipſo concepta fuerat opinio, ut ſæpius pro mœnibus Caniſæ, pecora hominesq́ue abigentem, nullus inſequi attentaverit, præſertìm cum è mancipijs poſtea fuiſſent edocti, eum tributariorum ruſticorum habitu ementito Caniſam ingreſſum ligna vendidiſſe, omniaq́ue diligenti animadverſione perluſtraſſe, iuſſiſſeq́ue currus dominum, ut ſe ſervi loco vel minimum peccantis, perſonæ tunc dignitatem diſſimulando repudiandoq́ue, flagris caſtigare pro arbitrio, ac culpæ demerito haud cunctaretur. Hoc, ut magnorum erat æmulator, Matthiæ Regis Viennæ ova divendentis exemplo feciſſe fertur. Ex quo deinde facto haud parùm ſanè Caniſiani terroris conceperant, ſemper ab eo fraudis aliquid metuentes; præſertìm ubi nobilem ſemel abigentem prædam fuiſſent inſecuti, nec immodicas temeritatis ſuæ dediſſent pœnas. Exciverat quippè in prælium Zrinius præſidia Banalia, ac alios Regni Proceres, inter quos Ioannem Draſcovicium hodie Palatinum, Sigiſmundum Rattcaium clarum poſteà Imperialis militiæ exercitus ductorem, Nicolaum & Sigiſmundum Keglevicium; ac unitis ſuorum viribus, ad attenuandas Caniſienſium opes proficiſcitur: verùm expectatis diu opportuno inſidijs loco hoſtibus, nec ijs prodire audentibus, octies centenis abactis bobus, incolumem reducit exercitum; jamq́ue maiori eius parte traiecto flumiue Mura in tuto poſita, in unam quaſi peditum Centuriam, quæ necdum flumen ſuperaverat, ac in hoſtili littore morabatur, repentina feſtinatione irruunt hoſtes, ac noſtris aliquòt cœſis, cœteros in orbem dimicare cogunt. Animadverſo noſtrorum periculo, Ioannes Voicovicius Pocupiani loci Præfectus, depoſito veſtium onere, nudis pedibus, ac uno tectus induſio (ut ſi fortè proximum periculo ſe ſentiret, nandi peritus, commodius in flumen ſeſe præcipitaret,) gladio ſolum ac duobus minoribus inſtructus ſclopis, ſcandit Nazadam, ſeu ut noſtri vocant Saicam, cuius plures animati exemplo eundem ſequuntur: traiecto flumine haſtatus in eum involat Turca, quem ille opportunè iam ſibi imminentem ſclopo excipit; delapſo ex equo interfecto hoſte, eundem Voicovicius conſcendit, ac cum cœteris eum ſecutis acre cum Turcis contrahit

Zrinius Caniſæ ligna vendit

Inſignis Voicovicij virtus.

hit certamen; ſtetit à noſtris propitio Deo, ac virtute Voicovicij victoria, ac hoſtibus in fugam converſis, eorum ſeptem ſupra decem præciſa capita Bano retulit, noſtroſque à præſenti morte, vel ab hoſtibus necandos, vel aquarum gurgitibus abſorbendos conſervavit. Non Caniſianis ſolum virtutem ſuam probatam reliquit Zrinius, ſed & Coſtaniciam verſus cum ſat valida manu excurſionem inſtituens, ſeptem centurias hoſtium obvias factas, ea felicitate fudit ac fugavit, ut primi ſtatim agminis milites præeunte Lupo Mernavicio, Ioanne Voicovicio, ac Lupo Criſanicio certamen inirent ac dirimerent, quo in certamine mira omnium enituit virtus: bipartito enim & acri in hoſtes invecti impetu, dum obvium habet Voicovicius haſtâ in ſe involantem Turcam, eius eluſo ictu, eum breviori traijcit ſclopo, dumque extracto acinace cervicem hoſtis ferit, infelici caſu proruens ſub eo equus terræ illiditur, cuius Turcæ animadverſo caſu feſtini adcurrunt, haſtis eum oppreſſuri; at Criſanicius collega rapidiſſimi torrentis more, ſocium iamiam periturum à morte vindicans cum ſuis irruit, unoque ex eis interfecto, cœteros diſſipat, ac cum Voicovicio iam terrâ ſublevato, longius inſequitur. Reſpectant ſubindè Turcæ, & paucos è noſtris inſequi animadvertunt; ſtitere proindè fugam, ac eorum unus veneranda reſperſus canicie, occurrit Criſanicio gladio cum eodem congreſſurus; & Turca quidem prior perfracta capuli cruce ferrea, levi inflicto manui vulnere irritat Criſanicium, viſo enim ille cruore, vel modici impatiens ſanguinis eo immani Turcam ſauciat ictu, ut univerſam dividens ab occipitio faciem hoſtem exanimaverit. Mox ſubſequitur alter iuvenili audacia ferociens, ac cuſpide gladij pectus Criſanicij perſtringit, ſed is Martiali iam accenſus furore, inaudito impetu, à parte dextra colli in ſiniſtram infra cor deſcendente gladio, per tranſverſum totum diſſecans, tribus ſecundis victor congreſſibus, immortali dignis memoria hoſtem interemit; cæteros pavore perculſos in ingloriam coniectos fugam cum ſocijs inſecutus. Nec Mernavicius ſua caruit laude, is enim parte ab altera, ut diximus aggreſſus hoſtem, dubio tantiſper decertans Marte, tandem ſuperior evaſit, ac interfectis nonnullis, ſauciatis pluribus, captivos aliquot ſingulari ſua ſuorumque virtute, ad ſocios ducit. Banus in ſecundo conſtitutus agmine dum ad ſonitum ſclopetariorum pugnam indicantem auxilio adcurrit, iam

Criſanicij præclara pugna.

hoſtes

hoſtes alios cæſos, alios captos, alios palantes ac diſperſos vulneribuſque debilitatos receptui ſigna dare conſpexit. Reditum eſt cum gloria Petriniam, cui Chriſtophorus Mernavicius Lupi Pater, Regni ſimul Vice-Banus cum poteſtate præerat, ibique pro more præda militibus diviſa, ac captivi ſub haſta venundati. Poſt paulò iterum ſub Jaſenociam profectus non minori ſucceſſu, præeunte ac primo ſtatim aſpectu, in hoſtes obvios cum quinque ſuis, irruente Lupo Erdödio Viro militari, & cuius præclara in Patriam merita, longiorem melioris valetudinis vitam promerebantur, eoſdem in effuſam fugam convertit, nobiliſque ſuos ditavit præda pluribus ex Turcarum numero tam ſauciatis, quàm deſideratis. Sed ut plerumque triſtia lætis miſceri ſolent, ita his proſperè foris auſpiciis Zrinianis ſuccedentibus, ingens Zagrabiæ acceptum detrimentum; anno enim vigeſimo quarto ſupra Sexcenteſimum, ſecunda Pentecoſtes feriâ occidente iam Sole, inſperatò glomerantur nubes, fuſcatur cœlum, ſævis Æolus univerſa concutit flatibus, imbremque velociſſimum felici prorſus caſu è nubibus egerit, tùm demum ſcintillantes nubium faces, cœlumque altum immugiens vehementiſſimo impetu evibratum fulmen, tectum Baſilicæ Divi Stephani Regis adeò potentèr ferit, ut perrupto fornice, ac ſepulchrali marmoreo lapide in quinque diſſiliente partes, in incertum quidem ſub terram abierit, ſed occultatis in tecto fulmineis ſcintillis, ſenſimque trabibus flammam concipientibus, uno tandem impetu undecima noctis hora, immanis exurgit flamma, graſſanteque Wlcano templum, arx Epiſcopalis, turres præcipuè in circuitum nobili muro intermixtæ, turris quoque Eccleſiæ cum ære campano miſerrimè conflagrârunt: cœtera etiam vicina loca, ni paulò ante copioſè effuſâ pluviâ maduiſſent, infelici incendio abſumenda erant; Imis deinde motis fundamentis, quibus crux ad Hiſpanicæ ſimilitudinem ferrea, ac in ſummitate deaurata, immanis magnitudinis tecto eminens, ſuſtinebatur; eadem decidens pondere ſuo fornicem Sanctuarij perfringens vaſtum aperuit hiatum, per quem deinde tædæ ſcintillis plenæ ſummitati aræ magnæ incidentes (erat ea Oſvaldi Epiſcopi ſumptuoſi operis, elegantis artificij, ac auri vetuſti craſſitudine memoria celebris) eandem in cineres & favillas redegerunt. Apparatus aræ maioris, qui pro ſolemnioribus ibidem feſtis aſſervabantur, ſimili affecti detrimento,

Lupi Erdödi virtus ſingularis.

Incendium Eccleſiæ S. Stephani.

mento,

Franciſcus Erghelius inſignis Eccleſiæ adiutor.

Benedicti Vincovicij encomium.

Privilegiũ Præpoſiti Zagrabien.

mento cum duabus minoribus ac viciniſ aris. Nec facilè univerſum reputaveris damnum, nec facilè reparandum dixiſſes: Chriſtiana tamen Regnicolarum pietas quàm neceſſaria tàm munifica fuit, præeunte in Comitijs Zrinio Bano exemplo pio, ac numerante ducentos argenteos nummos, quos Talleros vocant, tantamque lignorum copiam, quæ fabricæ Eccleſiæ ſufficere videretur; cuius cœteri pio moti zelo, id auxilij attulêre, quod utcunque illatum damnum tolerabile redderet; Franciſcus deindè Ergelius Weſprimio in Zagrabienſem Prælaturam poſt infelicia Neptunia fata Petri Domitrovicij (cuius memoria in benedictione ſit) promotus, eam juvandæ Dei domus curam & operam adhibuit, ut reparato fornice, extructa ara magnificentiſſima, inchoata ſumptuoſi operis è quadro polito lapide præalta turri, & priſcorum æmulator & futurorum impulſor fuerit Epiſcoporum: cui ſi Deus Optimus Maximus diuturniorem adhuc vitæ uſuram conceſſiſſet, (quanquam amplius octuagenarius è vivis exceſſerit) ſummo Eccleſiæ bono, ac totius Regni fructu, quæ poſterorum ignavia perfectionem lugent, impoſita coronide læti hactenus conſpexiſſemus. Quamvis Benedicti Vincovicij Erghelij Succeſſoris verè magni ac indefeſſi Apoſtolicorum veſtigiorum ſectatoris, ſcientiaque Juris utriuſque clari, & arcis ædificium ampliantis, & templi frontem auguſto opere nobilitantis laudem ſilere non debeamus; qui divino inſuper pectore, in publicis Hungariæ Comitijs hæreticæ obſiſtens pravitati, ac murum pro domo Dei in regnis noſtris ſeſe opponens, ab hæreticis fidei religioniſque causâ, barbâ, crinibuſque evulſis indignè tractus fuerat; cuius tamen contumeliæ eũ tulit fructũ, ut omnis deinceps Capituli Zagrabienſis Præpoſitus Mitratus ſolemnia ſacra perageret, ac intra Magnates vocem & locũ Diætali tempore obtineret: ijs interim, qui in Virum ſacrum (tunc quidem Præpoſitum) nefarias iniecerant manus, è Regno publicatis bonis, eliminatis. Hæc eo fine dicta fuêre, ut & Zrinij Eccleſiæ promotoris memoriam non deponeremus, & quæ intermedio accidêre tempore, ordinata ſerie referre non omitteremus.

Nondum conſopitis Bethlemij tumultibus, Ferdinandus Cæſar Archiſtrategum ſuum Walleſtainium in Hungariam cum exercitu proficiſci juſſerat; tùm verò aviditate ſumma, hanc

Zrinius

Zrinius arripiens occaſionem, nequaquam aut privatis dominijs aut tuendo regno detineri potuit, ſed lectiſſima Illyrici nominis accepta manu ad ſuperiora, trahentibus fatis, bella maturavit. Subſtituto igitur in officium Sigiſmundo Erdeödio, cum alias Regni Capitaneum ageret, annuente Ferdinando Cæſare ac Regni optimatibus profectus eſt menſe Aprili, vigeſimo ſexto à partu Virginis poſt Milleſimum Sexcenteſimum anno. Nec minus fortia geſſit in Pannonia, quàm in Illyrico: accidit inter alia die quadam, vt dum ſub Palanka Hungariæ arce, Turcarum nunc ditionis, caſtra agerent; ac eodem tabernaculo cum Nicolao Forgachio noctis quietem caperent, maneque militarem induti veſtem, ad prælium cum Turcis ineundum ſeſe adaptarent; acinacem, quem ad latus geſtare ſolitus fuerat euaginans, ac fœlix ſibi victoriæ omen præſagiens: *hoc inquit, hodie ferro, bone frater, Turcarum truncabo capita.* Itaque progreſſi in campum præcipuum quemque oculis obſeruat, tum feruente pugna, celebrem è cæteris inſecutus aſſecutuſque Turcam ſpectantibus plurimis, propria decolauit dextera. Allato in conſpectum Walleſtanij præciſo capite: *ita*, inquit, *hoſtis Cæſaris perſequendus, ita victoria paranda foret;* at plura, inquit Walleſtanius, truncata iam ego vidi capita; cui ille, *plura fortaſſe truncata vidiſti ſed non truncaſti plura.* Quo accepto, ac alijs ſubinde quæ generoſiori animo dabat Zrinius reſponſo velut inſolentiori, gravi in eum deinceps Walleſtanius, homo nota ambitione ac crudelitate infamis, commotus ſtomacho, quieuit nunquam, donec omnem nō effudit bilem. Itaque varijs vlciſcendi tentatis modis, cum ſe nihil proficere animaduertit, conuiuij tempore raphani radicem, quam Zrinius auidius eſſitare ſolebat, veneno tinctam porrigit, edentemque inficit. Eo tabefactus ſubita correptus ægritudine è caſtris Poſonium deuectus, cum nihil medicorum ope proficeretur, vir præſtantiſſimus in ipſo ætatis flore cum vix trigeſimum exceſſiſſet ætatis annum, Banatus verò quartum, omnium commiſeratione menſe Decembri extinguitur. Sanè Ferdinandum Cæſarem menſæ accubantem, cum obitus eius nuncium accepiſſet, cultris manibus delapſis, totoque vultu in mœrorem commutato, indignam tanti viri necem indicaſſe, fide dignis accepimus. Poſonio Chaktornam delatus honorificentiſſimo funere, in æde Diuæ Helenæ Clauſtri

Insigne Zrinij facinus

Zrinius veneno tollitur.

Eremi-

Eremitarum Paulinorum, vbi maiores ſui iacent, tumulatur: in omnibus cæterùm dolendus, hoc vno mœrori relicto ſolatio, quod filios expectationis maximæ, paternæ virtutis ex aſſe hæredes Nicolaum & Petrum reliquerit, illum Epaminondæ fœlicitatem, & cuius iam dextera gladiuſque Turcico Suecicoque immaduit ſanguine, hunc Aiacis robur aſſecutum. Sed hic premo manum calamumque maiora poſtea conantem, ſuoque tempori laudanda virtus ſeruanda. At Georgius ſupra peritiæ militaris opinionem, multò etiam ſplendore liberalis vitæ, militariumque Alumnorum copia, cultuque familæ, Pannonicorum ac Illyricorum procerum longè clariſſimus habebatur.

Sequitur ante penultimus Pro-Regum Sigiſmundus Erdödius Thomæ filius, poſt funera Zriniana à Cæſare II. Ferdinando conſtitutus, anno reparatæ ſalutis 1627. Funguntur Cæſaris nomine Commiſſariorum munere, Franciſcus Erghelius Zagrabienſis Præſul, & Petrus Rattcaius, quem an Aulæ Cæſaris Matthiæ à Cubiculis chariorem, an poſtea Carloſtadianæ turmæ præfectum feliciorem dixeris, in ambiguo eſto: eadem enim inaugurationis ſuæ die, dum hoſtis lætitiæ feſtiuitatem Carloſtodij celebratam infeſtat, noſtri obuiam egreſſi, præeunte Lupo Comite Frangepano loci Vice-Præfecto verè hoſtium Lupo, profligatis ijs memorabilem ſibi & prædam, & victoriam pepèrere. Coram his vbi de more in Æde Diui Marci vrbis montis Græcenſis Zagrabienſis, ſolemne iuramentum ſuſceptæ dignitatis præſtitiſſet, & in Senatoriam ædem Comitia celebraturus fuiſſet introductus, ea non vt decebat, à rixis & tumultibus exorditur. Contractis ſiquidem iam antea incertis de cauſis cum Thoma Miculicio, qui ſub Zrinio Vice-Banatus munere fungebatur, contròuerſijs; eum deinceps ab officio abſtinere iuſſum, quod dare, vel auferre Bani eſſet poteſtatis, Gaſparum Konzkium cum multa nobilitatis contentione, quod Nobilium, non Banorm id officij eſſet, ſubſtituit. Porrò dignitatis huius munus eſt Bani loco aciebus præeſſe, & nobilium gravamina ad ſedem eius tribunalque prouocata, cum certis arbitris reuidere, vnde & Comitatuum Zagrabienſis & Criſienſis Comitis ſupremi titulo gaudet. Verùm Miculicio eæ poſtea huius officij ablatio ceſſit vtilitati, vt Perſonalis præſentiæ Regiæ in Iudicijs locumtenens, in demortui Stephani Patachicij

Sigiſmundus Erdődius Dalm. Croat. & Scl. Banus 1627.

Dignitas Vice Bani.

chicij locum ſubrogaretur, quem etiamnùm hoc officium cum inſigni Juriſprudentiæ laude tenere videmus. Quamvis & Patris ſui Georgij militaribus meritis omnem ubique mereretur æſtimationem, qui temporibus illis, quibus Turcæ Thraceſque Sclavoniæ Regnum quà publicis armis, quà clandeſtinis occultiſque excurſionibus infeſtabant; eam Patriæ navavit operam, ut eiuſmodi hoſtes dies noctesque nunc per iuga montium, nunc per vallium anfractus ſaltuoſaque loca perſequendo, nunc debitis locis & temporibus expectando, ſæpius profligaverit, captivos plurimos Chriſtiani nominis eliberaverit, hoſtiumque ductores ſeu Haram-Baſſas capiendo, nullis curatis ipſorum theſauris, opibus & redemptionum pretijs, in terrorem aliorum verubus infigendo necaverit. Ita ut univerſa ſupputando ductores novem pali ſupplicio affecerit, manu ſua hoſtes ultra duodecim interfecerit, Chriſtianorum verò 473. operâ ſuâ, nulla merendo ſtipendia, ſumma cum nominis ſui laude ac utilitate Patriæ in libertatem aſſeruerit: quæ omnia ex publico Capituli Chaſmenſis authoramento, anno adhuc ſupra ſæcularem undecimo & poſtea verò etiam quadrageſimo quinto collecta, fide integra deprompſimus; Cæterum celebrior hic poſtea Sigiſmundus Banus politicâ Nobilitatis gubernatione, quam tractandis bellis habitus; nam cum Regni adhuc Capitaneum ageret, quemadmodum ſub Patre eius Thoma Franciſcus Orehocius fuerat, non expectato Zrinio Bano, qui intra triduum ſe quoque adfuturum pollicitus fuerat, ſub arcem Zriniam profectus, inſigni clade ab hoſte accepta, quibuſdam viarum ductoribus noſtros in præcipitia montium, ac aſperitates vallium deducentibus; quibuſdam verò turpi intempeſtivaque fuga ſocios deſerentibus, multis è noſtrorum numero interfectis, pluribus captis ac ſauciatis, ita ut Sexcentorum numerum univerſi conſtituere, ſi non excedere dicerentur, ipſeque duos ſub ſe Erdödius plumbeis glandibus ictos equos amitteret, ægrèque ſeſe ex hoſtibus explicaret, indecorè demùm pedem referre coactus fuit; qua acceptâ clade, graviſſimum prope belli incendium emerſiſſet, univerſumque Regnum dubio caſu involviſſet, niſi pannico quodam terrore perculſus hoſtis, ſuimet honoris oblitus, à pugna receſſiſſet; cuius ut principia altiùs paulò repetantur, operæ pretium viſum eſt. Captus fuerat in hoc prælio peditum Ductor præſidij Zredichko

Sigiſmundus Erdödius ſub Zrinia arce profligatur.

Ee Petrus

Petrus Levoievich cognominatus, quem Turcæ ob inſignem militaris diſciplinæ virtutem, gravi ære lytri, unionumque precioſorum ſponſione redimendum, conſtitutis antea pro ſe vadibus, ad Erdödium iam tum Banum remisêre. Verum Levoievichius ſex reſtitutis captivis Turcis eum pecuniæ ſummam deleviſſet, nec homo inferioris conditionis, precioſioris ſuppellectilis, unionumque copiam habere potuiſſet; Turan Aga Badancovich Crupenſis arcis Caſtellanus, ſeu ut illi vocant Disdarius, antiquo nobilique Croatiæ genere ortus, diuturnioris pertæſus expectationis, communicato cum alijs conſilio, acres admodum ac contumelioſas Bano ſcribit literas, exprobrata prius de non exoluto pretio fide ac humanitate, tum verò ad militaris haſtæ congreſſum provocando; Similes ſcripsêre literas Omer Aga Badancovich & ipſe Crupenſis Lupo Mernavicio Capitaneo in Zredichko, Haſſan Aga Bihuklich Novienſis, Lupo Kriſanicio Capitaneo in Berkuſſa, Dervis Aga Ahmatagich Coſtanicienſis, Lupo Jelachichio Capitaneo in Lethovanich, Viris fortiſſimis ac pugnaciſſimis; Et Mernavicius quidem diverſam ab alijs provocationis ſuæ cauſam habuit; etenim cum Chriſtophorus Pater, æſtatis tempore in præſidio advigilans reſideret, ne diminuto fervore ſolis Colapi, hoſti pateret tranſitus, horum nihilominus Badancoviciorum frater, natu quidem minimus, ſed virtute primus, Juvenis prima tectus lanugine, ſed pugnax, procerus, atque lacertoſus Saphir Aga Badancovich appellatus, cum quingentis Turcis eo procurrerat in partes illas fine, ut ſi pauciores noſtros occurrentes, aut neci dare, aut in captivitatem reducere poſſet, tum iniecto præſidio igne, illud cum Chriſtophoro, qui plurima olim illis intulerat detrimenta, in cineres & favillas redigeret. Vbi noſtris eorum adventus innotuit, dato ſigno tormenti boatu, Lupus filius, qui in Berkuſſa cum amicis hilariori indulgebat convivio, audito tormento, Patrem ſenem & continuis podagræ doloribus, aut lecto aut ſedili affixum in periculo ratus; relictis pateris, conſcenſoque inſigni equo, octodecim tantum ſtipendia merentibus comitantibus, adeò rapida ac celeri feſtinatione unum decucurrit lapidem, ut ibidem adhuc morantes Turcas, imò iam anhelantibus equis Patrem inſequentes, qui vicinis undique flammis territus profugerat, deprehenderet; animanteque eum Popovicio, qui viſis flammis omnia abſumpta credebat;

Turcæ Sigiſmundũ cũ aliquot alijs ad Monomachiã provocant.

credebat; *Nunc*, inquit, *Generoſe miles, aut nunquam fumantem, ac cineribus obrutum dulcem ulciſcere patrem, teq; Aeneæ memorem exempli, Troiano ex incendio patrem liberantis demonſtrato.* Tum Lupus æternâ memoriâ aliquid agendum ratus, quamvis contemnendo numero, deſperato tamen ſimilis, acerrimum in eoſdem impetum facit, & cùm obvium habuiſſet Badancovicium ſpectatæ virtutis apud hoſtes & virum & militem, eum in fugam converſum breviori ſclopeto, ad dextræ latus vertebræ traijcit; quo accepto debilitatus vulnere, dum toto curuus ſuper equum corpore procumbit, Mernavicius abiecto ſclopo, evaginatoque acinace, quem ad latus equi militibus geſtare eſt moris, eum à ſiniſtra parte aſſecutus, adeò immani ferit impetu, ut uno eodemque ictu, & totum Turcæ caput, & equi per collum iugulumque venas præcideret, amboque uno caſu in terram ruentes exanimati interirent: quo admirando viſo caſu, noſtris iam animatis, & ad ulteriorem ferventibus pugnam, Turcæ univerſi ingenti conſternati pavore in turpem abiere fugam; noſtris tamen inſequentibus, pluribus ex hoſtium numero interfectis atque captis, cum ſingulari inuſitatæ victoriæ lætitia in Zredichko advenêre. Afflicta dein Turcæ mater inſignis miſerata filij horrendam necem, à Mernavicio corpus reddi ſibi per literas poſtulavit; quod ille humanæ conditionis memor, Scarlatina indutum veſte, capite ſibi retento, currui impoſitum remiſit. Tres adhuc ſuperſtites Badancovicius habuit fratres, quorum unus ulturus fratris cœdem, ad ſingulare Mernavicium evocaverat certamen; verùm ubi ab eodem reſponſum accepiſſet, acinacem ſuum nondum in occiſi fratris jugulo hebetatum, neque ullum in Boſna eſſe Turcam, cuius vires armaque expaveſceret, quin imò (hoſtem plus æquo territando) ne in inferno quidem dœmonem aliquem eſſe, cui gladio haſtavé reſiſtere formidaret, tum diſſimulato duello Turca per ſilentium rem transmiſit. Atque hinc Badancovicij denuò cum cœteris neglectam captivorum redemptionem noſtris pro cauſa Monomachiæ obiectant, re tamen vera acceptam ignominiam vindicaturi, ultionem cogitabant. Literæ cum ad Mernavicium directæ ac pelatæ fuiſſent, qui eo temporis Criſanicium, cum Georgio Drevodelicio Banalis aulæ familiari apud ſe habuerat, eaſque perlegiſſent, ſcommaticis perſtricti verbis, ad indignationem moti excanduerunt;

Forte Lupi Mernavicij facinus

Oc..uo provocationis Turcarum.

quod videlicet nec Banalis dignitatis, nec eorum officij, nec demum militaris conſuetudinis rationem ullam habuiſſent; ſed fœminarum more petulanti ac mordaci lingua contumelioſè, viros & dignitate primos, & militaribus factis claros perſtringere non erubeſcerent; illud quoque non minus ægrè ferebant, eorum quemlibet, ut longè gradus ac conditionis inferioris Pro-Regia dignitate hominem eſſe, ita gravioris iniuriæ ac deſpectus improperia in literis ad Banum directis contineri, neque ullo pacto conveniens eſſe, ut Vir tantæ exiſtimationis Centurioni cuipiam ad certamen prodiret. Quocirca Georgius Drivodelicius Juvenis fervidus atque fortis, non abſque gravi nominis ſui, ac honeſtæ famæ iactura id futurum rebatur, ſi re iam ſibi perſpecta heri ſui loco pugnam detrectaret; ſignificato proindè negotio Lupo Jellachicio abſenti, ipſique Bano, cui grata Georgij accidit promptitudo, omnes poſtea unanimi voto ac conſenſu reſponderunt, ſe nullatenus eorum arma formidare, paratoſque ad diem conſtitutum apud Zredichko expectaturos, quantum ad Banum attineret, cum Pro-Regia authoritas Diſdarij officiolum longè excelleret, non eum ſed Georgium Drivodelicium eius nomine ſatisfacturum; quod ſi Vizirius aut Boſnæ Præfectus officio pares Banum prodire voluerint; id verò illi non ingratum caſurum: eligerent interea Turcæ ſibi pro duello quodcunque genus armorum placeret, ſe quovis ſive equo ſive pedes paratiſſimos velle reſpondere. Gnari attamen fraudis ac dolorum Turcicorum noſtri, quia expeditiſſimos habere ſolerent equos, ne fugæ cuiquam ſpes eſſe poſſit, cincta fuerat cancellis ligneis ultra Colapim tanti ſpatij planicies, in quanto generoſioris equi curſus, haſtarumque congreſſus exerceri poſſet. Igitur miſſis ultro citroque literis, tandem dies conſtitutus, Banuſque convocatis variorum locorum Præfectis & amicis, ac præſertim Lupo Comite Frangepano Croatiæ limitum Præfecto, qui cum ornatiſſimo equitum ac peditum apparatu comparuerat, Joanne item Draſcouicio Criſienſium equitum ductore, cuius multi quoque Nobiles ſecuti ſigna, ut univerſi trium millium militum conſtituerent, ac vt à fraude ſe tutos præſtarent, omnes eo ſe contulerunt certamen inire parati. At ecce Turcæ ſcriptis per mancipium quoddam litteris, ſignificant ſe ad Zredichko venire non poſſe, ſed apud Berkuſſam omninò

præ-

Digitized by Google

præſtolaturos; varias quidem rei huius obtendebant cauſas, re tamen ipſa cancellorum anguſtijs territi venire non audebant, cùm antea etiam ſubindè nunciaſſent, maiores ſuos ſæpiùs cum Chriſtianis duello conflixiſſe, nec tamen pecorum inſtar iugulandorum in haras conſtrictos fuiſſe; ſubodorati noſtri fraudem, eò nihilominùs ij, qui pugnaturi erant, acceptis ſubitò ductilibus, & ad certamen præparatis equis, ac vna equitum turma, properant; verum Turcæ formidato periculo nec ibi congredi auſi, neglecta prouocatione, quam primi fecerant, domum inglorij abiuêre. Mernauicius ac alij expeditum ſtatim cum literis equitē eos inſequi iubent, mandantque, vt ſi viri ſint, vel ad Zriniam expectent arcem, ſe ad duellum eo quoque aduenturos. at nuncius cum eos fugientium inſtar properantes aſſequi nequiviſſet, noſtri infecto licet negotio, triumphantibus tamen ſimiles domum rediêre. Simile quid Ladiſlao Bucouaccio acciderat poſtea, quem Izam Aga Veletanlia Nouienſis ab redemptionem mancipiorum quorundam euocauerat, noſtroque cum vicinis & amicis, vt millenarium complerent numerum, comparente, pari dedecore ac ignominia hoſtes, nemine etiam perſequente, effuſam fugam per auia & deuia capeſſunt, noſtris poſtea haſtas, ſclopetos, lodices, cæteramq; caſtrenſem ſuppellectilem copioſo numero colligentibus; qua fœda ſuorum fuga indignatus Boſnæ Præfectus Izam-Agam præfocatis deinde faucibus iuſſit ſtrangulari. Duplici hac eaque inſigni affecti hoſtes ignominia, altum ſub corde premebant dolorem, anxioque nimis deſiderio rependendi talionem expectabant opportunitatem. Tum verò Nobilem ſe adeptos arbitrati, cùm Vincentium Malagrudicium Carloſtadio profugum, ſuperſtitionique Mahometanæ adhærentem acceperunt. Nam circumciſo eo, ſtatim militari ſtipendio Bihicij donauêre, & nouis futuris hymæneis auxilio fuêre; congregatis ibi plurimis ad honeſtandam nuptiarum ſolemnitatem, capto ex tempore conſilio, duce Malagrudicio, Chriſtianos inuadendos decernunt; neque tamen adeò hæc occulta eſſe poterant hoſtium conſilia, quin celerrimè per internuncios Erdödio Proregi ſignificarentur, qui re intellecta vniuerſis ſuis ad certum diem profectionem indicit, & Thomà Erdödio nomine ſuo, qui tum in Præſidio Pocupiano cum poteſtate præſidebat præeſſe iuſſo, adiunctoque illi Georgio Erdö-

Turcæ duellum ſubterfugiūt.

dio

dio ex fratre nepote, ac Petro Kegleuicio eos felicibus auibus iter maturare, remq́ue bene gerere precatur. Vbi profectionis adfuit dies, ita in aciem ſeſe diſpoſuêre, ut Thomas cum ſuo agmine præcederet, quem duæ peditum Banalium Centuriæ, ac poſtea Petrinienſes ſequerentur; Georgius Erdödius cum Kegleuicio, & Lupo Iellachicio, ac cæteris in occultis inſidijs remanerent, vt ſi neceſſitas eorum ſubſidium poſtularet, opportunè aduolarent. Diſpoſito hunc in modum exercitu dum progrediuntur, animadvertunt noſtri illuceſcente aurora duos ex hoſtibus adeſſe, quorum vnus ad proximum in valle fontem, leuandæ ſitis cauſa, deſcenderat; alter pro vigilia conſtitutus, ſomnoq́ue correptus dormitabat: in hunc è noſtris vnus directo longioris ſclopeti ictu, eundem interfecit, altero ſonitu audito fugâ elapſo, ſuiſq́ue noſtros adeſſe indicante; tum verò noſtri promoto celeriori gradu hoſtes in colle, quem arenarium vocant, obuios habent, in eoſq́ue Thomas cum agmine ſuo fortitèr irrumpit, prœlium atrox initur, cædeſq́ue fit hoſtium. Iam Banales pedites exploſis pixidibus, abſumptoq́ue ſulphureo puluere è pugna receſſerant, cùm Thomas eis ſine mora ſubſtituit Petrinienſes & ijs quidem peritiſſimè rem gerentibus glandium procella Martem diremêre, interfectis hoſtium ſauciatiſq́ue non paucis, ſed captis è præcipuis pluribus, inter quos Izris Aga, Præfectus Bihicianus, cum filio Azir Agæ hominis ditiſſimi capite truncati, Paizit Aga cum filio Chehaich Agæ vivi in poteſtatem venêre. Turcæ vbi deſperatam rem ſuam vident, Malagrudicium tanquam gnarum de Chriſtianorum aduentu ac proditionis reum vociferari, contumelioſiſq́ue proſciſſum verbis, necem eidem minari occœpere, ſed is arrepto acinace, gyratoq́ue equo: *me inquit, ſi viri eſtis dubiamq́ meam habetis fidem, ſequimini, quam diu ſpiritus hos reget artus, non me fidem fefeliſſe, nec expectatione veſtra degenerem comprobabo.* His dictis acre in noſtros redintegratis aliquantum viribus inuehitur impetu, ſed mox plumbea glande è noſtris emiſſa ſaucius reuertitur, equoq́ue deſiliens, ſub quercetum quoddam iam vermibus exeſum ſeſe occuluit, cæteris in fugam tenuis inſtar nebulæ, à vehementi ſole, diſſipatis. A peditibus dein noſtris curioſius dumetum quodlibet indagantibus, ſub querceto Malagrudicius vulnere debilitatus reperitur; ſtatimq́ue eum veluti fidei Chriſtianæ,

Turcæ in colle arenario profligantur.

ſtianæ deſertorem ac proditorem Patriæ, alij capite truncandum, alij palo infigendum, vſitatoque transfugis ſupplicij genere afficiendum contendebant. Verùm Lupus Iellachichius qui eum propinquitate ſanguinis tangebat, pro eo interceſſit, ac vt viuus ad Banum reduceretur, ægrè admodum impetrauit. Reductus demùm ac Eccleſiæ reconciliatus vixit aliquandiu, ſed amotæ mentis homini ſemper ſimilis. In hoc prælio egregia Thomæ Comitis Erdödij, ac Lupi Criſanicij viri acerrimi ac plures manu ſua hoſtes diuerſis vicibus obtruncantis, enituit virtus; nullo noſtro deſiderato, ſolo Ioanne Nemanicio grauioribus affecto vulneribus, qui & ipſe tamen poſtea conualuit.

Hactenùs in campo Turcico reſperſi maduimus ſanguine, nunc vt paululum obrigeſceret, quietiora ab hoſtibus fecêre tempora: itaque depoſitis tantiſper armis, ad ciuiles cum Germanis, Thracumque gente diſcordias componendas, Banus adiecit animum. Quare petitis iam ſæpius à poteſtate Regia arbibitris, tandem anno quinto & trigeſimo ſupra milleſimum ſexcenteſimum mittuntur è Germanorum parte Vlricus Schaffenbergus, Godefridus Follenhauptus, & Vitus Sigiſmundus Herberſtanius; è noſtrorum verò Thomas Miculicius, Petrus Znika Regni Prætor, & Petrus Spolaricius; Commiſſionis Præſes conſtitutus Ioannes Telegdinus Archiepiſcopus Colocenſis, qui Collegam habuerat Stephanum Sennieyum Iaurinenſem Epiſcopum, Aulæque Cancellarium. Adegerat ad hanc concordiam inſtituendam noſtros non ſolum multiplices, eæque graues Thracum inſolentiæ, ac Præfectorum Alemannorum in Nobilitatem iniuriæ, verum etiam famoſi illius Thracum Archimandritæ Hladica appellati, noua periculoſaque aduerſus Regnum vniuerſum coniuratio, is enim corrogata ingenti pecuniæ ſumma, Viennam ad Cæſarem profectus nouas Thracibus leges, immunitates, priuilegiaque Regni ac Nobilitatis libertatibus, atque iuribus penitus aduerſantia, iam obtinuiſſe vulgabatur; quicquid terrarum hactenus, aut deinceps poſſiderent, id illis, eorumque poſteris, nulla terreſtri dominio penſione, nulla recognitione ſpectata liberum eſto; quicquid in corpore aut rebus haberet Valachus, quicquid militaria, quicquid politica concerneret aut Iudiciaria, id totum Germanici iuris & adminiſtrationis eſto; denique vt compendio multa tranſeamus, nullum

Celebratur Commiſſio Valachica 1635.

tàm

tàm enorme ab ijs committi poterat flagitiũ, quod mortis ſecum traheret pœnam, ſola corporis marſupijq́ue mulcta locorum Præfectis exoluenda annexâ; ita Statuta eorum, non modò in graue Regnicolarum præiudicium, verum in omnem vitiorum patrandorum libertatem ac licentiam conceſſa fuerant; quæ profectò in grauiſſimum perpendæ ſenſim Patriæ turbinem Regnum vniuerſum inuoluiſſent, niſi & Hladica opportunè è viuis exceſſiſſet, & Maieſtas Cæſarea Statuum & Ordinum precibus, ac iuſtitia expugnata, vniuerſa edito Diplomate ſancitaq́ue lege abolitis Statutis tranquillaſſet. Hac ſopita diſcordia, veluti manifeſto Ciuilium bellorum fundamento, alia adhuc Regni grauamina complananda, ab exmiſſis Cæſareis Commiſſarijs erant, quarum ſummam aliquot complectemur capitibus.

Puncta Statuum Regni Sclavoniæ.

Et imprimis quidem inſtabant Status & Ordines, ut Valachi in Confinijs Sclavoniæ & Croatiæ in terris Dominorum reſidentes, à Jurisdictione Capitaneorum eximerentur, ac Dominis in quorum bonis degerent, plenaria Juriſdictione (ſalvo militari ſtipendio) reſtituerentur.

Secundò, ut Officium Banale priſtinæ dignitati & authoritati cum plenipotentia iuxta articulos Viennenſes & Poſonienſes 1608. & alios ſubſequentium Comitiorum reſtitueretur.

Tertiò, ut officia militaria tàm maiora quàm minora in Confinijs horum Regnorum ita Indigenis benè meritis, prouti Germanis æqualitèr conferrentur.

Quartò, ut miles Germanus ex arce Varaſdinenſi educeretur, ob cuius etiam inſolentiam Erdödius

dodius Banus cum Georgio Schwarcenburgio limitum Sclavonicorum Præfecto, in graves controverſias uſque ad provocationem in duellum progreſſas, ſummo Reipublicæ ſcandalo ac detrimento nuper inciderat.

Quintò, ut bona præſidij Capronceenſis per Capitaneos eiuſdem loci, extra omnem Fiſci Regij & Regni utilitatem poſſeſſa, Juriſdictioni & oneribus Regni in Datijs Regijs, & Contributionibus ſolvendis, gratuitis laboribus, ac Decimis inſtar aliorum præſtandis, ſubiecta eſſent. Hæc aliaque privatorum complura fuêre poſtulata: Verùm privatis quibuſdam gravaminibus ſublatis, iiſque impenſa ſatisfactione; graviora modò recitata, nullum prorſus conſecuta finem, irritis expenſis & laboribus factis, ad ulteriora felicioraque tempora (ut Germanorum eſt phraſis) univerſa dilata etiamnum lugemus, atque ita Commiſſioni impoſitus finis, quem paulò ante Cancellarij Stephani mors præceſſerat, qui ut fama ferebat, veneni tabe ab Alemannis infectus, extrema uſus valetudine, rediens in itinere expiravit.

Quatuor adhuc ſuperuixit annis Sigiſmundus Banus, quibus vt famam meritis cumularet Patrum Societatis templo Zagrabienſi Organi partem, quam Poſitiuum appellant, dono dedit; eamque Eccleſiam tapetibus Turcici operis ingentis magnitudinis, ac inprimis eleganti ſummâ Arâ, quæ ſeptem millibus conſtare dicebatur, pia liberalitate exornauit. Tum deindè Patribus inſtituti S. Franciſci in oppido Klanacz ſub arce Czeſzar Templum ac Monaſterium extruere cœpit. His pietatis iactis fundamentis vbi in Hungariam Vereſuarium ditionis ſuæ fuiſſet profectus, in morbum ibidem incidit, qui ei vltimus vitæ fuit menſe Junio, ſalutis anno Milleſimo ſexcenteſimo trigeſimo nono nullis relictis liberis, cum tribus propemodum luſtris egiſſet Magiſtratum. Inde in Sclavoniam reductus magnificentiſſimo funere in Eccleſia à ſe fundata in oppido Klanacz tumulatur.

Pietas Sigiſmundi Bani.

Eius mors & deſcriptio.

tur. Erat Vir ſtaturæ proceræ, oculis glaucis, ac frequentiùs nictitantibus, faciei liberalis, fuſcique coloris; barbæ prominentis nigræ, aliqua iam reſperſæ canitie, toto denique corpore lacertoſo atque vaſto: ſed naturæ ad iram vindictamque proclivioris, & adulantium linguis credulitatis propè nimiæ; præter amplas tamen, quas habebat opes, hoc uno fortunæ dono inſignis, quod & ipſe Banus Patrem quoque atque Avum ſimilis dignitatis Viros pulchrâ quadam ſerie fuerit ſecutus.

Apoſiopæſis ad Banũ Draſcovitium.

DEcurrimus ad calcem optato voto, ſed lentiùs quàm ſperabamus feſtinavimus, BANE PALATINE; ita nimirùm expoſcente materia, cuius cum plurimi ſint futuri Argi, omnium nos prius Argum fuiſſe oportebat; decurrimus ad calcem, & tantò hilariùs, quantò propinquiùs ad ſcopum declinamus: verùm non iam mihi ad calcem decurrenti, illi eſt ſubſcribendum ſententiæ: *omnis motus in fine velocior.* Quamvis enim amor ad te BANUM ſeu veriùs BONUM (in te enim non ſolùm hæc viciniſſima ſed & coniuncta ſunt, ut revera BANUS BONUS ſemper dici potueris) impellat, virtutum tamen tuarum moles ac magnitudo impetum ſuſceptum iam propè defatigat. Quid enim dicam? laudabo? ſupra calamum meum virtus tua eſt, ut ſupra ventos, & quidquid pluitur & ningitur, & nubes omnes Atlantis vertices. Tangam magnitudinem? ridebor, qui eum brevi charta ſperem concludere, cuius magnitudini capiendæ, quartum Cæſar regnum adiecit. Commendabo in adoleſcentia animum pacatum, ſerium, maturũ? nil magnum, niſi quod placidum; & non altiſſima

quæque

quæque flumina minimo ſono labuntur? modeſtiam & morum ſuavitatem, & beneficam in omnes mentem & manum? quo rariora ferè in magnis, eò admirabiliora in te ſunt, PALATINE MAGNE, ad nocendum potentes ſumus omnes; ad benefaciendum pauci. Mea præſertim ſi quid nunc Svada poſſet, Rhetorum floſculis ludere hic deberet, niſi modeſtia tua gravibus aſſueta, indice ori appoſito vetaret. Prudentiam eiuſque ſociam diſcretionem, quæ auriga virtutum à D. Bernardo dicitur, in te prædicabo? O quam multa morâ & patientiâ viciſti, quæ calore alius perdidiſſet. Sapientiæ hoc tuæ eſt: & verùm nimis illud eſſe maiorum exempla ſecutus docuiſti; omnia non properanti clara certaque demum eſſe, cum ferè improvida & cœca feſtinatio ſit omnis. Livius. Politioris literaturæ culturam & amorem in te non deſiderabit, qui vel ſemel colloquio fruetur tuo, vel qui te operis potius huius noſtri authorem, quàm me fuiſſe intellexerit. Sed quid dixi deſiderabit? imò verò admirabitur qui à Viris doctiſſimis doctum tuum verticem baſiatum ſciverit, cùm in Academia Græcenſi Philoſophiæ ſubtilitates ad examen propoſitas, ſubtilitèr te ſapere oſtendiſti. Sed nec minùs nunc miramur, linguas fermè omnes Europæas, vaſta quadam ingenij capacitate, ne dicam felicitate te complecti. Taceo arma publica, ad quæ tibi nunquàm animus aut peritia, ſed occaſio defuit. Pietatem ſileo, qua ſola cœtera omnia

es conſecutus. Hæc ubi de te Auguſtiſſimus Tertius Ferdinandus cognoviſſet, non Te amplius Criſienſis turmæ equitum Præfectum, ſed ſuum in regno Vicarium, imò trium Proregem regnorum eſſe voluit.

Ferdinandus Tertius Rex.

Mandat igitur Ferdinandus Tertius Benedicto Vincovicio Epiſcopo Zagrabienſi, & Lupo Comiti Frangepano Croatiæ limitum Præfecto, ut Ioannem Draſcovicium Illyrici Proceribus ac Nobilitati præſentatum, ſuo nomine eiſdem præeſſe jubeant. Verùm cùm iam ſæpius Frangepani mentio inciderit, de eo pari ratione quædam inſerenda operæ pretium eſſe, imò ne ingratæ memoriæ erga Virũ tantum arguamur, neceſſarium iudicavimns.

Ioannes Draſcovic. Dalmatiæ, Croat. & Scl. Banus 1640.

Non tango natales, Romanis etiam ſæculis notos, non maiorum facta, quibus nullius Nationis hiſtoria caret, & nos quantum propoſitum noſtrum ferebat referendis indulſimus; omnibus enim ſcribendis volumine opus foret. Hic Vir Catoniana gravitate, morum elegantia, conſiliorum maturitate inſignis omni tempore exiſtimatus; ab ineunte adoleſcentia militiæ deditus, ac Foro-Juliano bello, quod inter Archiducem Ferdinandum ac Venetos interceſſerat, adeò celebritèr verſatus fuerat, ut Chriſtophori Abavi ſui adverſus eoſdem Venetos præliantis, militaris peritiæ ſpeciem omnium teſtimonio referre iudicaretur. Hinc per omnes militiæ gradus probatus uſque ad ſummam Croatiæ ac maris limitum Præfecturam viam aperuit virtus. Quo in officio ea omnium ſatisfactione uſque in hanc ætatem, qua ſexageſimum iam excedit annum vivit; ut quid in eo deſiderare poſſis, invenias nihil; neque enim ſic morbis ſubindè ac ætate gravatus, ubi adventantis hoſtis ſignum accipit, contineri ooteſt, quin cum cœteris longiori etiam ſpatio hoſtem inſequatur. In hac ipſa vegetus ſenex ætate, ut æternos non amat iocos, ita nec æternam gravitatem memor Catonem, Lælium, Scipionem ſerijs miſcuiſſe jocularia; campoſque nunquam ocioſos ſterilitatem minari: Virorum nihilominus, qui ſapientiæ quidpiam redolent congreſſum ambiens, converſatione pingueſcit. Verùm ſileat diſtorta laus noſtra, dum Cæſaris loquitur Maieſtas: hoc ſanè Auguſtiſſimi Ferdinandi Tertij, dum Poſonij nobiſcum in conclavi, mira dignatione de eo ſermonem conferret,

Laus Lupi Frangepani Comitis

Digitized by Google

ret, aureum ore fluxit elogium: *Ille ait, bonus & fidelis eſt noſter ſervitor, & Vir magnus.* Abſcedat iam verborum noſtrorum caligo, ubi ſolis luce veritas irradiatur. Duos habet filios Gaſparem & Georgium, illum humanitate an Martio ſpiritu clariorem, aliorum eſto iudicium; Georgius verò muſicorum inſtrumentorum peritia (quod nobilem iuventutem & oblectat & ornat) artium pictoriæ ſculptoriæque, Coſmographicæ demum, mœniorumque ſtruendorum notitia excellit, ut vel hinc vaſtam quandam ingenij eius capacitatem metiri liceat. Verum Caſparum ſenilis ſui ſolatij ſingulare venerandus ſenex habet gaudium, dum in hac ſua declinante iam ætate videt ſe veram aquilam non degenerem procreaſſe columbam, nam in hac ipſa quam ſub optimo gerit Patre Croatiæ limitum ac Oguli enſis præſidij Præfectura, ea ſe omnibus vitæ morumque æquabilitate ac lenitate exhibet, ut à ſubditis amorem, ab æqualibus invidiam, à maioribus laudem ac æſtimationem referat; hæc nimirum Imperialibus exultus bellis, ac Hungarici Regni Signifer jam olim didicerat; ut proindè meritò præclara quædam eius facinora ſingulari fortunæ favore comitata, hic nobis commemoranda videantur, quo & ipſe debita non fraudetur laude, & omnis virtus ac fortitudo eius in gloriam redundet Patris. Atque illud primum occurrit, dum ſub Iſaciciam arcem in Croatia ſitam, octavo Idus Decembris reparatæ ſalutis anno trigeſimo quarto ſupra Milleſimum ſexcenteſimum profectus, dignitatis ac Vice-Generalatus ſui, victoriam obtinendo, primordia honeſtavit; Media quippè in prælium excita Legione, villam primùm Iſaciciæ ſubiectam, Pretiſne incolis vocatam diripit, ovium tria millia, maiorum pecorum trecenta capita, captivorum viginti, ſex in pago interfectis abigit. Audito tormenti ſigno Bihachiani omnes occulto Chriſtianorum adventu perturbati, in arma convolant, ac vergente iam in meridiem ſole in campo Zavalie nuncupato noſtros aſſequuntur, ſigna explicant, ingentique ſublato clamore barbara in noſtros invehuntur ferocia. Gaſpar iuſſis ſuis frontem obvertere, adverſiſque pectoribus ruentem excipere impetum, illi animo præſentiſſimo implorata Divini numinis ope, eo fortunæ ſucceſſu hoſtium fregere ferociam, ut quinque ſupra decem primi ordinis neci datis, præſertìm verò exercitus Duce Dervis Aga Huduragich occumbente, ac ſex vivis

Gaſpar Frangepanus Turcas profligat.

in

in poteſtatem acceptis, cœteros omnes in turpem dilapſos fugam, feſſis atque anhelantibus iam equis, inſequi ulterius deſtiterint. Perturbato indignantique animo hanc tulere hoſtes ignominiam, & conceptus ſemel animi dolor pudorque ultionem ſtimulabat, quam noſtris denuò cauſam præbentibus ſe relaturos confidebant, tametſi ex adverſo Lupus Frangepanus eos propediem adventuros, vindicandæ cœdis acceptæ cauſâ ſuſpicaretur. Verum moræ longioris pertæſi anno eodem menſe Iunio, communi voto tres expeditas equitum Centurias ſub Duralia, peritiſſimo viarum duce, & Chriſtiano nomini infeſtiſſimo decernunt, ut Corenicio flumine Carloſtadio propinquo tranſvadato, omnem eam oram infeſtam reddant, & cœdis nuper à noſtris illatæ repetundarum poſtulent; Ijs ſilenti nocte adventantibus, ac noſtris è vigiliarum ſpeculis animadvertentibus, Frangepano Præfecto ſubitò indicatur, hoſtem pleniori numero adeſſe, & ad amnem Corenicium vado tranſitum conari. Iubet ille Gaſparum filium cum prætoriana militum ala expeditum eſſe, hoſtemque præcluſa reditus via fortitèr adoriri, cohortes brevi ſubſidio advolaturas. Albeſcente die ad primum teporem ſolis, incerta adhuc lux, ſpeciem rerum omnium multiplicem intuenti reddens, non ſolum hoſtem cunctabundum patefecit, ſed multò maiores copias, quàm res ferebat adeſſe perſuaſit. Magno nihilominus animo noſtri eos adorti, ſuos ocyùs auxilia confiſi allaturos ſubitò perturbârunt, quindecim eorum occiſis, viginti captis, præſertim Duralia expeditionis Duce rei Chriſtianæ inimiciſſimo, equis nobilioribus obtentis octuaginta. Cœteri per avia & devia qua cuique cœca ſorte obtigerat, palantes diffugere. Caſpari virtus eo in prælio præcipuè enituit, qui tres manu ſua in ipſo fervore pugnæ interemit. Duralia vivus in poteſtatem acceptus in vincula conijcitur, tetro deinde incluſus carceri mœrore tabeſcens, diris dudum devotam evomuit animam.

Iteratò Turcas fugat.

Turcæ ubi cumulatas ſe temeritatis luiſſe pœnas, & gemino iam prælio victis Ducibus ſemper ac præcipuis è ſuis amiſſis perſenſere, tàm virtutem Frangepani formidare, quàm adverſam fortunæ vicem incuſare cœpere; nec palàm amplius cum hoſte confligendum, ſed alijs artibus frangendas noſtrorum vires animumque cenſuêre. Itaque communicato conſilio in eam veniunt ſententiam, ut expurgatis vetuſtæ arcis Peruſicianæ ruderibus

Digitized by Google

deribus divulſæ murorum rimæ & hiatus novo compaginentur ędificio,& arx ipſa commeatu,vallo,militeque præſidiario firmetur,opportunum ibi ad omnem latè incurſandam regionem forę pręſidium,nullam Chriſtianis tutè vivendi facultatem, facilem, denium rependendorum ſibi incomodorum futuram occaſionē. Aggreſſi opus eo ſilentio proſequuntur, ac duas turmas ex univerſa Licæ Provincia ſelectiſſimas præſidij nomine imponunt; ut non ante quam exacto biennio noſtris hoſtium conatus innotuerint. Quare Ottociani & Briniani præſidia feſtino celeriq; nuncio ad Lupum Frangepanum expedito eundem admonent, quo maturè univerſis proſpiciat: cervicibus eorum Turcas imminere,& ſi locandis accolis tempus concedatur amplius, omnem Adriatici maris oram ſummo proximam eſſe periculo; ea ſe in tempore diſcrimen,in quo verſarentur indicare, & palàm profiteri,ſi cœteros periclitari accidat,ne ſua deinceps id eveniſſe culpa inſimulentur. Quibus cognitis angebatur Frangepanus,& operis perfecti celeritate, & temporis anguſtijs, quibus rem Cæſari & cœteris bellicarum rerum arbitris communicare prohibebatur. Itaque tacitus rem ſecum expendens,motus periculi magnitudine,univerſos ſtipendia merentes, ad certum diem Carloſtadium acciri convenireque iubet, ubi gravi & eleganti facundiâ,quâ Croaticus habetur Tullius,negotium exponens, ad arma capienda ac nudandam præſidio arcem eſt omnes cohortatus. Cuncti alacri animo rem ſuſcipiendam pro communi omnium ſalute rati, die altero proficiſcuntur, & confecto iam medio itinere, per montem Capellarum Lupus Frangepanus tradita ſummo cum Imperio Legione una filio Gaſpari,eum felicibus avibus iter continuare precatur,expugnationis maturandę dato mandato. Revertitur Lupus ad cœtera in futurum conſilio diſponenda,progreditur cum ſocijs Gaſpar. Pervenêre occultato iam ſole ad radicem collis arci vicini, eamque conſultantes tranſegere noctem,quâ demum ratione inſtituenda foret expugnatio,cùm ſe bellicis machinis deſtitutos viderent; & cœterum nuda pectora ignitis obijcere telis,quàm periculoſum,tàm temerarium iudicarent. Gaſpar ſecundam nominis famam ſuperioribus iam prælijs conſecutus, non periculorum terriculamentis percelli,ſed cùm Viri ſint,magno eis animo opus eſſe dicebat,nec quid obſtet fluctuandum; ſed quid ignominiæ ac detrimenti

trimenti non expugnato præſidio, quid gloriæ, quid immortalis memoriæ atque deinceps commodi eo obtento ſit futurum, præ oculis habendum. Quarè ſibi optimum è re videri ſi Harpagonibus, dolabris, cœteriſque ferreis inſtrumentis ad id ſecum allatis, ubi vetus novo iungitur muro ædificium, pluribus in locis ſubruatur, & patente hianteque muro pars ingreſſum conetur, pars per feneſtrarum foramina tuendo loco accommodata, arcis propugnatores longioribus ſclopetis prohibeat ſubmoveatque. Placuit cœteris conſilium, ac è voto ſucceſſit; etenim albeſcente imminentis diei luce prima, implorata ſummi Dei ope, meditatum aggreſſi negotium, duarum horarum labore perficiunt, & arcem ingreſſi Turcas omnes obtruncant, quatuor ſolùm vivis in potestatem acceptis, quorum unus Frangepani manibus è latebris extractus, ac vinculis iniectus eſt; alter porrò terrore necis perculſus, in profundam ſe ciſternam præcipitaverat, à noſtris deindè repertus ſuppeditatis ſcalis funibuſque ad exeundum adiuvabatur; verùm ille ſingulari pertinacia obſtinatus, cœmento, aliaque congeſta macerie opprimi ſuffocarique maluit, quàm in Chriſtianorum venire poteſtatem: noſtrorum novem muri potiùs ac decidentis materiæ ruina, quàm hoſtium virtute ſaucij, vivi tamen rediêre. Expugnato loco, arx ſolo æquata eſt; & Frangepanus victor rediens, lætus ſalutat Patrem, qui ſingulari quoque perfuſus lætitia, ovantem de hoſtibus Filium excipit benignè, plurimos in futurum triumphos adprecatus. Non minori felicitate arcem Familiæ olim Frangepanicæ Cetinenſem, cuius olim poteſtati Provincia integra, quam Comitatum appellant, ſubdebatur, occupavit ac diruit; ibidem namque Colonias Turcis iam locantibus, cùm adventantem Frangepanum certis nuntijs cognoviſſent, relictis ſtationibus ac univerſis colonijs profugêre. Atque ut eadem honoris celebritate fortunæque blandimento, rerum geſtarum ſparſam famam terminaret, quâ cœperat; progreſſus in campum Zavaliæ appellatum, eum omnem latè incurſans depopulatur, ac pluribus interfectis Turcis, mille ducentas promiſcui ſexus animas in Chriſtianitatem abducit, nullum in his omnibus expeditionibus, vel ſalutis, vel honoris diſcrimen paſſus, vno duntaxat Petro Iancovicio amiſſo, qui ſub arce Oſtroſicia profligatis Turcis, citatiore pernicis equi curſu raptus, ac inter hoſtes delatus, ab iiſdem captus, gravi æris

Peruſiciam arcem expugnat.

lytro

lytro poſtea penſo, decem millium fuerat elliberatus; Hæc è præcipuis, plurimis levioribus prætermiſſis.

His proſperè in Illyrico ſuccedentibus, novæ undique Svecorum excitæ Legiones (Romanis aliàs Scriptoribus ignotorum) Moraviam Auſtriamque in diſcrimen vocabant, ac vaſtatis impunè omnibus iam Crembſium, Chorneoburgum, ac ipſos Viennæ medio lapide propinquos pontes expugnatis mœnijs occupaverant tanta rerum omnium perturbatione, ut & Ferdinandus de fuga Græcium cogitaret, & civium animi ambigua ac incerta ſpe fluctuantes, celerrimi hoſtis pavore conſternarentur. Hinc malè rebus Germanorum conſtitutis, ſeveriſſima Ferdinandus Joanni Draſcovicio Regni Pro-Regi, & Lupo Frangepano mandata repetit, altiſſimam cum Turcis colerent pacem, nullam, ne leviſſimam quidem ulciſcendi eis, commovendique darent occaſionem. Quæ res generoſos Illyricorum animos ſuppreſſos, ac otiosè deliteſcentes torpere coëgit, eo præſertim tempore, quo mira Dei benignitate ac fortunæ beneficio Reſpublica Veneta, nullis externis adiuta ſubſidijs, univerſum Licæ & Corbaviæ in Croatia tractum, ipſum etiam Cliſſiæ inexpugnabile præſidium glorioſis ſucceſſibus è Turcarum tyrannide in Chriſtianam aſſeruit libertatem. Porrò cum ſapientiæ munus ſit in adverſis fortem, in proſperis cautum inveniri, ſagaciſſimi Veneti, quo tantis terra marique bellorum motibus exagitati, validiores adverſus hoſtem reddantur, tempeſtiva per Legatum oratione Lupum Frangepanum conveniunt, ut ſi fortè Croatiæ fines poteſtati ſuæ ſubiectos, apertâ vi penetrare barbarus moliretur, Chriſtianæ Religionis ac vicinitatis mutuæ memor, fortem in reſiſtendo navaret operam, quem etiam inſigni torque è mille cuſo aureis, elegantis artificij per Rudolphum Suarangam Iadrenſis Vrbis Gubernatorem, opimi muneris loco cohoneſtant.

Lupus Frāgepanus à Venetis aureo torque honoratur.

Dum hæc de Frangepanibus extremam manum recipiunt, accepimus amici cuiuſdam operâ, Libellum Joannis Baptiſtæ Veri rerum Venetarum, adeò faſtuoſum atque arrogantem in extollendis Venetis, procacem in omnium Nationum Viris contemnendis, impudentem in mendacijs conſarcinandis, inurbanum atque ruſticum, in graviſſimos Heroes, ac præclariſſimos milites acerbiſſimè garrientem; ut profectò modeſtum ac eruditum lectorem, primâ ſui lectione & tædio afficiat, & odio inficiat;

Apologeticon contra Ioannē Verum.

Digitized by Google

ficiat: quare meritò Falſi potiùs agnomen, quàm Veri uſurpaſſe debuiſſet, ne tàm decoræ vocis gravis impoſtor ab omnibus haberi mereretur. Hiſtoricus quidem dici & audiri cupit, ſed adeò hiſtoricæ veritatis ac modeſtiæ limites exceſſit, (quæ duo gemini velut eius oculi ſunt) ut graviſſimam hiſtorico nomini maculam notamque inuſſerit, & omnes de eo Hiſtorici, repetundarum jure optimo poſtulare deberent. Quanquam imperitiorum oculos ſpecioſis verbis, quæ ad calcem opuſculi ſui appoſuit, vela-
" re conatur, ubi ita loquitur: *Vetera quidèm ſupergreſſa ſunt vi-*
" *tium obtrectationis ipsâ ſuâ antiquitate, & concordi Scriptorũ te-*
" *ſtimonio; in præſentibus pretium hæret veritatis, quæ proinde ad*
" *alia nobis carior eſt, quàm ut ijs quæ nuper geſta vivorum adhuc*
" *conſcientia variantur, reliquæ ſcriptionis noſtræ conſtantiam ve-*
" *limus invertere.* At profectò vetera, quæ refert, nec antiquitate, nec concordi ſcriptorum teſtimonio falſitatis vitium ſupergreſſa ſunt, multò minùs præſentia pretium veritatis habent. Opinabatur quidẽ ille neminem quodammodo veterum revolvere monumenta, eorumque habere cognitionẽ, proindè cùm in tam vetuſtis rudiores deluſiſſe ſe confidiſſet, in præſentibus etiam facilem ſibi fidem à peritioribus adhibendam credebat. At effrontis omninò hominis eſt veteribus nova iungere mendacia, & veritati quodammodo bellum indixiſſe. Mihi nunc nec omnia, nec ſingula perſequi propoſitum eſt, graviora tantum, & ad propoſitum noſtrum magis pertinentia aliorum authoritate Hiſtoricorum confutare viſum, ut ex his facilè prudens Lector de cœteris iudicium ferat, quàm fortè pauca ſint, quæ Scriptorum teſtimonio concordent, & clariſſimi potiſſimum Viri Lupi Frangepani hodie etiam viventis, quem acerbiſſimis ac contumelioſiſſimis proſciſſum verbis commaculat, famam integram vindicare.

Ac illud primum occurrit quod Lib. 1. fol. 39. ad annum
" 1023. his verbis refert. *Hoc anno Murcimirus*, inquit, *Libur-*
" *niæ vulgò Croatiæ Regulus prædabundus in Iadrenſium fines ir-*
" *rumpens Venetos ad arma traxit. Ne igitur illata fœderatæ genti*
" *impunita eſſet iniuria, noſtri ex improviſo feruntur in hoſtem, atq;*
" *uno quaſi impetu profligatum in ſuorum montium anfractus &*
" *latibula cum cœde propellunt. Fugatis Liburnis eo tamen uſq;*
" *inſtant, donec ad victoriam nil ultra prædam deeſſet, quam ube-*

rem

rem & ſanè luculentam accumulant. Hæc res non minus Murcimiri temeritatem caſtigauit, quàm turpis antea fuga. Cæterùm petenti data pax, quam cum potentioribus colendam, neq; æmulatione potentiæ validiores irritandos, ſuo malo didicit. In his paucis lineis præter proprium faſtum ac aliorum contemptum, tria latent aut mendacia ſi ſcientèr, aut errores, ſi ignorantia preſſus hæc aſſeruit: Nam imprimis Liburniam Croatiam dici, ſanè aſſeruiſſet nunquam, ſi Paulum Jovium Lib. 13. legiſſet ita ſcribentem. *Ea Regio* (Croatia de qua ſermonem habet) *ad Illyricum pertinet, ab Aquilone latos habet campos, ab Auſtro ad Iulias Alpes uſq; ad Liburniæ oram ſe extendit.* Videri etiam poteſt Ranzanus in Epitome rerum Vngaricarum Indice primo. Sed cùm maiores adhuc ſuperſint errores, non tàm rigidi eius Cenſores eſſe velimus, ut hoc grandi Hiſtoricæ cognitionis demus vitio, cùm Liburniam vulgò Croatiam velut ipſi conterminam appellaverjt, quamvis eidem è diametro Ranzanus repugnet. Verùm de limitibus horum Regnorum aliàs à nobis Libro primo ſatis dictum. Illud ineptè prorſus, quod ad annum 1023. Murcimirum Croatiæ Regem conſtituit, cùm adhuc anno 1003. Creſcimirus Dalmatiæ Rex in Sclavoniæ & Dalmatiæ Regem coronatus ſit, ac uno ſupra Trigeſimum anno Imperium produxerit, cui deindè Zvonimerum ſucceſſiſſe conſtat, nec Liburniam diſtinctum unquam habuiſſe Regem, ut Libro primo ex Tuberone docuimus; ex quibus demùm conſequens eſt, eo tempore minimè Dalmatiam Venetorum poteſtati, ſed Creſcimerij Imperio unâ cum Liburniâ paruiſſe, nec Venetos tunc Iadrenſes velut ſibi fœderatos defendiſſe; totam proindè hanc eius narrationem, quàm faſtuoſam, tàm fabuloſam eſſe, perſpicuè intelligi poteſt. Videat nunc ergo noſter iſte Falſus, quomodo hæc vetera ipsâ antiquitate ſint veritatem ſupergreſſa, & Scriptorum teſtimonijs nequaqnam cohæreant. Multò profectò minùs ipſe Falſus cohæret ſibi, qui uno impetu Croatas in latebras & montium ſuorum anfractus à Venetis, velut pulverem à vehementiſſimâ ſpiritus procellâ diſſipatos ſcribit; Neque enim eos tàm timidos ac fugaces ad annum 1576. Item ad annum 1615. declarat, ut hic etiam illud aptari videatur: *Mendacem memorem eſſe oportere mendacij.* Demùm ubi poſtulatam à Liburnis pacem improperat, neque æmulatione potentiæ va-

Digitized by Google

lidiores irritandos docet, voluiſſem ut & ſuos docuiſſet Venetos cùm ad annum 1118. à Pannonijs victos amiſſo Duce non armis amplius, ſed precibus obviam victoribus proceſſiſſe referat, neque id ignominiæ imputet; *Cùm & id*, inquit, *cenſeri debeat honeſtum, quod tuendæ Reipublicæ causâ ſit factum*; Quod ſi & Liburni tuendæ Reipublicæ causâ id feciſſent, cur eis honeſtum eſſe non debuiſſet, aut Venetis ignominioſum æmulatione potentiæ validiores irritaſſe, non video. Sed ultra. Ad annum 1423. ità habet: *Sub hæc etiam tempora flante à mari proſperâ fortunæ aurâ ſelectiſſima Claſſis Adriaticum nauigauit, quæ Petro Lauretano Ductore cùm totam Dalmatiam perluſtraſſet, tantâ Incolas affecit formidine, ut uniuerſa ea Regio non armorum impetu, ſed ſpontaneâ deditione, Pannonico iugo excuſſo, rurſus Reipublicæ Dominationem ſuſceperit, anno 58. poſtquam vi Barbaræ Genti paruiſſet.* En quàm ſuperbè, quàm in paucis prægnans fraude. Etenim ſi Tullius aliquando Dalmatis imprecatus, eos ſemper bellicoſos aſſeruit, & Batho potens in Dalmatia Princeps, (à quo fortè Bathorij ſuam duxêre originem) impatiens Romanorum Lupinæ feritatis Præfectorum concitatis ſuis, multum Romanis damni intulerit, nec antè quam triennio evoluto Tiberio potentiæque Romanæ ſeſe dedidit, liberâque conſtantiâ Tiberio poſtridie pro Tribunali ſedenti ac quærenti, quid ità deficere, ac tantum temporis rebellare Romanis ſtatuiſſent, reſpondit; *Vos*, inquit, *ipſi in culpâ eſtis, qui ad veſtros greges cuſtodiendos non canes paſtoreſuè, ſed Lupos mittitis:* nec demùm niſi pacificatione Batho Romanis adhærere voluit, ut Salianus ad annum Chriſti 8. notavit. Quod ſi denique Appianus Libro de Bellis Illyricis negat ſe abundè cognoviſſe, quemadmodum ſub imperium illos adegerint Romani; Mirum profectò Claſſem Venetam adeò Romanam potentiam ſuperaſſe, ac tantæ formidini atque trepidationi univerſæ fuiſſe Dalmatiæ, ut oblitâ virtutis priſtinæ ſpontaneâ ſtatim deditione infantili more ſuccumberet. Quanquam ut aliquid Falſo concedamus, verùm eſt non armorum impetu, quibus ſe parùm profecturos noverant ſubegiſſe; ſed præſtantis auri copiâ, ac inſana pecuniæ quantitate, tenaci hominum viſco, Dalmatarum Principum animos, occaſione ex morte Ludovici Venetorum mallei aucupatâ, alliciuiſſe ſibi Venetos, quemadmodum & ſecundo Libro adnotavimus.

Libro 5. Epiſtolarũ.

Digitized by Google

mus. At Pannonijs velut barbaræ genti, & quidem vi Dalmatas paruiſſe, fallitur Falſus. Et quod non venenati animi indicium, Chriſtianos fines ſuos aut tuentes, aut recuperantes barbaros compellare? Ad annum 1496. quæ Venetos extollendo Piſanis contra Florentinos ſummis auxilijs ſuccurrentes referat, quàm ea Scriptorum teſtimonio concordent, videat lector Jovium Libro primo circa medium. Et ſi Hiſtoricam ſynceritatem habuiſſet, retuliſſet etiam haud dubiè bellum Auſtriacum ad annum Milleſimum quingenteſimum decimum, quo Livianus ac Baleonus cum Cordiano ac Proſpero Columnâ Auſtriacis Ducibus collatis ſignis exercitum perdiderunt, ac Mediolanenſem deinde Vrbem Maximiliano cedere ſunt coacti, neque hæc fraudulento præterijſſet ſilentio. Ante hunc annum graviſſimum Ferdinandus Venetis bellum intulerat, quo Chriſtophorus Frangepanus Dux bello inclytus adeò res eorum quinquennio integro afflixit, animoſque contrivit, ut omnibus belli calamitatibus fracti, deſtitutique à finitimis, victorum arbitrio ſe dediderint, quem proindè ineptè Falſus noſter in prima expeditione vulneratum ſcribit, & quamvis tertiâ id ei acerrimè prælianti contigerit, non tamen cum ignominia proiectis Inſignibus, ut ignominiosè Falſus blaterat. Sed Iovio referente Lib. 12. *à Ioanne » Veturio,* inquit, *in inſidias præcipitatus captus eſt, ſuoq; & alieno » cruore perfuſus (multum enim Vir lacertoſus atq; terribilis, ne » vivus in poteſtatem hoſtium veniret, repugnarat) Venetias per- » ductus, teterrimo carcere includitur anno M. D. XIV.* » cuius ingenioſam deindè è captivitate eliberationem, eleganter Iſthvanffiius libro ſeptimo eſt proſecutus, ubi plura de eiuſdem celeberrimi viri laudibus. Non minori cladium ſerie Lupus Frangepanus Chriſtophori nepos Venetos attriverat, quàm olim Chriſtophorus ipſe, orto inter eos ac Ferdinandum Archiducem bello, anno 1615. cuius altius exaſperârat animum crudelis Ioſephi Rabathæ Oratoris ſui mors, eorum voluntate atque imperio patrata; quarum causâ quanta conviciorum ſcommata, & petulantiſſimorum verborum aculeos in Virum celeberrimum Falſus iſte congerat, non ſine gravi animi ſenſu atque indignatione legi poteſt; impudentiam omninò induiſſe videtur, & Thraſonem magis quam Hiſtoricum egiſſe. Nullum ſæviorem, immaniorem, barbarum magis hoſtem eſſe Turcâ, orbi univerſo no-

tum;

tum; nec tamen memini ullum me hiſtoricorum legiſſe adeò humanitate exutum, & pudoris omnis oblitum, qui eâ verborum petulantiâ in eoſdem debacchareτur, quâ Falſus in Virum Principem omnis humanitatis ac probitatis Ideam furit. Non hæc è mente atque ſenſu Reipublicæ ſuæ Falſum hauſiſſe arbitror, quæ eodem penè anno, quo ille ſcommata mendaciaque ſua impudentiſſimè in lucem edi paſſus eſt, honorificâ ad Frangepanum legatione expeditâ, eum fide, integritate, ac dignitate Virum celebrem, & velut communem militaris diſciplinæ ſui temporis Magiſtrum ſalutans, precibus muneribuſque onerans inſtantiſſimè ſollicitavit, ne dubijs cum Turcâ rebus ſuis opportuno auxilio poſtulante neceſſitate deeſſe vellet, ut paulò ſupra retulimus. Hæc Falſo reponere placuit & neceſſe viſum fuit, ne infamis eius libellus per diverſas volitans manus, varijs refertus mendacijs pretium ac laudem veritatis referat, quem ſimul ſi hodie in vivis adhuc eſt amicè monemus, ut animadvertat calamum paſſionum atramento tinctum nequaquam hiſtorico ſtylo cohærere, & ſe ſcriptionis ſuæ conſtantiam, magno ſuo probro plurimum invertiſſe. Hæc tantorum Virorum merita ac inclyta Frangepanûm Familia hâc de ſe occaſione dici deſiderabant; nunc ut ad Draſcovicium Proregem, à quo digreſſi non injucundâ fortè divagatione tantiſper fueramus, redeamus, ſtylus & tempus admonet.

Inaugurato igitur eo in Proregiam dignitatem à duobus ſupra memoratis Proceribus, coram Patriæ Senatoribus tertia decima die Iulij Anno 40. ſupra 1600. in ſequenti die educitur in campum à Paulo Comite Pallffio, tunc Theſaurario Regio nunc Curiæ Iudice; ut quemadmodùm in Regno curam Provincialium ſuſceperat, ità in campo Patriæ fines non modo tutandos, ſed verò ampliandos etiam eſſe intelligat. Quibus peractis prædudij loco, fortunæ tentaturus favorem brevi poſt collectis in unum copijs Banalibus, ac Carloſtadianis, ut univerſi quatuor conſtarent millibus, pro eximendis à barbarorum iugo, ac in Chriſtianas partes reducendis Thracibus, qui ſe cum familia, pecoribus, ac facultatibus auctore Tudor appellato, tranſituros ſpoponderant, ſub Petro Keglevicio, quem ſuo nomine præeſſe voluit, Iamniciam verſus eos expedivit. Noſtri ut rem periculi plenam cautè aggrederentur, tres peditum centurias pro

edu-

reducendis Thracibus mittunt, reliquis ſub Quoſdantia Zrinio-rum Comitum argenteis mineris celebri olim arce, Turcarum inſequentium impetum excepturis, ſubſiſtentibus. Res uti à noſtris prævisâ fuerat, evenit; peditibus enim noſtris cum Thra-cibus, ac opima præda redeuntibus, inſequentes hoſtes ſub Quoſdantia ea fortuna noſtri inſidijs occultati excepere, ut 14. eorum captis, pluribus autem interfectis, cæteros in effuſam fu-gam, potiori ex parte vulneratos, retro egerint; è captivis unus Odabaſſa novo datus Bano, Bradavica autem Aga (quem ve-rucam latinè dixeris) Lupo Frangepano ob eximiam Carloſta-dianorum virtutem ceſſit, cæteris captivis, pro more militibus diviſis. Præerat Carloſtadianis Frangepani nomine Caſpar Iancovicius, qui præter egregij, omnibusque prælijs feliciſſimi bellatoris laudem, iam etiam ad temperati ac maturi Ducis no-men & famam, haud dubiè perveniſſe credebatur. Benè omi-nato hoc principio, velut futuræ felicitatis accepto augurio Ba-nus animatus, numeroſa poſtea exercuit prælia duce Petro Pata-chicio, ſecundâ ſemper fortunâ comitato; is ſiquidem conſilio manuque promptiſſimus, incautos ſæpiùs hoſtes in dolos præci-pitabat, præcipitatosque egregie ſternebat, vir ſanè fortis & ſtrenuus, & qui iam dexterâ ſuâ hoſtilem, in latus Turcicum, generosè perfregit haſtam. Irritati Turcæ iniurijs Patachicij alio ulciſcendi cauſa animum adjecerunt, & nacta quidem op-portunitate, quod captum Siſcij incolam Marchecium appella-tum habuiſſent, eoque in ſuperſtitione Mahumeti apud eos rema-nente, eius opera Siſcianos invadendos, quod brumali glacie Colapis concretus intelligeretur, conſtituerunt: profecti igitur Coſtaniciâ ad ſecundam noctis vigiliam, ad turrim quandam latericiam Divæ Virginis Viſitantis quondam Eccleſiæ, perve-niunt, ibique cum nullas, à noſtris aliàs obſervari ſolitas excu-bias reperiſſent, ſilentio ſummo per declive collis Colapim attin-gunt, ac eo pertranſito, ingenti ſublato clamore, flammiſq; ma-palibus iniectis, noſtros ſomno oppreſſos adoriuntur; & pars quidem eorum, fœminas pueroſque è medio flammarum fugi-entes capiunt, pars verò Parochialem Eccleſiam invadentes, valvas diffringunt, altare quod pictorio fulgeret auro ſolidum rati in partes convellunt (ſed ubi ſe ſplendore deluſos viderunt, ab ulteriori confractione abſtinuerunt) calices demùm, cæte-

ramque

Prima Draſcovi-cij fortuna

Petrus Pa-tacicius vir fortis & ſtrenuus.

Digitized by Google

ramque Sacram ſuppellectilem abripiunt; noſtri eorum vociferatione excitati arma rapiunt, ſed ut cœcâ nocturnâque feſtinatione accidere ſolet, tardius mutuo auxilio eſſe poterant. Sacerdos loci Ioannes Philipaſſicius è domo in confertos per cœmeterium Turcas plumbeas emittens glandes, unum aut alterum interfecit; diſſipati indè, Turcarum unus è ductoribus præcipuus domum per gradus aſcendere, ſacerdotemque aut neci dare, aut captivum abducere conatus, ex ipſis gradibus traiectus devolvitur: eius caſu exacerbati cæteri, acriori glandium procella è diverſis partibus ingruunt, ac tandem penetrante globo Sacerdos in inguine vulneratur; tum ille debilitatus vulnere in domum ſe recipit, ac de vita, irruentibus iam iam hoſtibus deſperans, Superis animam commendabat. At ecce Divina prorſus protectione, ac ſingulari Dei beneficio accidit, ut puer vix tertium aut quartum annum ſupra decimum agens, arrepto gladio inanes vibrans ictus, minaſque intentans, eouſque hoſtes aſcendere prohibuerit, donec alij auxilio adcurrêre, quorum metu hoſtes univerſi perterriti effusâ fugâ Colapim repetivere. Vnde meritò æſtimare poſſumus, plus hoſtes ignominiæ ac dedecoris hac expeditione ſibi, quam aut laudis, aut utilitatis peperiſſe. Et quidem ſi vicini in Odra fluvio milites tormentorum in arce reboantium fragorem citiùs exaudire potuiſſent, memorabilem ſanè Turcæ cladis ſuæ memoriam poſteris reliquiſſent.

Coſtanicienſes Turcæ Siſcianos invadunt.

Appetente huius anni verè Calend. Aprilis renovatur Monomachia inter fratres Ioannem Patachicium Ivanicij, & Petrum Lethovanicij Præfectos, quorum illum Chekich Aga, hunc verò Chor Begus (quod monoculus eſſet ſic dictus) ambo Coſtaniciæ Equitum Præfecti, ob veteres de captivis controverſias & acerbiorum verborum proſciſſionem, ut ferro cœteris ſpectantibus litem terminarent, evocaverant, Petriniæque congreſſus locum conſtituerant. Advenêre quidem utrinque honeſto ſtipati comitatu duellantes, verùm Georgius Schwarcenburgus Ioanni, Banus verò eo in loco Petro certamen interdixerant, & ſi eorum aliquis pugnam aggredi attentaret, eum veluti mandati prævaricatorem, Lupus Erdödius loci Præfectus, è Petriniæ mœnibus tormentis ſubmoveret. Vbi in mutuum conveniſſent conſpectum, verbaque ad invicem miſcuiſſent, tum prior

Nova Turcarū provocatio.

Chekich

Chekich Aga ad Joannem: *Non ego*, inquit, *chare frater emeritus in decrepita miles ſenecta ad violandum amorem fraternum, non ad ſpargendum amicum cruorem huc adveni, oſculo fraterno, amplexuq; amico te ſalutatum veni*: Tum Ioannes eundem amplexatus amicè affatur, gladioque ad pugnam præparato donat, quod quidem à multis ſanè gravi datum vitio, nec ab ipſo Turca collaudatum; ſed multa poſtea mentitus factum id in timiditatis ſignum interpretabatur. At ChorBegus ſpumuſiori uſus allocutione: *Adquid*, inquit, *huc convenimus, niſi ut contractas longo tempore rixas non fœminarum more loquacitate continuare, ſed militari congreſſu terminare pergamus*; Quibus auditis Petrus Patachicius, ſubitò deſiliens equo, & acinacem duello deſtinatum arripiens; *Eia*, inquit, *etſi machinis bellicis in nos deſuper detonabunt, arridebit fortuna, ut duos treſvè ictus evibrare liceat; quod ſi hoc in loco aliena poteſtati ſubiecto id non concedatur, ad Breſtum quod ducentorum vix paſſuum diſtat, Banalis Iuriſdictionis accedamus, ibiq; acceptâ iam in præſentibus literis poteſtate, Vir Virum, Miles Militem experiatur; aut ſi fortaſsè non me, ſed commilitones hic adſtantes formidare videris & huic ſtabo pacto, ut in medium deducto ponte Colapim, nos in eo, ſoli Aganothetarum inſtar luctam ineamus, hauſtumq; Colapis ad æternam extinguendam ſitim, nobis invicem propinemus.* Deferbuerat ad hæc Chorbegi ferocia, Gaſparemque Orehocium Vice-Banum, qui Draſcovicij Bani nomine cœteris præerat, accedens propius iratum iam hoſtem declinabat; ita demum ultrò citroque habitis ſermonibus infecto negotio ab invicem ſeceſſere. Verùm quàmvis animus fuerit Draſcovicio id pugnæ genus permittendi, colloquium tamen etiam Turcarum, data utrinque induciarum fide exoptabat, quò pretium tandem redimendorum captivorum certum ſtatueretur; eo iam enim inſatiabilis Turcarum avaritia, pecuniæque ſitis excrevit, ut gregarium etiam militem multis centenis, pleroſq; etiam millenis nummis argenteis, quos talleros vocant, pretio æſtimare ſint conſueti. Iamque Draſcovicius mediâ propè Legione collecta (cui & nos interfuimus) Berkuſſam verſus iter ſuſceperat, cum certus affertur rumor Turcas nequaquàm ad colloquium comparituros, ſed privatum ſaltem cum Patachicijs ad Petriniam eos ſermonem deſiderare; quibus proindè eò miſſis, cœterorum in ſua quiſque reverſus eſt.

Petri Patachicij magnanimitas

 Quieſcen-

Digitized by Google

Quieſcentibus deinceps per æſtatem Coſtánicianis, ac ijs qui Savi ripam incolunt, Claduſſiani tractum Carloſtadianum ac præcipuè oppidum arcis Steniſniciæ Rechicam dictum, quod tunc Draſcovicij Bani poteſtati parebat, frequentiùs infeſtabant; quibus tandem commotus Banus, ſumptis ſecum ſex peditum, ac quatuor equitum centurijs, eos cohibendos ac caſtigandos conſtituit. Omnibus igitur ad ſextũ Idus Novembris in Zredichco convenire iuſſis, ſeptimo Idus Colapim traiecit. Aderat cum eo Lupus Erdödius alterius Lupi filius Bani gener, cum insigni equitatu iuvenis magnanimus, & qui maiorum ſuorum veſtigia preſſiùs tenebat, Georgius Rattcaius ad futura ſeſe diſponens tempora, primaq; militiæ rudimenta poſitur⁹, Gaſpar Orehocius Vice-Banus, Vir cordatus timoriſque neſcius; Joannes Voicovicius veteranus turmæ Ductor, mileſque multis probatus periculis, alijque complures. Progredientibus itaque univerſis meridiei tempore in Slatkopolie ut vocant, id eſt dulcem campum, ad minorem Trebche rivum, quod adaquationi equorum, iumentorumqueſarcinariorum opportunus eſſet, exercitus reficiendi corpora ſpatio conceſſo ſubſtitit. Ibi de progreſſu ulteriori, ac totius rei ſucceſſu conſilijs agitatum, in eamque concluſum ſententiam, ut Petrus Patachicius cum Sigiſmundo Mernavicio Lupi filio cum quatuor peditum cohortibus præcederent, ac univerſa diligentèr obſervarent ſi quid pecoris ac hominum intercipi abigique poſſet, ij diluculo facto ſublato clamore id officij præſtarent, prædamque centuriæ uni abigendam darent, altera ſeſe continente, ut inſequentes prædam hoſtes, à fronte tergoque intercepti, velut indagine clauſi, aut occumbere, aut ſeſe dedere cogerentur. Præeuntibus igitur ijs, lentoque paſſu exercitu ſubſecuto, ad collem quendam arci vicinum, ita ut excubiæ hoſtium facilè exaudiri poſſent, in multam noctem perventum, quieſque data militibus; albeſcente deinde aurora, de alia redeundi via, quod heſterna tranſitum quendam periculoſum, ſi ab hoſtibus per notos tramites feſtinantibus occuparetur, haberet, conſultatum: itaque conſcenſis equis, ad planiciem quandam ſecedentes, ſocios expectavere. Socij ſub arce paucos boves occurrentes accepere duobus interfectis Thracibus, quanquam certò poſteà conſtitit, noſtros facili negotio arcem ipſam, dùm portæ aperirentur ingredi, omnibuſque multo vino

Claduſſanorũ Turcarum caſtigatio.

ſopitis,

ſopitis, quod hilaritati feſtiviſque nuptiarum lætitijs nocte præcedenti indulſiſſent, trucidatis, arcem occupare potuiſſe, ſi invadere attentaſſent. Verum Turcæ audito tormenti ſigno, è cubilibus proſilientes, brevi peditum è vicinis etiam locis centum, equitum quadraginta concurrerant, noſtrorumque terga prementes, tribus fortitèr vicibus in noſtros fraude ſemper uſi irruperant; ſed repulſis ſemper ijs, ac aliquot interfectis, unoque eorum primario ductore capto, ac tribus militaribus ſignis, vulneratis etiam pluribus, noſtris non niſi duobus læſis, reditum eſt. Noſtri dum rurſum labore longoque itinere feſſi ad Threbcham rivum vires reficiunt, turma una hoſtilium equitum boatibus forſan tormentorum matutinis excita, opportunè Georgio Gregurocio præeunti obviaſſet, niſi clangentes tubas tympanaque perſtrepentia, in victoriæ relatæ lætitiam inaudiviſſet; ijs enim auditis, maiorem ſolitò exercitum victoremque adeſſe rata, effuſam fugam dedit, ut nos ad eundem pervenientes locum, eius fugæ veſtigia graminis proculcati ſeſe relevantis, deprehenderemus; atque ita benè inchoatum pugnæ exordium, meliori terminatum epilogo vidiſſemus, niſi in tempeſtiva triumphi ſigna edidiſſemus. Sed nec minus felici arridentis fortunæ ſucceſſu, affecta iam æſtate, Lupum Erdödium, ac Gaſparem Orehocium, cui cœteri parere iuſſi; ſub eandem Claduſſam expediverat Pro-Rex Draſcovicius. Captus enim nuper iteratò viarum ductor (qui paulò ante poſito lytro liber à Nicolao Comite Frangepano diſceſſerat) Comlianus appellatus, fortunæ ludibrio apud hoſtem pertæſus; Chriſtianis ſe deinceps adhæſurum jure jurando affirmabat, inſtabatque vehementius, ut Banus expeditione facta, conjugem, liberos, facultateſque omnes inde ſuas reduceret, ſe quoque in re benè perficienda utilem navaturum operam. Itaque obtenta expeditione noſtris progredientibus, fortuna ita ferente hoſtes quoque occaſionem aliquam probaturi obviam facti, à primo ſtatim noſtrorum impetu in turpem conjecti fugam, amiſſis aliquot ſuorum, degeneres nullo contracto certamine palanteſque diſparuere. Sed nobile illud, & à ſæculis inauditum, ab Emerico Comite Erdödio Petriniæ Præfecto, hoc eodem anno patratum ſtratagema, omittendum haud eſſe videtur. erat Turcis Coſtanicienſibus captivus Chriſtianus Leginich appellatus, vir militaris, & ut ab hoſtibus putabatur

Mira Captivorum è Coſtanicia liberatio.

dives; cuius fides ſex aliorum captivorum lytro onerata, eum pluribus annis in ſquallido hærere carcere vinculiſque cogebat. Itaque apud ſe reputans, omnes alios dimitti captivos, ſe unum in ærumnoſa captivitate perpetuo detinendum, infelicem & acerbam tandèm finiturum vitã, niſi divinâ ope, ac occulto Chriſtianorum auxilio ſublevatus eliberetur. ad aſtum igitur converſus, veſtigia clavium, quibus vincula reſerari occludique ſolebant, diligentèr obſervat, ac in cera deindè efformat, eaque per commeantes captivos Petriniam Erdödio mittit, ut alijs ad eorum ſimilitudinem confectis, eæ opportuno tempore uſui eliberationis eſſe poſſint. Erdödius rem cordi accipit, breviquè per fabros rem petitam confici curat; Tùm verò aſſumpto forti equitatu (quamvis aliorum ſententijs à propoſito ſummi ſcilicet periculi pleno, & prorſus inani diſtraheretur, alioque convertendum militem avocaretur) & aliquot peditum centurijs, quarum tres Banus Draſcovicius ſuas auxilio eſſe voluit, ita Coſtaniciam progreditur, ut ad ſecundam noctis vigiliam eo perveniret; ibi commodo in loco ſtruendarum inſidiarum omnes collocat, quinque ſolum aut ſex cum homine loci perito, qui olim apud hoſtes eo in præſidio ſtipendia merebat, ductorque viarum fuerat, & ad noſtros poſtea transfugerat Petek cognominatus; clavibus ei traditis, rem peragere iubet: illi invocata Divini numinis ope, clandeſtino ſilentio vado Hunnam tranſeunt, oppidumque ingrediuntur; pergentibus deindè ad carcerem, in medio quaſi oppidi ſitum, neminem ibi, præter duos alto ſtertentes ſomno cuſtodes, eoſque à carcere paulò remotiores repererunt, tum conſcendentes carceres per extantes trabium extremitates tabulatum perfringunt & aperiunt, ac ingredientes carcerem clavibus obſerata vincula reſerant, compedes lineis telis, ne prodente ſono Chriſtiana fraus detegatur, obvolvunt, captivos demùm quinque humeris exportant, equiſque ad id præparatis, ac ſecum adductis impoſitos, intactis cuſtodibus relictis, felicitèr carcere oppidoque eductos, ad noſtros perveniunt. Noſtris ſingulari lætitia perfuſis, ac immortalibus Deo gratijs redditis, vinculiſque captivorum ſolutis, hoſtes, ſi forte ablatos inſequerentur, in multam diei ſequentis lucem præſtolantur. Verùm Turcæ animadverſo ſtratagemate, uſque Hunnam flumen progreſſi, viſis ibi equorum veſtigijs, noſtros magno numero certo

inſi-

inſidiarum loco, uti erat, adeſſe & expectare rati, ea ignominia ac dedecore revertuntur, ut vel ipſis poſteà confitentibus, maluiſſent dimidiam Coſtaniciæ partem incendio cum univerſis facultatibus conflagratam vidiſſe, quam eius ſe ſocordiæ, ac extremæ in cuſtodiendis Chriſtianis negligentiæ reos fuiſſe deprehenſos, præterquam quod decem millium tallerorum pretij captivorum turpiſſimè amiſiſſent. Memorabile hoc, & audax nimis factum, uti nondum à nobis, quibus gloriæ ceſſit; ita nec à Turcis, quibus ignominioniæ, oblivioni tradi poteſt.

Quod felicitatis ac lætitiæ de ſuperatis ſemper hoſtibus hactenus accepimus, hoc omnibus poſteà in nos concitatis elementis, malo futurorum indicio, deplorare cogebamur; poſtremique hi duo Anni 1645. ſcilicet & ſextus, multis calamitatibus in omnem memoriam nobilitati viſi ſunt; ita nimirùm ſummo Deo flagitia noſtra ulciſcente, ut qui iuxta Divum Gregorium in cunctis deliquimus, in cunctis feriamur; ut impleatur quod dicitur: *Et pugnabit pro eo orbis terrarum contrà inſenſatos.* Nam & terræ motus inuſitati ac frequentiores univerſum propè Regnum concutiebant, & ea aëris inæqualitas vigebat, ut nulla fere Regni pars peſtiferâ contagione libera fuerit, vicinæque Provinciæ ſimili infectæ tabe, nulli tutam præbebant vitam, commeandique facultatem. Iam deinde tumeſcentium fluminum terminos ſuos longè latèque evagantium inundationem, iam immanes cœlorum mugitus, tonitrua, fulmina ea fuêre; ut vel Noëana tempora generali Cataclyſmo memorabilia, vel extremi tribunalis horam, mundo finem poſituram, adeſſe dixiſſes; ac ne quid malorum pœnarumve ad complementum defuiſſe videretur, anno quadrageſimo quinto, aliquot in locis vehementiſſimus deſævijt ignis, præſertimque Zagrabiæ Menſe Martio. Orto enim incendio hora noctis nona in ſuperiori Civitate, quæ Mons Græcius dicitur, ea immanitate graſſabatur flamma, ut non niſi pars Urbis tertia illæſa permanſerit: conſpirantibus deindè in perniciem undique ventis, delatoque in Canonicorum Collegium igne, illud penè totum cum duabus celebrioribus Eccleſijs, & arce Epiſcopali miſerrimum in modum conflagravit. Nec ibi ſiſtente flammarum furore in Vicum Italicum, Epiſcopali arci ac Iuriſdictioni ſubiectum ſeſe transfert, ſimilique debacchatur impunitate.

Variæ Regni afflictiones.

Incendium Zagrabienſe.

Et

Digitized by Google

Et quamvis inæſtimabilis pretij detrimentum ſit illatum, præcipuam tamen omnibus commiſerationem movebant inſignia quatuor incinerata templa, Divi Stephani Regis Cathedrale, Divi Marci Parochiale, Divæ Catharinæ Societatis Patrum cum Collegio, ac Sancti Franciſci eiuſdem Ordinis Regularium cùm Monaſterio, olim ipſius Seraphici Patris inhabitatione cellaque nobili. Ampliorem adhuc Deo de nobis ſumente vindictam, dum Cathedralis Eccleſiæ reparationi inſudatur, anno inſequenti fornix multis imbrium, pluviarum, ventorumque impulſibus labefactatus, cedenteque cui innitebatur columna, eo corruit detrimenro; ut Chorum, Epiſcopi Thronum, quinque ſub Choro Aras, Stallos ſiniſtræ partis dimidios, & quod ſine animi dolore dici nequit, nobiliſſimum, multorumque millium organum, omnia veteris magnificique operis oppreſſerit, comminuerit; miſeranda profectò horum omnium facies, lachrymas intuentibus elicit, precarique inſtantius ſummum Deum cogit, ut iam tandem vindicem, ac ultricem ſuſpendat manum, nobis interim acta hactenus mala emendaturis; Sed ad Draſcovitium, dolori tantiſpèr modum ponentes, redeamus. Increbuerat invalueratque rumor Turcam adverſus Venetos proficiſcentem omninò per partes noſtras tranſitum tentaturum, quod quidem ſine gravi Regni detrimento, periculoque futurum haud videbatur; & ad fidem augendam certis nuncijs afferebatur, Zrin Agam permiſſu Præfecti Boſnenſis arcis dictæ Mali Gradacz reparationi inſiſtere, iamque collapſum vetuſtate murum emendaſſe, roborum quoque ac terræ coagmentatione vallum erexiſſe, Portarum valvas, excubitorum pinnacula extruxiſſe, vicinum denique rus milites colere incœpiſſe; unde non exigua iam pleroſq; rumpendæ pacis, Caſtrorumque futurorum, quod reparationes arcium conditionibus pacis vetitæ eſſent, iuvaſerat ſollicitudo; Quibus intellectis Prorex Draſcovicius convocato Optimatum Concilio, de ferendis Regno auxilijs, de avertendo hoſtilis incurſionis periculo, de tuenda demùm conſervandaque Patria, conſultat. Decernuntur ad confœderatas Provincias pro bellico apparatu ſubminiſtrando, ac militibus etiam ſi neceſſum foret, legati; & in Styriam quidem Ioannes Voicovicius, in Carinthiam verò & Carniolam Matthias Orſicius, quorum iſte cum ſatisfactione omnium allato plumbi, ſul-

phurei

phurei pulveris, & aliquot colubrinarum minorum auxilio, honorifica inſuper futurarum ſuppetiarum, pro earum viribus ac facultate promiſſione, & ipſe à Provincijs donatus eſt remiſſus; Sancitum interim Procerum ſuffragijs, ut ingruente neceſſitate ad Bani mandatum, omnes pro communi omnium ſalute in Caſtra abſque mora convolare teneantur; Arcem verò Gradacziam demoliendam plerique ſuadebant, ſed ne à noſtris belli initia præberi viderentur, conſultius alij abſtinendum duxere. Itaq; Draſcovicius cùm aperta vi ſolo æquandam non iudicaret, Præfectis locorum poteſtati ſuæ ſubiectis dat in mandatis, ut Gradaczianos nulla quiete conceſſa indefeſſè vexent, eorumque agros ac ſegetes deſtruentes, in priſtinam convertant ſterilitatem. Unde brevi effectum, ut cum militari ſtipendio carerent, frugibus verò deſtructis vitam ſuſtentare nequirent, nec uſquam ſecurè arce egredi permitterentur, deſerta arce ad interiora ſeſe recipere ſint coacti. Hanc arcem cum alijs vicinis maiori Gradacz, antiqua Petrinia, & Caſtello Zokol, Martinus Frangepanus horum Regnornm clariſſimus olim Banus, & eximiæ in Eccleſiam Dei liberalitatis, Zagrabienſi Eccleſiæ Eleemoſynæ nomine pia munificentia, perpetuis futuris temporibus poſſidendas contulerat. Indefeſſam denique Draſcovicij operam ac ſedulitatem, in tuendis reparandiſque Confiniorum Præſidijs, eam fuiſſe certè conſtat, quæ ab annis iam prope quadraginta fuerat deſiderata; nam & veteres ruinam minantes, demolitus reſtauravit, & novas pleraſq; extruxit vigilias; arcem quoque Gore, Pokupzko, & Berkuſſam, ubique præſens ſolus, ex reſtituit integritati, quæ & diligentiam eius & Confiniorum tutiorem permanſionem teſtaretur; quorum omnium Nos ipſi individui eius harum expeditionum comites, teſtes ſumus. Nec ſe Draſcovicij vigilantia atque cura in tutandis finibus, cohibendiſque hoſtibus continuit; Sed ne à Thracibus Germanorum imperio ſubiectis, eorumque Præfectis in Patriæ viſcera ſæviretur amplius, neve plures, prioribus graviſſimis nondum compenſatis, irrogentur nobilitati iniuriæ, ſcriptis ad Cæſarem Ferdinandum publico Regni nomine literis, id effecit, ut Georgio Comiti Schvvarcenburgo, Sclavoniæ limitum Præfecto, in mandatis Cæſar daret, quo ille reſciſſis omnibus remoris, ac excuſationum tendiculis, ſatisfactionem Nobilitati pro illatis iniu-

Martini Frangepani magna Eleemoſyna.

Draſcovicius Commiſſionem Valachicã urget.

iniurijs impendat. Mittitur cum his Cæſareis mandatis, è medio Optimatum Varaſdini congregatorum ad Schvvarcenburgum Georgius Rattcaius, & Gaſpar Orehocius Regni Vice-Banus, qui præmiſſa officioſa Statuum ac Ordinum ſalutatione, Ferdinandi præſentant literas, earumque contenta in paribus Regno tranſmiſſa, facundè explicant; tùm demùm ut certum ſtatuat præfigatque diem, quo omnibus iniuriam paſſis fiat ſatis precantur. Is gratijs pro oblata ſalutatione redditis, literas ſe primum Cæſaris perlecturum, ac tum deinde quid facto opus fuerit, facturum reſpondit. Inſequenti die, ijſdem ad eum nuncijs expeditis ac priora repetentibus; præter expectationem tumultuosè primum queri cœpit, ſeque mirari dixit, quod turbatis hiſce temporibus, quibus Georgius Racocius univerſam Hungariam in immane chaos confundat ac involvat, novam Status & Ordines Thracum incitent ſeditionem: ad quæ cùm nuncij repoſuiſſent, nullo quidem pacto Regnum ullos civiles mutuoſque intendere motus, præſertìm cùm & Hungariæ ad eoſdem tollendos, pecuniario ſpontaneoque nuper ad conducendum militem fuerit ſubſidio; ſed expectare ſe ab eo, priſtinæ libertatis immunitatem reſtituendam, ac Juſtitiæ vel poſtliminiò ſatisfactionem impendendam; non ſe tumultus vereri, cùm voluntati ac mandatis Cæſaris paret; eius deniq́ue ſpei eſſe univerſos, ipſum præſentia ac authoritate ſua, Thracum inſolentiam, ſi quæ metueretur, cohibiturum, parteſque Regni Iuſtitiâ, & Cæſare iubentibus defenſurum. Ad quæ univerſa ille non ſe Croaticam geſtare veſtem reſpondit, ſed proprio quantocyus expedito tabellario Cæſari ſignificaturum, nequaquam turbatâ Hungariâ id negotij tractari poſſe, ad feliciora id tempora eſſe differendum. Tametſi autem poſtea Status & Ordines, de tam inurbano ſuperboque reſponſo apud Cæſarem queſti ſint, Racocio tamen ſemper magis tumultuante, ac Cæſarem à pace ad bellum avocante, res omnis in infectum abijt. Et verò perſenſiſſet Regnum iſtud paternam Draſcovicij in ſe curam, ſi diutius hunc Magiſtratum Cæſar eum tenere voluiſſet, conſtat enim nobis, qui cœteris frequentiùs ac familiarius eius uſi ſumus converſatione, quæ in animo ſuo agitabat, quam proficua Regno, quam opportuna Confinijs, quam generoſa facinora mente ſua digna; quæ omnia mutatione Magiſtratuum gravi Reipublicæ noſtræ iactura omiſſa dolemus.

Eſt

Digitized by Google

Eſt profectò quod lætetur Hungaria, ut quos Draſcovicius meritorum ſurculos Sclavonico, Croaticoque non inſeruit frutici, eos in Hungarica iam plantare pergat gleba; At benefica eius in omnes ſuos mens etiamnum ſeſe diffundit, ſpondetque ſe imitaturum ſolem, qui æſtivo aſſurgens tempore, quamvis longius à terra diſtet, potentius tamen univerſa fovet, vegetat, animatque. Graſſabatur Racocius per Hungariam ferro flammaque cuncta miſcens, longiori quam quiſque putarat tempore, donec tandem confecto inter eum ac Cæſarem Diplomate, pactiſque trium menſium inducijs, Centumviralis publicatur Senatus; Draſcovicius qui rebus ubique feliciter geſtis, ſumma etiam prudentia, diligentia, ac felicitate ſex adminiſtrato Magiſtratu annis Illyrico præfuerat, ad hunc Regalibus, ut vocant, literis vocatur, ad capeſſendam inſuper Palatinatus dignitatem, frequentioribus amicorum literis invitatur, ſolicitatur. Convocato igitur anteà concilio, relinquit Nicolaum Comitem Erdodium quorundam privatorum ſuffragijs ſubſtitutum Banum, qui ingruente hoſtili incurſu repentino, ſe abſente Patriæ tuendæ finibus Nobilitatique cum poteſtate præſit. Verum is, ut eventus poſtea docuit, neque uſu aut rerum gerendarum prudentia, neque militaris diſciplinæ peritia præditus, præter ſplendorem natalium ad eam dignitatem nihil attuliſſe viſus eſt. Profectus demùm Menſe Septembri Draſcovicius paulò meliori, miro Dei beneficio adeptâ valetudine, quâ paulò ante ægra admodum utebatur, cùm Poſonium perveniſſet, ea plurium Procerum aggratulatione exceptus ſalutatuſque eſt, ut haud obſcurè omnium propè animos in eum converſos intelligi potuerit; Vigeſimâ tertiâ die Septembris omnes Status & Ordines ad Cæſarem Ferdinandum accerſiti, eoque publico in Palatio ac ſublimiori Throno ad id præparato conſidente, Georgius Szelepchenius Epiſcopus Weſprimienſis, & Aulæ Cancellarius, Hungaro Idiomate elegantem ad Proceres & Nobilitatem de paterna in omnes, ac Regnum iſtud optimi Regis cura ac vigilantia, de mutua inter omnes habenda animorum concordia, de auxilijs demùm afflictæ Patriæ, ac inteſtinis civilibuſque factionibus dilacerato Regno ferendis, habuit orationem. Quâ finitâ Rex ipſe pauca eleganti Latino ſermone prolocutus, propoſitiones ſcripto, quas in Regno agitari concludique volebat, Georgio Lippaio Strigonienſi Archipræſuli

Nicolaus Comes Erdodius ſubſtitutus Banus.

tradidit. Tum Lippaius Vir Heroici pectoris, & de quo illud dixeris Horatianum:

Lib. 3. Ode 3.

Si fractus illabatur Orbis,
Impavidum ferient ruinæ;

Facundas omnium nomine Cæſari reddidit gratias, poſt quas alij qui ſeriùs advenerant, Cæſari ſalutem precati Regias exoſculantur manus; quibus peractis Cæſar ad epulum, cœteri ad ſua quiſque hoſpitia deſcendunt. Die 25. congregatis Optimatibus recitantur eorum nomina ſcripto à Cæſare tranſmiſſa, qui mortuo Nicolao Eſterhaſio ad ſuſcipiendum Palatinalis dignitatis faſtigium delecti erant: Fuere illi Ioannes Comes Draſcovicius, Adamus Comes Forgacius, Stephanus Bethlemius, & Ladiſlaus Niarius: recenſitis nominibus ad aliam interim, quoad vota ferantur, ſecedere domum iubentur. Latis ac collatis in unum calculis, Draſcovicius centum viginti & uno Palatinus declaratur. Et quamvis ille poſtea gravi modeſtia facundiaque id muneris ſubterfugeret, nulla in Regno Hungariæ bona ſibi eſſe aſſerens, & ſi quid hoſtile ingruat, quemadmodùm nunc decumanis involuta eſſet Hungaria fluctibus, ſe nullatenùs dignitati poſſe reſpondere; ei etiam Magiſtratui multos labores, maximas curas, incredibilem negotiorum molem domi foriſque annexam, quibus ipſe ferendis impar eſſet. Victus tamen poſtea ſingulari prece Nobilitatis ac populi, inter venerantes gratanteſque contribules, & Provinciarum legatos, pulcherrimo ordine ac magnifico comitatu ad Ferdinandum ex Vrbe in arcem Poſonienſem perductus eſt; à quo benignè habitus, ac ampliſſimo eo in honore confirmatus, iuri æqualitèr dicundo adminiſtrandoque Sacramentum dixit. quo dicto Cæſari prandenti tantiſpèr univerſi adſtitere, tum feſtivo Palatinus Proceres excepit convivio. At Calendis Octobris, ubi omnes propè Nationis Illyricæ ultimùm quaſi cum eis agens, futura negotiorum mole impediendus, prandio excepiſſet, inter medias epulas hac eum Georgius Rattcaius omnium nomine, brevi affari fecit dictione.

Palatinus creatur 1646.

„ Neſcio lugendumne potius ſit, an lætandum nobis in hoc „auſpicato honoris tui augmento, Palatine Pro-Rex Illuſtriſſime; „lætandum quidem omnibus de proſpero ſerenioris fortunæ tuæ „afflatu, ſed lugendum nobis de amiſſione Patris; lætandum „quod exaltatus ſis è nobis, ſed lugendum, quia ablatus à nobis; &

cum

cum Hungaria ſterilitatem ſuam, in quam ab anno iam uno inci- »
derat, in virorem ac fœcunditatem refloreſcere lætatur, Sclavo- »
nia Croatiaque noſtra viduata marito, orbitatem ſuam gemit. »
Vix ſexennio dulces patris affectus experiri, ac providam vigilan- »
tiſſimi Gubernatoris tutelam ſentire licuit, cum his omnibus in- »
vidente fortunâ, carere cogimur. Sed ubi univerſa in plauſus »
tuos effuſa Pannonia luctus ſui obliviſcitur, nos quoq; tui potiùs, »
quàm noſtri meminiſſe convenit; & quàvis paſſeris inſtar ſolitarij »
in tecto lugere deberemus, nec canticum novum in terra aliena »
cantare nos deceret, geminatâ tamen cum ſocia Pannonia lætitiâ »
Palatinalis honoris Ave tibi dicimus: & eo quidem hilariori »
vultu, quod poſt longam temporum ſeriem, felicia Saturni ſæcula »
ad nos rediiſſe conſpiciamus. Vt enim Eccleſia Romana qua- »
tuor ſublimioribus coruſcat Doctoribus, ita iam Illyrium no- »
ſtrum poſt Nicolaum Garam, Emericum Perenium, Thomam »
Nadaſdium, ac Emericum Zapolyam, te quinto è Banali dignitate »
in Palatinalis faſtigij apicem ſublimato gloriatur; hoc etiam tu »
cœteris maior, quod vel maximè Noster, nec interrupta »
dignitatum ſerie, priori viam futuræ ſterneres, & ei, quem nunc »
ampliſſimum habes honori præluderes. Verè nunc benigna »
aure Optimus Deus gentis Hungaricæ cum te illi conceſſit, vo- »
ta ac ſuſpiria ſuſcepiſſe videtur, quæ illa mortuo lapidi Patris tui »
Bani, affectu vivo, ad perennaturam memoriam incidi voluit. »

O Draſcovicios dent ſæcula poſtera multos »
Gloria priſca Hunni Martis, & artis erit. »

Vive igitur ter felix ac fauſtus Neo-Palatine, Maiorum tuorum »
Maior, vive Inclytæ Pannoniæ, cui te Cæſaris favores, merita tua »
eiuſque vota gubernandæ attraxere; ſed ita illi vive, ut noſtri, & »
noſtrum te eſſe memineris; ac deinceps ubi deſiderata præſentia »
tua nobis frui non datur, matris tamèn affectu univer- »
ſos gaudere patiaris. Grato hæc illi accidere animo, ac diutur- »
niori poſtea cum ſuis tempore, hilariorem animi converſationem
protraxit. His peractis, quamvis felici principio Comitia auſpi-
cata, ea tamen multa contentione turbida ac ſingulari hæretico-
rum pertinacia funeſta, iam quintum trahebantur menſem varijs
viciſſitudinibus implexa, ut verè Bochcaianos nunc Turbantios
vivaq; eorum ſimulacra longâ iam afflictum calamitate Regnum
turbantes ab infernalibus excitatos furijs reſurrexiſſe dixiſſes, qui-

 bus

bus iam tandem Chriſtus pacis Princeps magnique Conſilij Angelus, Petri navi in Pannonico mari fluctuanti, ſedatis imperio ſuo adverſitatum fluctibus optatam concedat tranquillitatem. Quam quidem benè nobis ſperare licebit, donec Lippaianæ inconcuſſæ conſtantiæ Columnam Draſcoviciani Gryphi, & fulcient, & ſolidabuut. O Pannonia Apoſtolica quomodo commutatus eſt color tuus optimus! quæ olim Stephani Apoſtoli tempore tertia tui parte Deo dicata fueras, quævé ex hominibus dabas decimas; nunc ut cum magno Hyeronimo loquar, adverſarium in pectore tuo Chriſtum conantem occidere, non dico repellis, ſed vel ultrò phreneticum admittis, vel tacendo foves. Vtinam ſupra quadraginta ſuperſint dies, donec infelix ſubvertatur Ninive. Quanquam eam miſericordiarum Patris erga te benignitatem videamus, ut omnibus penè Regni Optimatibus, velut errabundis oviculis ad veri Paſtoris ovile reductis, ijdem in priſtinam fidei unitatem nobiſcum coaluerint; magnam tamen adhuc tui partem reſciſſam ingemiſcimus, & votis omnibus nobiſcum pro alijs gemere exoptamus.

FINIS LIBRI QVINTI.

GE-

Digitized by Google

GEORGII RATTKAY *MEMORIÆ* REGVM, & BANORVM Regnorum DALMATIÆ, CROATIÆ, ET SCLAVONIÆ, LIBER SEXTVS.

PRro-Rex Palatini Draſcovicij Succeſſor tametſi in pugillari Cæſaris Zachariæ inſtar iam ſcriptus fuerat, ſupra integri tamen biennij revolutionem publici eum iuris Ferdinandus eſſe noluit; quod ſanè maximarum in Regno turbarum violentiarumque cauſam præbuit, ac motuum civilium periculum fecerat; dum enim indigenæ capite carerent, cuius authoritate ac imperio cohiberentur, quiſque penè quod libebat, licere ſibi impunè arbitrabatur. Hinc Magnatum paritèr ac Nobilium mutua vis, cœdes, bonorum direptio; hinc inteſtina odia, privata com-

Digitized by Google

commoda, nullius propemodum in communem ſalutem ſtudium; hinc fatis concedente Martino Bogdano Zagrabienſi Epiſcopo Præfectus Iuanicij Joannes Waichardus Fetterus, eius Caſtellum ibidem ſitum, Alemannicis præſidiarijs eo miſſis invadit, æs percuſſum, frumentum, vinum, ac univerſam ſupellectilem barbara diripit licentia, ſubditos omnes ab Eccleſiæ avellens laboribus, ac ſibi imperioque ſuo deinceps parere cogens. Quibus tandem omnibus Ferdinando Cæſari ſignificatis, ac gravibus expoſitum querelis, tùm demùm ob tot iam patratas Regni iniurias ac Regni ſuſtentata incommoda, futuraque graviora formidando Nicolaus Comes à Zrinio Georgij Bani filius, cuius ſupra meminimus, iam ante Cæſaris animo ad hunc destinatus honorem, qui Reipublicæ in libertate priſtina conſervandæ ac præſidijs ab hoſte tutandis, ſumma cum poteſtate præſit, anno Quadrageſimo Septimo ſupra 1600. die Ioanni Apoſtolo & Evangeliſtæ dicato, eiuſdem Cæſaris oraculo declaratur. Cauſa tam diuturnæ huius officij dilationis, ac longi Inter-Regni Thomæ Miculicij Regiæ præſentiæ in Iudicijs Perſonalis ambitio & invidia fuit, etenim præterquam quod ille vehementiſſimè pro parte ſua inſtaret, eamque dignitatem ſibi conferri poſtularet, in Zrinium quoque, cui multa gratitudine obæratus eſſe debuiſſet, utpotè quem Maiores eius ex humili obſcuroque ſtatu ſublevaſſent, ac dignitatum deinde facultatumque, quas poſtea conſecutus eſt, iecifſent fundamenta, incertis tamen de cauſis graviſſimo flagrabat odio: atque cùm homo vafer ac verſutus eſſet, miris politiæ artibus (cùm alioquin bis à gremio Eccleſiæ fideliumque societate anathemate percuſſus fuerit ſegregatus) authoritate ſibi apud Cæſarem comparata, modis omnibus neglecto Reipublicæ commodo, Zrinij Comitis obſiſtebat ſucceſſibus: Adeò, ut dum ſecretiora apud Ferdinandum, de conſtituendo horum Regnorum Pro-Rege, conſilia agitarentur, hæc ille arroganti ingratoque ore palam effutire non erubuerit: *Iam*, inquit, *Maieſtas* » *Veſtra Fratrum uni Præfecturam Silbergenſem contulit, alteri* » *nunc Banatus dignitatem dare parat, nobis reliquis Maieſtatis* » *Veſtræ ſervis aliud reſtat nihil, quàm ut metuentes cervicibus ac* » *fortunis noſtris, ultimum à ſervitijs vale demus*. Et verò cùm jam plurimum ſe apud Cæſarem poſſe videret, & arcis quoque præſidijque Capróncenſis impetraſſet bona, in eam omninò ſpem

Nicolaus Comes à Zrinio Banus Croat. & Sclavon. declaratur anno 1647

adduce-

Digitized by Google

adducebatur, ſe dignitate Banali potiturum, ſed doloſus hic felicitatis genius eſt, quamvis magnæ pariter indolis ſignum, ſperare ſemper. Induxêre nihilominùs Ferdinandum, ut hoc Zrinium honoraret officio, & Maiorum eius merita, & ſervitia bellica repetitis vicibus ſibi impenſa, & in hac ejus ætate, qua nondum trigeſimum attigit annum militaris diſciplinæ peritia, raraque in conſerendis prælijs proſperitas: deniquè adeò populorum ora, nominis eius virtus complevit, ut ante illum plerique amare, quàm noſſe cœperint, nec tàm laudandus eſſet ille, qui amaret, quam ſcelus putaretur facere, qui non diligeret: unde quantumvis ſæpiùs caſtigatis memorabili clade Caniſienſibus Turcis nomen ſuum inter populares celebrârit, nec alia tamen Regna virtutem ſuam latere patiebatur; ſic nimirùm vera virtus, ignis inſtar eſt, qui quantumvis arctè concluſus erumpat tamèn neceſſe eſt. Graſſabatur ea tempeſtate æra nempè Chriſtiana 1646. per Imperium victor Svecus, ac victorijs prædiſque ſuperbus hoſtis inſolens ſuſque deque turbabat omnia; tùm demùm ſingulari crudelitate iam depopulatum Moraviam, inopino in fines Hungariæ impetu ruere ad Ferdinandum Cæſarem crebris ac certis nuncijs affertur. Jlle rei novitate motus Gecianam è veſtigio ducit ſecum Legionem, & Hungariæ Optimatibus dat in mandatis, ut univerſis Regni copijs quantocyus collectis ſeſe præſtolentur ad Szakolcam, Caſtra ibidem metaturi, & primo quoque tempore in hoſtem, ſi neceſſitas poſtulet, moturi: ne in ipſa iam domeſticarum Provinciarum viſcera belli flamma gliſcat, quæ univerſum Imperium elapſis temporibus incenderat, miſerabilique deformatione iam propè incinerârat. Porrò Status & Ordines Hungariæ conveniunt Croatiæ & Sclavoniæ Regna per literas, uti & ipſe Ferdinandus, ut qui animo atque corona coniuncti eſſent, ad commune propulſandum periculum, ſubſidio quoque vicinis adeſſent; vicaria, poſtulante neceſſitate, auxilia repenſuri. Et Regna quidem Croatiæ Sclavoniæque milite ſubſidiario præſto eſſe omninò non poterant, cùm eo temporis præſertim frequens omnium animos turbaret fama, ingentes Ottomanici Imperatoris in Boſnæ Regno Legiones, eo animo congregari, ut per Croatiæ fines ac Præſidia quà cæterùm tranſitus à Cæſare illis negabatur, in Venetos, cum quibus acerrima gerebant bella, aperta vi penetrarent: pecuniario nihilominùs

Cæſar ad Szakolcam cum Hungaris convenit.

Sollicitant regna Croatiæ & Scl. pro ſubſidio.

minùs auxilio pro quingentis conducendis militibus ſocijs ſubvenere, & iam æs numeratum in manus Bani Draſcovicij collocatum fuerat. Itaque cùm omnes belli nervo ſuccurriſſent, privato attamen nomine Comes Zrinius tricenaria ſuo ære comparata turma Cæſari obſequioſus, Hungariæ proficuus eſſe voluit. Appropinquans Szakolczam apparatu ac ordine honorifico, ipſe ante alios oſtro auroque refulgens, evaginato acinace, inſpectantem Cæſarem Alemannicis ac Pannonicis ſtipatum turmis prætergreditur, obſequioque veneratur. Brevi poſt oblata ab hoſte Sveco pugnæ copia, & facta à Cæſare poteſtate, eâ facilitate ac ſuorum virtute hoſtem fudit, ut ducentis amplius cæſis, ac non multò paucioribus vivis in poteſtatem acceptis, novâ gloriâ auctus victor in Caſtra redierit. Sed proſperiori uſus fortuna ad Tybiſcum in Hungaria nobiliorem multò potitus eſt victoriam, dùm Georgius Racocius Tranſylvaniæ Dominus, ſolitâ illis Principibus perfidiâ, adverſus Cæſarem tumultuatur, Eccleſiæ unionem ſcindit, ac inconſutilem Chriſti tunicam dilacerat, Patriæ pacem ac tranquillitatem perturbat, afflictam exagitat, opprimitque plebem, nullo jure, nulla æquitate; bona ac Dominia aliena à Cæſare extorquet: dùm inquam, calamitoſam proprio purpurat Hungariam ſangvine, iubet Legionem unam ſuorum traiecto Tybiſco, vicinos populari agros, arces, ac Caſtella flammis abſumere, ac omne hoſtilitatis genus exercere. Ad hos reprimendos caſtigandoſque prædones mittuntur Tribuni à Gecio Cæſaris Archiſtratego Comes Puchamius Corneoburgenſis, Crembſenſiſque in Auſtria, ac Iglavienſis in Moravia Civitatum expugnatione clarus (eſt vir ſingulari humanitate, & cui Muſæ omnes aliquid leporis ſui, ac venuſtatis admiſcuiſſe videntur) atque cum eo Comes Zrinius; qui hoſti obviam facti, ac vix bene cum eo congreſſi in turpem illum coniecere fugam, ut tria millia amplius partim Tybiſci gurgitibus abſumenda dederint, partim ſub gladium miſerint; ipſe Zrinius hoſtilis ſanguinis anhelus, iamque ex Duce miles effectus, duos manu ſua trucidat, ac tertio hoſtile vexillum Signifero eripit, ipſi demùm Gecio Cæſarianarum Legionum Præfecto ſpectandum exhibet. Sane inter Ferdinandum Cæſarem ac Racocium Principem Tranſylvanũ vehementi impetu, & magnis partium viribus per annos plures bellum acerrimum, parum proſpero Ferdinandi ſucceſſu geſtum

Comes Zrinius auxilio venit

Zrinius fugat Svecos.

Zrinius Hungaros fugat, & præclarè pugnat.

Digitized by Google

ſtum novimus. Superiorem quippè Racocius Pannoniam pervagatus, eiuſque Dominia amplê circumlato armorum terrore, deprædatus ac depopulatus, Tyrnaviâ quoque iam occupatâ, extremum Poſonio incuſſerat metum. Tametſi verò maximis eius ditionis Proceres incommodis affecerit, Ioannem tamen Drugetthum curiæ Regiæ Iudicem præ cæteris ſibi infenſum, ac damna paulò ante haud vulgaria inferentem, exagitandum ſuſcepit. Quo omnibus eius dominijs pulſo, arce demùm Ieſſenocia, quamvis valida ac munita, in quam ille velut in tutiſſimum aſylum coniugem ac liberos, cum immenſa theſauri copia incluſerat, vi atque armis expugnata ac penè ſolo æquata; coniugem ac liberos in tutum abire, aſportatis ampliſſimis theſauris conceſſit. Drugetthus univerſis propè ſuis acerbâ fortunæ indignatione deperditis, nec conſanguinitatis deinde, nec dignitatis, neque veteris ſtemmatis natalium prærogativâ hoſpitium inveniens, totâ Pannoniâ exul Sclavoniam cum ſuis petijt. Ibi Gaſparis Comitis Draſcovicij, ac generi eius Nicolai Zriniani Pro-Regis munificentiſſimâ liberalitate anni propè ſpatio ſuſtentatus vixit. Ille enim Klenounichio Caſtello in reſidentiæ locum aſſignato, ijſdem etiam bonis plena cum poteſtate traditis, velut proprijs perfrui indulſit. Zrinius verò ingenti non ſemel ſuppeditato ære, ac cœteris vitæ ſubſidijs ſubminiſtratis, gratâ eundem ambo fovebant hoſpitalitate. Conſopitis deinde tantiſper Pannonicis tumultibus, dùm in Patriam ac Natale domicilium reditum parat; quantam interim honoris ac nominis, bonorum ac fortunarum omnium iacturam diſcrimenque ſubierit, amaro volvens animo; quomodo Patrio ſolo profligatus exterorum ope ſuſtentatam vitam duxerit, nec ſe tamen horum unquam fructum recepturum, indefeſſis profundiſque penſans cogitationibus; tandem iter arripiens dùm Styriam attingit, ſubitanea tactus apoplexia ex animi mœrore cauſata, vir, qui tantis fortunæ fluctibus agitaretur, indignus; repentè ſumma omnium admiratione extinguitur. Sed Pannonicorum motuum cauſas atque eventus, quamvis pro poſterorum memoria explicare operæ pretium atque documento foret, ut alienum tamen ab inſtituto noſtro alijs ſcribenda permittimus. His virtutis bellicæ à Zrinio datis documentis, quò amplius irritatæ virtuti incitamentum ſuppeditaretur, ſupremus Vigiliarum Præfectus,

Ioannes Drugetthus exul in Sclavoniã venit.

Digitized by Google

ac Croatarum omnium Generalis conſtituitur; atque ità omnibus proſperè laudabiliterque foris actis in Patriam ac Inſulam ſuam perpetuis interea Turcarum incurſionibus afflictam ac vexatam revertitur, cui hactenùs defendendæ Petrus frater fuerat conſtitutus. Admonet hic locus ut cum Petri mentio nobis inciderit, de eo paritèr quædam memoria digna brevibus inſeramus. Juvenili adhuc eſt ætate, ſed maſculo corde, robore Herculeo, artis peritus, quâ tormentorum Magiſtri uti ſolent, quam eo fine diſcendam ſibi propoſuerat, ut Chriſtiani nominis hoſti gravius inde noceret, quò factum, ut Caniſienſium ſuburbiorum partem ſemel arte iſtà, ac induſtria ſua in cineres ac favillas redegerit. Porrò fortitudinis ſuæ experimentum non vulgare Poſonij ſub Comitijs ſpectante Cæſare præbuit, dum enim Ferdinandus levandi animi cauſa venatione ſeſe oblectat, ecce fit obvius aper annorum ſeptem; iuſſus à Cæſare Zrinius aggredi, ſubitò deſiliens equo, evaginato acinace, eo uno immani belluam ferit ictu, ut diviſa acinace fronte, diffuſoque cerebro è veſtigio humi proſtrata animam vomeret. Cæſar miratus accepto à Zrinio gladio eum paululùm vibrat, ac reſtituit, adijciens eum non pro ſua eſſe manu: Vt hoc virium corporis ac ſpectatæ fortitudinis nobile fuit documentum, ità alterum quod ſequitur animi magnitudinis exemplum ſingulare. Excubabat Petrus ipſe per pagos Inſulæ ſuæ, donec frater Nicolaus Imperialibus occupatus diſtineretur armis, adventu hoſtium excitus; & cœca intempeſtaque nocte, dum utriuſque ſtudetur fraudi, inopino caſu obvij facti, in incertum accendunt animos certamen; Petrus Martiali ſpiritu ſuccenſus Turcam in fugam convertit, ac uſque in Muram flumen perſequitur: Turca ſalutis anceps, dum in littore effugium non invenit, in Muræ vortices ſe præcipitem dare cogit. Inſilit ergo hoſtis, ſequitur Comes, & in ipſis aquæ gurgitibus barbaram Neptuno immolat victimam; quamvis & ipſe ægrè admodum opera cuiuſdam Dechko cognominati, fluctibus propè abſorbendus, ereptus fuerit. Collatam deindè à Cæſare accepit durantibus Poſonij Comitijs Præfecturam Silbergenſem, cui mille propè parent homines, eâ tamen conditione (tametſi de veteri Regum Hungariæ conſuetudine ac lege dignitates huiuſmodi abſq; ullo onere benemeritis indigenis conferri conſueviſſent) ut cum ſex militum Centurijs ſuo ære comparatis

Petrus à Zrinio fortis & magnanimus.

exer-

exercitui Cæſareo per trimeſtre ſeſe coniungat. Abſolutis enim Comitijs, & filij ſui Ferdinandi Quarti in Hungariæ Regem felici inauguratione peracta, quæ undecim integris propè menſibus ſingulari hæreticorum protervia protrahebantur; Ferdinandus ipſe cùm minùs diligentèr ac fidelitèr adminiſtrari in Bohemia arma ſua intelligeret, eorum præſens voluit ſpectator eſſe. Obſidebatur ab hoſte Ægra Bohemiæ Vrbs, imò deditione Paradiſij frequentata ei familiæ infidelitate prodebatur, quo ſimul tempore Ferdinandus Ægræ vicinus in caſtris morabatur. Verùm Svecus nequaquam Cæſarem dignitatem ſuam, fortunas, & caput ipſum temeræ belli aleæ exiguo protectum exercitu expoſuiſſe ratus; tandem à milite Cæſaris paulò ante captivo cognoſcit, eum omninò armis ſuis, quamvis non pro Maieſtate Cæſarea ſat amplis præſentem eſſe, ſeque ab eodem donativi nomine aureorum nummûm decem beneficium cum libertate conſecutum. Hinc Wrangellius Tolli (ſeu quem præcipitem Latinè dixeris) locum quo Cæſar morabatur, ac occaſionem omnem ab eo edoctus, adſcitis trecentis ſpectatæ virtutis atque animi ſocijs primi ordinis, accepta à Torſtenſonio Svecicarum Legionum Chiliarcha poteſtate aliquid agendum æternâ memoriâ dignum ratus; Ferdinandum ipſum ſub noctem hoſpitio ſuo quieſcentem invadendum, tùm demùm aut captivum abducendum, aut diræ morti tradendum decernit. Progreditur igitur ille, adeoq; ſilenti adventu vigilias noſtrorum fallens, forti animo in Cæſaris hoſpitium irrumpit; ut Ferdinandus cum omnibus aulæ munia obeuntibus è ſtrato proſiliens, ſalutis anceps, extremum aut vitæ, aut libertatis fortunarumque perdendarum adierit diſcrimen. Et ſanè niſi Croatæ veterani excitato commoti tumultu, in propinquo ad cuſtodiam collocati ocyùs accurriſſent, de Ferdinando ac univerſis ſummâ rerum omnium iactura fuiſſet actum: Verùm illi innata virtute animique generoſitate furentem iam hoſtem, ac triumphum de Cæſare parantem velociſſimè perturbant, opprimuntque; hoſtes dum ſingulari pavore conſternati tenentur, Lebenſtainius cum uno agmine corporis Cæſarei defenſioni deſtinato advolat, ac iunctis Croatarum viribus Wrangelium cum ſocijs ad internecionem propè pauciſſimis fugâ elabentibus delet, & arrogantem illam hoſtium temeritatem digno mortis ſtipendio mulctat: Ob quod profectò vitæ ſalutiſque conſervatæ

Ferdinandus in caſtra Imperialia proficiſcitur.

Croatæ Ferdinandum liberant.

 benefi-

beneficium à Croatis præcipuè acceptum, meritò Ferdinandus, eiuſque poſteri univerſam hanc gentem ampliſſimis favoribus atque gratijs in omnem poſterorum memoriam locupletare debuiſſet. Sed & omnibus his ſuperiorum bellorum tempeſtatibus, quibus Imperium Romanum ſæviſſimè ſupra viginti iam annos agitabatur, quid Illyrica natio triginta propè aut ſupra millia optimorum militum diverſis ſubmittendo vicibus, profuerit; & recens plurimorum memoria, & diverſæ teſtantur hiſtoriæ. Et quidèm plura ſanè de magnificis Illyriorum geſtis apud Eberhardum Waiſſenpergium Eboracenſem in Floribus Germanicis petere licuiſſet, niſi omnem eam laudem, quam prima editione ampliſſimam poſuerat, in poſteriore, communi in hanc gentem livore, eraſam atque abſterſam vidiſſemus. Certè quemadmodum Auguſto Cæſari quondam præ cœteris Illyrij bellicoſiſſimi habiti erant, ac ſæpè numero moleſtiſſimè ſeſe ab ijſdem infeſtari palàm in Senatu querebatur; atque ut Anaſtaſio quoque Jmperatori primæ exiſtimationis, aç ſummæ ſemper fiduciæ exercitus Illyricanus fuerat, ut ſcriptis ad eum à Symmaco Pontifice litteris, quò à communicatione patrocinioque hæreticorum deſiſteret, ijs magis irritatus tantùm abeſt ut ei Anaſtaſius obtemperaverit, ut etiam eos qui erant in oriente Catholicæ communionis Antiſtites, & eis ſubditi orthodoxi, immiſſis Illyricis cogeret cum hæreticis communicare. Nam ut Baronius ex Marcellino in annum Chriſti Quadringenteſimum nonageſimum refert: *Hoc*, inquit, *anno gens ignota nomine, ſcilicet Bulgari, ex intimis Borealibus finibus palabunda progreſſa, violento agmine ſeſe infudit in Thracias, quæ adeò cruento decertauit bello, ut & Illyricana militum virtus eo prælio conciderit, & Romanus exercitus internecione fuerit deletus*: ita Guſtavus Svecorum Rex militaris diſciplinæ ævi ſui magiſter, dura impatientiæ voce novum genus diabolorum, ob velocitatẽ, dexteritatem, conſtantiamque in præliando compellare ſolitus fuerat. nec tamen cum ullo ſe promptiori animo (quod ſtrènui haberentur milites) infeſtis armis concurſurum, quam cum Ioanne cicatricibus ſignato, ac Ioſepho vitulini capitis glabricie ſimilitudinem referente, aſſerebat; illum Pappenhaimium Alemannorum Scipionem, hunc Iſolanum Croatarum Vlyſſem ſubintelligens.

Illyriorum virtus bellica.

Accepta ſuperiori hoſtium inſolentia, Ferdinandus ne dubijs

dein-

Digitized by Google

deinceps vitam imperiumque exponeret caſibus, Ægrâ Pilſnam ſeceſſit; unde nihilominus vicinus exercitui, de omnibus bello neceſſarijs commodè proſpicere valeret. Brevi poſt, proxima ſcilicet Comitia, ſubſecuta æſtate Petrus à Zrinio agmine iam collecto aſcendere maturavit, cuius ſignis Georgius Comes de Frangepanibus Lupi filius, Georgius Rattcaius, Thomas Eſterhaſius, & Chriſtophorus Lambergerus è Nobilioribus adhæſere. Et Zrinius quidem aſſumpto ſecum Georgio Rattcaio ac paucis equitibus, ad Cæſarem Pilſnam feſtinavit; copijs lentè interea ductante Frangepano progredientibus; non facilè dixeris, quantum omnium qui aulæ munia obeunt, videndorum Croatarum advenientium arſerit deſiderium, quaſi nationis eius homines, eorum nemo vidiſſet ante; & cùm ſperatò lentius adventarent mira indignatio. Vbi tandem affuêre, iubet Ferdinandus Vrbem omnes ac Aulam ſuam tranſire: effuſa ad ſpectandum Civitas Proceribus mixta, extra Vrbem etiam turmas comitata eſt, & vernantes florida ætate, ac vegeto robore milites, equorum quoque & armorum apparatum admirati, nondum ſe militem adeò probè inſtructum vidiſſe affirmabant. Indè ad Cæſariana miſſi caſtra, quæ ad tertium diſtabant lapidem, commeatus Pilſnâ devehendi illis cura committitur. Ingreſſi caſtra, deductis feliciter curribus, eo uno infauſtos ſe caſu arbitrabantur, quod vicinus hoſtis ante biduum, paulò ante à veteranis Croatis benè caſtigatus clâm ſubterfugerit, eaque celeritate arreptam fugam ſit proſecutus, ut unà cum bellicis machinis & cœteris impedimentis, timore addente alas (cuius tamen pavor univerſis pro victoria fuit) per diem quatuor decurreret milliaria. Hinc mittit Zrinius ex mandato ſupremi Chiliarchæ Ioannis de Werth, Georgium Comitem Frangepanum, ac Georgium Rattcaium cum una Croatarum Centuria ad inſequendum hoſtem, famamque quo inimicus iter dirigat, reportandam. Profecti illi ac per præcipites, aſperrimoſque montium anfractus, ad quadraginta prope milliaria inſecuti Czvicaviam ultrà Saxoniæ Vrbem, nec ullibi integrum aſſecuti hoſtem, in unam tandem incidere manum, ex qua paucis neci datis, cœteri omnes in poteſtatem ceſſere; & quamvis pro numero hoſtium ſat opulenta lætabantur præda, illud tamen gravem illis iniecerat metum, quod certis cognoverint rumoribus Wranghelium hoſtium Præfectum, de eorum

Petrus à Zrinio ad Imperiale bellũ proficiſcitur.

Digitized by Google

rum expeditione certiorem factum, Tribunum unum quoque expediviſſe, qui ad Annapergum certo tranſitus loco eoſdem præſtoletur atque intercipiat. Augebant inſuper angorem non ſolùm ruricolarum Saxoniæ ac Miſniæ, verùm & Oppidanorum ac Civium (quamvis neutrius eſſent partis) proditiones ac infidelitas, quorum aliena fides victoriam quoque ac fortunę ſucceſſum hoſti potiùs, quàm Cæſarianis avebat, quod & fermè ad Montem Niveum civium dolo contigiſſet: At nihilominus protegente ſuos DEO, ac ducante Magiſtro equitum Damiano Poſeganorum Sclavoniæ natalium viro forti ac circumſpecto, ſalva præda, ac integris omnibus ad ſuos remearunt, hoſtemque continuatis itineribus Haſſiam versùs contendere retulerunt. Continuabatur hic proſper ſucceſſus ad Erfordiam Thuringiæ Vrbem, iuſſus enim cum agmine ſuo Zrinius Vrbis portis incumbere, ne prætergrediens Cæſarianus exercitus detrimenti quidpiam ab irrumpente hoſte capiat, ubi præeunte Georgio Rattcaio, ac Stephano Bogdanicio manipulo uni eo uſque velitatum eſt, (Zrinio interim cum cœteris ad clivum collis Vrbi propinquum conſiſtente) ut tribus propemodum horis ante ipſa Civitatis propugnacula & foſſam abſumptis, erumpentes hoſtes ſæpiùs repulerint, ac ſuos illæſos, detonantibus licet undique quà machinis, quà minoribus ſclopetis adverſarijs, non ſine laude in caſtra reduxerint. Porrò tametſi Petrus Holczaphelius eam laudis palmam pulſo ex Bohemia inimico tulerit, quod incruenta ſuorum victoria ſit potitus, in eo tamen reprehenſibilis non parùm videbatur, quod aſperrimum difficillimumque è Bohemia fugienti hoſti, per cupreum montem tranſitum liberum omninò tutumque permiſerit, in quo vel paucis noſtris reſiſtentibus magnam prorſus hoſtium cœdem ſtragemque edere potuiſſet; Verùm quia miſceri cuncta bellico tumultu, unde honores atque divitiæ certa laboris atque audaciæ prœmia petuntur, malunt, quàm ſub ſedato Principe, qui eſſet damnoſæ pacis cultor inglorius, otioſam inutilemque militiam perferre; ideò dubiam in omnibus reperias fidem neceſſum eſt. Cœtera quæ ibidem acta ſunt, quamvis non levia, ad graviora tamen ac inſtituto noſtro magis accommodata maturantes prætermittimus, & ad Nicolaum Banum ſermonem reducimus.

Sub Erfordia cum hoſte velitatur.

Peninſulam Mura Dravoque intercluſam privatis excurſioni-

ſionibus à Caniſienſibus Turcis divexatam, iam ſupra retulimus; verùm non hac contenti eam etiam ditionem, quæ Adami Battiany poteſtati paret frequenti deprædatione infeſtam reddebant, ut præter alios diverſis dominijs ſubiectos pagos Lupi pagum appellatum, hominibus ad unum omnibus in ſervitutem abductis in extremam adduxerint deſolationem. Quibus tandem commotus Battianius eorum locorum Præfectus communicato cum Nicolao Zrinio conſilio, decernunt communibus auxilijs Caniſienſes invadendos, ac vices illatorum hactenùs incommodorum eſſe rependendas. Quare Zrinius accepta à Battianio turma tricenaria, adlectis deindè fratris Petri copijs, ac excitis pluribus ex Sclavonia, inter quos Lupus Erdödius, Ioannis Draſcovicij Palatini gener ſpectatæ Iuvenis magnanimitatis atque expectationis honeſtam ſecum adducens centuriam, ut mediam propè univerſi conſtituerent legionem, Legradum ſuſcepit iter. Aderat & Franciſcus Chiculinius honeſto ſtipatus equitatu, Iuvenis integritatem vitæ cum Seculi moribus politè commiſcens, ante paucos annos Banalis Præſidij Bercuſſa, tùm deinde Imperialis militiæ Centurio. Huius atavus Ludovicus Chiculinius è vetuſta cruce ſignatorum Florentinorum nobilitate prognatus, Flumen Liburniæ Urbem viſendi cauſa adveniens, mulieris elegantis formæ Riccianæ Baronum familiæ amore captus, eidem connubio iunctus eò in loco permanſit. Cuius filius eiuſdem nominis tametſi potiorum rerum ſuarum iacturam, ob acerrima Venetorum cum Ferdinando primo prælia ſubijſſet; ſub prima tamen deinde Cliſſiæ Turcarum expugnatione, certa militum manu impenſis ſuis comparata, inſignem navans Chriſtianitati operam, prælio oppetierat. Liquerat ille Franciſcum Hæredem Iulij Patrem, qui deinde Jllyricæ Patriæ illectus amœnitate ſtabilem demum in Sclavonia, ducta è Rattcaiorum Familia coniuge, fixit pedem; ac Franciſcum de quo nobis ſermo eſt, hæredem eius expectationis reliquit, quam Patria deſiderare poteſt. Traiecto cum his inſequente nocte fluvio Mura ſic diſpoſitis ordinibus progrediuntur, ut Legradiani præcederent, quos ponè Comes Nicolaus cùm Prætoriana ala ſequeretur; tertium tenebat agmen Petrus frater cum Lupo Erdödio, claudebant cæteros Hungari Battianiani. Progreſſi ad clivum collis Divi Nicolai Caniſæ propinquum ſubſiſtunt, ac ne ab hoſtibus

Nicolaus à Zrinio profectionem ſub Caniſã parat.

præ-

præmaturè conſpiciantur ſeſe occultant; Præmittunt Joannem Chanadinum virum impigrum, uno comitatum manipulo ad eliciendum hoſtem, verùm ille gnarus noſtrorum adventus, & à tributarijs edoctus agro deditis, ſuppares oppoſuit copias, tùm obvios aliquot è ſelectioribus expedit, qui conſerto prælio integræ faciant pugnæ poteſtatem. Exaudito concurrentium utrinque clamore, Legradiani celeriùs pedem movent, ac obvia facta hoſtium manu, novis ſemper ſuccedentibus, dubio ancipitique Marte præliantur, nequicquam parte alterutra cedente. Advolat à tergo Nicolaus fulminis inſtar cum Prætorianis, urget à latere Petrus, ac tùm nutare, inclinari, fugam demùm capeſſere cæpere Turcæ quos noſtri ad portas uſque ſuburbiorum inſequuti cędunt. Aly Baſſa, qui dubioſi prælij caſus ad Urbis portas operiebatur, in extremo iam ſuos diſcrimine verſari animadvertens, omnes velut imbelles ac ignavos, qui virtutis obliti priſtinæ paucis cederent, acrioribus caſtigans & obiurgans verbis, reducta acie confirmatiſque militum animis in certamen ipſe deſcendit; noſtri paritèr reſumptis viribus ac è diſciplina militari reſtitutis ordinibus, quos partę iam ſæpius victoriæ ad retinendam gloriam, ſicut barbaros acceptæ clades ad iniuriarum ultionem incendebant, fortiſſimè congrediuntur, atque atrox exoritur bellum. Tum Nicolaus, Comes voce manuque primus; *Et ſi*, inquit, *ô commilitones mei occumbentem me videritis, haud degeneri fugite animo, ſed ſynceris dextris pro vobis veſtriſq; conſtanter dimicantes, victoriâ manibus meis parentate:* his dictis auditiſque pugnatur acerrimè, cadunt utrinque complures; tandem à noſtris favente numine ſtetit victoria: Turcarum enim acies, præſentiſſimis noſtrorum animis obſiſtere reformidans, ſe in fugam repetito dedit, ubi iuvabat alacritatem propitia belli fortuna, atque ea hoſtis eo in certamine affectus eſt clade, ut centum plures impetu poſtremo fuerint deſiderati. Duo ex ijs primi ordinis authoritate, militari ſcientia, ac locupletiſſimarum opum copia præſtantes, maximo hoſtium mœrore occubuêre, quorum unus Caniſienſis, alter è Bihaciano Croatiæ præſidio viſendorum amicorum cupidus hoſpes advenerat. Erât hic fortitudinis ac præſentiæ ſpectatæ eques, cyclade Perſarum more auro intertexta, ac plumeis criſtis à grue mutuatis involuta ſyndone ſurgentibus inſignis. Ex noſtris

Brevis & cordata Zrinij cohortatio.

Turcarum cædes.

quoque

quoque interiêre penè viginti, inter quos Lupus Deſſicius Nicolao Comiti cùmprimis Iuvenis charus, proruente ſub ipſo equo, præciſo capite interfectus; Ioannes verò Bochcaius, quem ſummo adhuc mane cremato dementatum fuiſſe vino ferunt, indomito raptatus ac circumlatus equo, quem tenuibus loris, tartaricoque frænulo retinere nequiverat, in hoſtium incidit manus, ac duro etiamnum incluſus carceri, intolerabili litratus pretio, vinolentiæ temeritatiſque ſuæ cumulatas perſolvit pœnas. Ladiſlaus quoque Laczcovicius annorum nondum octo ſupra decem adoleſcens, dexteritate ac fervore ſingulari, ſupra quam ætas ferre putabatur dimicans, & ipſe capitur. Sed fatalis Lupi Erdödij mors acerbiſſimuſque interitus victoriam omnem, quam iam manibus noſtri tenebant, & perturbavit, & funeſtavit; is enim intemperanti animo quo ſemper ferociebat, Nicolai Comitis diſciplinam, paulò ante levibus de cauſis acerbioribus contractis inimicitijs, aſpernatus, nullo ſervato ordine cum tribus quatuorvè equitibus, collem ſub quo noſtros occultatos initio diximus, per ignotam ſcandit ſemitam; ex quo hoſtem conſpicatus præceps in eundem dum ruit, à tergo plumbea glandea ictus delabitur equo: occurrunt ſocij quatuor auxilij cauſa, verum ab irrumpente Turcarum procella obruti, & ipſi interiere, & Lupus humi proſtratus haſta transfixus, duplicique accepto in occipite vulnere animam egit: in ipſo demùm ultimi certaminis fervore ubi ſerius de fato ipſius cognitum fuiſſet, omnium concidere animi, & omiſſa pugnæ ſerie, victoriam in corpore eius obtinendo collocavêre; quo haud ſine labore obtento, meridiei tempore prælij finis impoſitus, & cadaver Ludbregum arcem eiùs currui tumultuario opere confecto impoſitum, expeditumque fuit. Jllud poſtea Ioannes Draſcovicius Socer Palatinus in Sclavoniam ex Hungaria redux, honorifica funeris tumulatione, in æde Divi Marci ſub Caſtro Vinica apud maiores ſuos quieti repoſuit.

Noſtrorũ viginti amiſſi.

Lupus Erdödius interficitur.

Verùm ipſe Draſcovicius tumulato genero haud anno ſupervixit uno, curis interim ac negotijs Pannoniæ exigentibus, ac parum ſincerò præſertim quorundam Hungariæ Procerum in Patriam amore compellente, infectis rebus ſuis ex Sclavonia in Pannoniam feſtinavit: nam ut illi bonos Patriæ Cives popularibus ſuis, Regique ſeſe venditarent, haud obſcuro interim in Pa-

Digitized by Google

latinũm odio, confictas, & ambitioſo plenas fumo ad Ferdinandum dant literas: Draſcovicium orbam Præſidio Hungariam ruinæ ac excidio futuram reliquiſſe hoſti; Turcam ingentes, crebraſque ab eius diſceſſu inde agere prædas; Georgium Racocium novos denuò, civileſque moliri belli motus, nec Palatinum tamen, qui nullis in Pannonia gauderet bonis, adventum accelerare; frequentioribus potius rumoribus fetentibus, eum omninò in Sclavonia remanſurum, quocunq; tandem caſu Pannonia labaſcat, aut conſiſtat. Itaque ſibi conſultiſſimum videri, ſi Maieſtas Regia tempeſtivo ac paterno conſilio fluctuanti Pannoniæ ſuccurreret, & Palatinalis dignitatis authoritatem in eorum aliquem præſentibus id periculis expoſcentibus, derivaret. At Ferdinandus qui iam ante animos eorundem Jllyricæ gentis invidiâ laborare, ac imperandi libidine viſcatos probè cognoverat, dato reſponſo eos bono animo eſſe iubet, & adventum Palatini propediem operiri; nihil ſe hactenus de periculis, quę metuerent, intellexiſſe, neque ſe formidare pacem ab Ottomanorum Tranſylvanorumque Principibus, ictis ſacroſanctis nuper fœderibus ac tabulis permutatis, turbatum iri; non facilè fidem adhibendam primis eſſe rumoribus, firmiora deinceps à viris horum peritis atque meliora expectanda. Porrò quod ad officij in alium tranſlationem attineret, id neque Iuris eſſe Regij abſque Optimatium Senatu, neque Palatini fidem in cunctis hactenus inconcuſsè ſervatam poſtulare, ut quod ob præclara merita votis omnium fuiſſet conſecutus, id privatorum livore, tacitaque Principis indignatione amittere cenſeretur. Eorum porrò literas Ferdinandus ad ſe datas mittit Palatino, monetque paternè ne abſentia diuturniori malevorum linguis anſam præberet. Feſtinato igitur itinere ubi Poſonium perveniſſet, confictarum literarum reis ſilentibus, quæ turbata & adverſus ſe concitata intellexerat, ea adventu ſuo univerſa pacata tranquillaque reddidit. At dum progreſſu temporis ſolita prudentiæ ac diligentiæ dexteritate, rerũ gerendarum proſequitur adminiſtrationem, ea in eo Ferdinandus Cæſar animadvertens, arcem eidem ac univerſa bona Ovarienſia ſeu Altenburgica, opulentum omninò Pannoniæ domicilium ac præſidium bis centenis numeratis millibus ad decennium benignè confert. Eo hilari feſtivitate frequenti comitivâ, ac tormentorum reboantium fragore introductus, & aliquot hebdo-

Conſpiratio Hungarorum cõtra Palatinum.

Reſponsũ Cæſaris ad Conſpirat.

Ovarinum Palatinꝰ à Cæſare obtinet.

hebdomadib⁹ moratus,ut humanæ fert vitæ viciſſitudo,læta meſtis commiſcens,in ſupremam ibi incidit valetudinem, paucisq; diebus morbo conflictatus anno Milleſimo Sexcenteſimo Quadrageſimo Octavo Nonis Auguſti annum agens quintum & Quadrageſimum,dignitatis verò geſtæ ſecundum, magno proborum omnium dolore extinctus eſt; omnibus tamen ante è ritu Chriſtiano ipſomet petente ac urgente,communitus Sacramentis,ac ſingulari in Deiparam cuius eximius ſemper fuerat cultor, pietate. Atque ut palàm Orbi univerſo ſuam in Virginem Matrem pietatem teſtatam faceret, ut ad eiuſdem aram Eccleſiæ Tallenſis Sacra exomologeſi expiatus,acSynaxi publicè refectus,die Conceptionis eiuſdem votivo,brevi à ſuſcepta dignitate Officij Palatinalis onus auſpicari voluit; ita poſtea paucis ante obitum menſibus ante aram eiuſdem miraculoſæ Virginis, quæ celebri populi pietate Poſonij colitur, flexo poplite proſtratus,ac duabus integris inflammato pectore horis ſeſe commendans,cor ex argento fabrefactum teſſeram amoris ac obſervantiæ in eam ſuæ humili prece offert,donatque. Lubet hic ipſius pietati tantiſper immorari: ut Virginis Deiparæ frequentiori recoleret memoria devotionem, eius Officium non ſolùm piè attentèque recitabat, ſed è Latina etiam in Vngaricam tranſtulit linguam, quò Latinæ linguæ ignaris pietati prodeſſet,ac Patrem Jacobum Nemethium Societatis Sacerdotem, ut prælo Poſonienſi, occultato ſuo nomine ſubijceret,ſuppeditato ære, petivit. Contigerat non ſemel ut Sacrificium Miſſæ auditurus,miniſtrum deeſſe animadverteret,ipſe loco ſurgens aram propius acceſſit litanti Myſtæ reſponſurus. Initio vitæ Coniugalis dum adhuc Lutheri erroribus Coniugem ſuam implicitam mœreret, adeò ardenti prece eius æſtuabat converſionem, ut in arce Szomoliana certo cubiculi loco genuum orantis veſtigia Coniunx ipſa deprehenderet: ſtupefacta rei novitate, quid tam ardui eum premeret negotij,quo tam frequens aſſiduuſque ad Deum recurſus, ut animadverſa mortificati corporis veſtigia docerent, exquirit: *Pro anima,* inquit, *tua ô Coniunx mea ſupremum Numen precibus fatigo,neq; enim fas mihi iudico te ſociam vitæ ſortitum fuiſſe,niſi etiam animam tuam communi noſtrum Creatori lucrifaciam.* Simili zelo dum Altenburgica bona viſenda circumiret,ac intermixtos pleroſque alienæ fidei ſectatores animad-

Ioannes Draſcovicius Palatinus piè moritur.

verteret alto ſuſpirio tracto, in has voces ad Coniungem converſus prorupit: *Vtinam tantum vita tribuat mihi DEVS, donec opera ac labore meo huius dominij ſubiectam plebem DEO meo addictam videam, quam lubens tunc ô Coniunx mea mortali hâc luce immenſo perfuſus gaudio excederem.* Sanè nonaginta Eccleſias Diætali tempore anno Quadrageſimo Septimo ſupra Milleſimum Sexcenteſimum hæreticorum rabiei datas, nonniſi pravorum Catholicorum conſenſu & anniſu, ac Ferdinando ſcriptis ad eum manu ſua literis iubente, quanquam invitus conceſſit. Rependit Deipara demum vices cultus ſui ea miſericordia, ut quam piè in vita ſua veneratus fuerat, eius diei feſtivitate ad Nives nuncupata, quos Romæ miraculo aſſervatos olim ſe veneratum referebat, extremum clauſerit diem. Sufficiat hæc pauca è multis adnotaſſe, è quibus cœtera incenſa eius totius vitæ deſideria conijcere licebit. Fuêre ea tempeſtate qua Cœlitibus animam inſeruit complures, qui eum lentis ac mortiferis Medici, cuius opera utebatur potionibus, æmulorum invidiâ, pernecatum fuiſſe putarent, quod id ipſum ante crebrius querula voce, & deinde terna indice comminatione Medico facta morientem ſignificaſſe ferunt. Iacet in Æde Divi Martini Poſonienſi, apud Genitores ſuos honorifica funeris pompa, Procerumque frequentia quæ virum Principem deceret, ac præſertim inuſitati ponderis laborioſæque elegantiæ tumba reconditus. Barbara Thurzo priſcæ pietatis prudentiæque Matrona ſingulari Vidua relicta, filijs duobus, ac tribus filiabus, quarum unam Catharinam Sponſo Chriſto in Clauſtrum Studenicze vocatum, ante annos paucos elocaverat. Eius ſpeciem ac corporis conſtitutionem qui noſſe cupit, repetat ea, quæ de Patre eius, cui ſimillimus ferebatur, annotavimus; Fuit acris omninò judicij vigore ſublimi ac vehementi, & Imperatorijs virtutibus authoritate, felicitateque inſignis; adeò, ut ex privatis honoribus ad ſummos publicoſque evectus, fortunam quoque omnibus cœptis, conſilijſque ſuis propitiam atque benignam expertus fuiſſe cenſeretur. Idibus deinde Octobribus Georgius Racocius Tranſylvaniæ Princeps vita cum morte commutata, eum ſecutus eſt, eo præſertim tempore, quo tria ſupra decem Oppida iam olim Poloniæ Regno pignori data, perſoluto pretio Hungariæ denuò reſtituere cogitârat; quo facto, facilè ſanè coniectura aſſequi licet, animum mentemque e-

Georgius Racocius moritur.

ius

ius eo propendiſſe, ut univerſæ tandem Hungariæ dominio ac poteſtate potiretur, cum iam Ferdinandum amiſſa Praga, ac reliqua penè Bohemia attritis viribus afflictum ac divexatum nimium obſervaſſet. Intellecta morte Racocij Ferdinandus ad Caſſoviam, ac quinque ſuperioris Pannoniæ Provincias, vel ut vulgari appellant ſermone Comitatus in poteſtatem ſuam revocandos, quos inter pacis fœdera vita ſuperſtite ei conceſſerat, nuncium Joannem Töröſium deſtinat, expeditque; quanquam & ipſi Caſſovienſes cives ſevero atque avaro Racocij Imperio offenſi, Franciſcum Weſſelenium earum partium Præfectum Cæſaris nomine adventum accelerare commonuerint, eos priſtinum Ferdinandi regimen nequaquam deinceps detrectaturos, ſed integram fidem, atque fidelem obſervantiam, velut veteranos Regiæ Maieſtatis ſubditos deceret, inconcuſsè ſervaturos. Atque ita demum Caſſovia cum adiunctis Regni partibus à Cæſare, recepta.

Interea Georgius Lippaius Strigonienſis Archi-Præſul, Vir tabeſcens zelo pacem peccatorum videns, dum memoria repetit, à decennio iam ſacro Prælatorum univerſæ Provinciæ Concilio intermiſſo, hæreſes earumque potentiam nimium vires ſumere, Catholicorum Procerum pietatem tepeſcere, gregem Dominicum curæ ſuæ creditum ſylveſcere, & longè ab inſtituto quam ſacratos Viros deceret, diſcedere; ac inter eos præſertim Georgium Draſcovicium Jaurinenſem Epiſcopum, qui dignitatem eam præalto ingenio, eoque ſemper aſtutè liberali, quibuſdam apud Cæſarem ſibi faventibus, non occulta largitione præoccupatis atque corruptis conſcenderat. Is ab inſigni cupiditate maiores opes affectans, non ſolùm Nobilitatem plurimis onerarat iniurijs, ſed Collegium quoque Sacerdotum, ſubditoſque poteſtati ſuæ ſubiectos, varijs afflixit cladibus, Pontificatu deniq; varia labe polluto, cuius antea nomen Sanctius ac Venerabilius fuerat, Eccleſiaſticarum rerum ſtatum magnoperè conturbavit. Itaque cum & antea per Comitiales dies graviſſimis à Nobilitate, depoſitis querelis in judicium fuiſſet poſtulatus, & deinceps quoque ſeditioſa multitudinis adverſus Clerum concitatio metueretur; ſanis Lippaius inductus conſilijs, ſacrum ad Menſem Septembrem indicit Concilium, quo convenientibus univerſis, quæ pro incremento Catholicæ fidei, emendatione depravatorum

Synodus à Lippaio Tyrnaviæ celebratur

morum,

Digitized by Google

morum, caſtigandiſq; ſontibus expedire viſa ſunt, magna Lippaianæ pietatis, ac publici boni fervore ſancita fuère. Et Draſcovicius quidem velut Nobilitatis ingenitæ, & ſacratæ dignitatis quam gerebat immemor, tum ob crimina quorum ſupra meminimus, tum præcipuè ob Epiſcopatus ſui bonorum devaſtationem, deſolationem, abalienationem, avaram demum nimium tributorum exactionem, communi Concilij voto bonis Eccleſiæ ſuæ ad triennium, quinque millibus annuis pro ſacra dignitate decorè ſuſtentanda conceſſis, non abſque gravi nominis, bonæque exiſtimationis iactura motus eſt: Verùm dum hac mitiori correctione pertinaci conatu neutiquam contentus foret, deinde iudicio ab Archiepiſcopo legibus Regni iubentibus ritè celebrato, in bis centenis millibus damnatus, Eccleſiæ bonis ſeſe denuo abdicare iuſſus fuit. Tum verò ille feſtinato ad Cæſarem itinere recuperandæ gratiæ, beneficijque repetendi causâ Viennam contendit, ubi diuturno deſudans labore, ac quorundam interpoſitis precibus, ægrè tandem, obligatis ac depoſitis diverſis ſibi faventibus bis centenis millibus, ſalvo ac integro Archiepiſcopi iudicio cœterùm perſiſtente, optato potitus voto Jaurinum reverſus abijt. Ita auri ſacra fames, ac dira dominandi libido cœca cupiditate mentem animumque abripiens, hominem in honoris ſui, authoritatis, gloriæque diſpendium præcipitem agit; & divitiæ quæ cœteris ad comparandam, ſuſtinendamque nominis celebritatem adiumento eſſe ſolent, ipſi ad ignominiam ac ſempiternum dedecus converſæ, infamem eundem reddidiſſent, niſi ſenectute ac vitæ termino propinquante melioribus mentem conſilijs inſtituiſſet. Quare edaci ſerpigine atque carcinomate deſperatæ curationis per menſes plures laborans, tandem bonorum acquieſcens monitis, univerſa ſua ea pietate diſpoſuit, ac poſtremis firmavit tabulis, quæ non modò Chriſtianum bonum, ſed verò etiam Eccleſiaſticum pium declararet. Nam præterquam quod Nepotibus ex fratre Palatino genitis centum millia tallerorum reliquiſſet, cœteram quam habebat ampliſſimam pecuniæ ſummam pietati conſecravit. Quare Patribus Societatis pro Sopronienſis Collegij fundatione, quibus & antea opulentum Pornenſis Abbatiæ Sacerdotium ceſſerat, ſupra quadraginta millia adiungit: & cùm ſe Illyrico genere ortum meminiſſet, Seminario Capituli Zagrabienſis Bo-

Georgius Draſcovicius Epiſcopatu ſuſpenditur.

noniæ

noniæ fundato ſubſidij cauſa millia decem; Veſtalibus D. Claræ Virginibus in Vrbe Montis Græcenſis degentibus alia decem legavit, ac demum ſi quem aliquando quacunque ex cauſa defraudaſſet, Zachæi exemplum imitatus, aliquot in ſatisfactionem deſtinavit millia. Quibus peractis, omnibus deinde ritu Chriſtiano Sacramentis munitus, ſingulari in Deum ac Deiparam pietate, omniumque adſtantium conſolatione DEO animam reddidit.

Emenſum iam anni curriculum fuerat, quod Ferdinandus Cæſar Nicolaum Zrinium trium horum Regnorum Præfectura honoratum publicaverat; verùm cum ingenti obligatus ære Sveco hoſti, Banalibus militibus interea ſtipendia exolvere nequiviſſet, eius quoque dignitatis munere fungi Zrinius remorabatur: quare initio Quadrageſimi noni ſupra Milleſimum Sexcenteſimum anni Menſe Ianuario Quæſtoribus datis mandatis ſtipendia perſoluta, quo ſimul tempore Petrus Petreticius Zagrabienſis Epiſcopus Martini Boghdani Succeſſor, vir apprimè doctus, ac juris ſcientia clarus, & Nicolaus Comes Erdödius, iuſſu Cæſaris velut Pro-Regem Regni Optimatibus ac Nobilitati ad imperandum Varaſdini præſentant. Frequens ſanè Procerum ac Nobilium eo confluxerat Senatus, tum quod à pluribus annis vacante Magiſtratu de Patriæ rebus nihil conſilijs agitatum fuerat, tum ut Zrinio gratantes, ac obſequioſi contribules forent. Abſoluta demum lateſuſa dictione, qua Epiſcopus de immortalibus Familiæ Zrinianæ in Cæſares ac Patriam meritis, ac de ipſius Nicolai præclaris virtutibus diſſeruerat, Banus tandem ipſe quàm brevi, tàm gravi, ac maturo reſpondit ſermone in hunc modum.

Nicolaus Zrinius Banus præſentatur.

Si tota iſta frequens Inclyti huius Regni Congregatio, & maieſtuoſus generoſusq́ Procerum aſpectus, magnos mihi animos non facerent, non ſcio Illuſtriſsimi ac Reverendiſsimi cæteriq́ Domini, qualis ratio me hortaretur ad hoc onus ſuſcipiendum. Deliberaveram ſanè Sacram Maieſtatem Cæſaream Dominum & Regem noſtrum Clementiſsimum ſuppliciter orare, ut ab iſta onEroſa dignitate me eximere dignaretur; Genius enim meus magis me ad tractandum gladium pro utilitate Patriæ, quàm ad geſtandam togam invitat. Et quis Domini & Patriotæ mei ſola ſua prudentia, plurium Regnorum gubernationem apprehendere præſumat? in hoc

Oratio Nicolai Comitis habita in Comitijs.

præ-

præcipuè calamitoſo tempore, quo nec pax certa, nec bellum apertum, ſed unusquisq; angulus inſidias, unumquodq; Regnum aut ſibi, aut alijs ruinas minantur. Ecce omnia Europæ Regna cum mirabili fortunæ inconſtantia perniciem, ultimasq; ruinas inter ſe miſcent. Magna certè ſapientiæ columna, virtutumq; bellicarum fulcris ille inniti debet, qui tam vaſtæ navis, vel potius tam Inclyti Regni clavum, in tam procelloſis fortunæ inconſtantijs gubernare deſiderat. Vt ut ſit Domini & Patriotæ mei, nullam certè fortunæ rationem altè pertimeſco, quando tot præſtantiſſimorum Procerum, coniunctam beneuolentiam cum meâ promptitudine animaduerto; libenter itaq; mea ſeruitia, fortunas, vitamq; meam huic amantiſſimæ Patriæ offero, dedicoq;: id ſolum per DEVM immortalem vos omnes obteſtor, ut & vos in bene animaduertenda Republica unanimes ſitis, mihi quoq; ſi me fortè oneri ſuccumbentem videritis, conſilio, alijsq; veſtris præclaris virtutibus ſuccurratis. Suæ autem Sacratiſſimæ Maieſtati Regi & Domino noſtro Clementiſſimo immortales habeo gratias, quod me tali dignitate cohoneſtare, & mea præſtita ſeruitia, fidelitatemq; auitam ſe acceptam habere toti mundo oſtenderit. Non intermittam ſanè, quousq; guttam ſanguinis retinuero, hanc Maieſtati Suæ gratiam perpetuis meis ſervitijs promereri.

Quibus dictis, & redditis à Nobilitate per Prætorem Regni Ioannem Zakmardium pro propenſo in omnes animo gratijs, negotiorum tractandorum mole in diem imminentem dilata, eius diei celebritati impoſitus finis, ubi prius ad Eccleſiam Divi Ioannis Baptiſtæ Patrum Franciſcanorum itum, ac inibi de more veteri Banus manu dextera ſceptrum, altera vexillum tenens, perſtrepentibus tubis ac tympanis, ac tormentorum bombis reboantibus, præeunte deinde Epiſcopo Sacramentum dixit. Die inſequenti inter varias Procerum Nobiliumque conſultationes, graves admodum querimoniæ adverſus Alexandrum Miculicium Thomæ filium flagitioſæ ac perditæ vitæ Iuvenem in medium allatæ; eius petulantem inſolentiam ac plura iam patrata homicidia, ni Banus ſeveriori exemplo, quod Patriæ leges dictarent in eundem animadvertat, Nobilitatem id minimè laturam, omnibus conclamantibus. Cuius partes cum Pater Thomas homo cœterùm etiam factioſus tueri conaretur, in eum quoque Nobilitas commota, quod filius eius defenſione ubique

pro-

protectus, non à prioribus deſtituturus, ſed in graviora quotidie prolapſurus crederetur, eundem è Comitiorum loco movit. Tùm deinde quod à Ferdinando Cæſare Centumviralis Hungariæ Senatus, ad octavas Idus Ianuarias Poſonium indictus fuiſſet, Oratores Regnorum nomine decreti Georgius Rattcaius, & Ioannes Zakmardius Regni Prętor, vir doctus & eruditus, Legumque Patriarum apprimè gnarus. Aſpera horridaq; hyemis acerbitas concreto glacie Danubio evoluto menſe Cæſarem Viennâ movere prohibebat, donec tandem die vigeſima Martij diuturna expectatione feſſi Proceres, ad citeriorem Danubij ripam, quod ingentibus ſubinde diſruptæ glaciei tabulis deſcendentibus, pons conſtrui nequiviſſet, adventanti occurrere, ac de more Strigonienſi Archiepiſcopo ſalutẽ novo Regio adventui adprecante, feſtino deinde tormentorũ plauſu in arcem induxere. Paucis interjectis diebus Palatinus, Paulus Comes Palffius in demortui Draſcovicij locum electus ſubrogatur, nec aliud quidquam calamo dignum Hiſtorico ibidem actum. Comitia Poſonium à Cæſare indicta.

Verùm ſub decurſu Comitiorum Thomas Miculicius ægritudine lentæ tabis contractâ, pręſertim verò mœrore filij ſui Alexandri exceſſuum viſcera depaſcente contabuit, ac ſemivivus Zagrabiam poſteà devectus, paucis interiectis diebus totius Patriæ, cuius hoſtis fuerat, gaudio extinctus eſt.

Poſthæc ut plerumque pax diuturnior aſſvetis bello viris tædio ac ignaviæ eſſe ſolet, Turcæ Bihachiani ac finitimarum Croatiæ arcium ne penitus otio marceſcere viderentur, & noſtros longâ pace fruentes armorum tractandorum peritiâ oblitos arbitrati, pauciores quidem, at crebrius nil tale metuentes ruris occupatos laboribus vellicant, dirumque ſubire cogunt captivitatis jugum: donec tandem exacerbatus Lupus Frangepanus Croatiæ limitum Pręfectus, generum ſuum Comitem Petrum à Zrinio, aſſignatis ei octo penè equitum, peditumque Centurijs, ad caſtigandam reprimendamque hoſtium inſolentiam, ac illata damna ulciſcenda proficiſci iubet. Itaque conſtituto tempore ad finem menſis Novembris hilares in unum milites limitanei coivêre, quaſi nutu Deorũ bene gerendæ rei facultas offerretur, & adverſus Bihacianos, qui ſuperiori æſtate incurſiones fecerant progeſſi, tres in itinere obvios depopulantur pagos. Reduces dùm lentius cum pręda ſexcentorum maiorum, mille Turcarum cædes à Petro Zrinio facta.

verò minorum & quingentorum pecudum, nullo reperto hoſte remeant, exciti tandem repetitis rebôantium tormentorum ictibus in prælium hoſtes Bihicio procurrunt, & ad Iſachiciam arcem noſtros inſequuntur; Ibi tenui certamine cum noviſſimo exercitus noſtri agmine velitatum, donec auxilia vicinarum arcium adeſſent. Et verò necdum Slunium attigêre noſtri, cùm nunciatur Zrinio Badancovicium Dellibaſſam Crupenſis arcis Præfectum Bihacianis ſeſe, patefacto iam antea per captivos noſtrorum adventu, plenioribus copijs coniunxiſſe, & amplificatis viribus explicatiſque ſignis iuſtâ acie moliri in noſtros impetum. Subſiſtere ad hæc ſuos æquo campo Zrinius, & triplici diſtinctum ordine militem, ſuo unumquemque loco, quo hoſtem adventurum rebatur, operiri iubet; ipſe medium cum Caroloſtadianis tenet agmen, quod tribus conſtabat centurijs. Vix ſpatium ordinandæ aciei ex inſtituto diſciplinæ militaris cõceſſum, cum Badancovicius pleno Marte pugnæ cupidus, in medium irruit ordinem; cui dum Zrinius præclari quidpiam facturus, ac facinus æterno nomine dignum patraturus occurrere ſtudet, habenæ frœni diſruptæ felicitatem omnem benè gerendæ rei præcluſerunt, & concitatus iam in curſum pernix equus vix ſiſti, ne in medium hoſtium ſeſſorem deferret, poterat, niſi à cæteris circumcingentibus à ſuſcepto curſu fuiſſet inhibitus. Nefaſti hoc fuiſſe ominis, & ſeverioris cuiuſdam cenſuram portenti ariolabantur pleriqùe; ſed ipſe, tametſi periculo proximus, cæteris ſibi præſentior, ne animis fracti nutent concidantvè, quin priſtinæ memores virtutis imperterrita obvient fronte monet, ſe quoque alio conſcenſo equo cum ijſdem ocyus prælium initurum, omniaque martis diſcrimina experturum pollicetur. Nondum integrè completo ſermone hæc auribus ardentium militum infuderat, cùm iam in mutuum cum hoſtibus conſpectum facti, adverſis pectoribus utrinque vicaria excipiuntur vulnera, & primo ſtatim in congreſſu Badancovicius à Ioanne Criſanicio ut communior fama ferebat, vix annorum viginti adoleſcente Lupi filio, paternæ virtutis ex aſſe hærede, ſclopo ictus occubuit. Amiſſo duce, cæteris etiam ægrè admodum impreſſionem noſtrorum ſuſtinentibus, tandem plurimis cadentibus, ſiniſtro fortunæ ſucceſſu, ac noſtrorum fortitudine animadverſâ terga vertunt, & fuſi palanteſque per avia atque devia, qua cuique cæ-

Zrinij magnanimitas

ca

Digitized by Google

ca obtigit ſorte, dilabuntur. Caroloſtadiani, & arridente marte, & victoriæ iam partæ ſuccenſi gloriâ, longius hoſtes inſecuti alios dant neci, alios ex fuga retrahunt; imò quibuſdam, ne ab irato milite perimerentur, ſupplici voce vitam precantibus, idem victorum miſericordiâ atque magnanimitate ſervati fuêre. Periêre eo prælio ducentis amplius hoſtium, è quibus præſertim Badancovicius vetuſti Croatiæ ſtemmatis clarique nominis miles, frater verò graviter ſaucius ægrè Crupam vivus repetijt: vivi in poteſtatem noſtrorum ceſsêre quatuor ſupra centum, ac inter eos primi ordinis nonnulli, & præcipuè Saſuar Aga Bihacianus Lupo Frangepano Præfecto dono datus; quamvis longè maior cæſorum captorumque fuiſſet numerus, niſi diſtractæ noſtrorum vires ſeriùs ad dimicandum perſequendumque coaluiſſent. Partâ hunc in modum propitio Deo victoriâ, & eò quidem celebriore, quòd vix decem è noſtris deſiderati ſauciatique ſint, eo die Slunium pervenêre, & ibi quiete militibus data, nox tranſacta. Die inſequente, qui Solis erat, Carloſtadium advenêre eo ordine, ut uno noſtrorum agmine præcedente, equi deinde qui prædæ ceſſerant ſubſequerentur, ac eos equi clitellarij complures præciſis hoſtium capitibus onerati; Sed unius Badancovicij haſtæ infixum, ac in altum ſublatum, jucundo univerſis ſpectaculo fuit, tùm captivi longo ordine ducti.

Badancovicius interficitur.

Cæſi Turcarum 200 capti 104.

Poſt quos ipſe Zrinius auguſtâ ſpecie, victore turmarum cohortiumque ſtipatus catervâ, triumphanti ſimilis præſidium ingreditur. Univerſa demùm populi frequentia, quæ ad ſpectandum gratulandumvé concurrerat, eum in delubrum Sacroſanctæ Triadi dicatum, die quoque ipſi ſacrato deducente, ibi omnes deſilientes equis ſupplices in genua provoluti, DEO primum gratias ter Optimo Maximo lytante myſta, ac hymno quo ſupremo numini laudes ab Eccleſia referri ſolent, egit, quod barbaram hoſtium inſolentiam eorum viribus attriverit, & ſuos fauſto memorabilique victoriæ ſucceſſu exhilaraverit. Tum deinde captivi ſub haſta venundati, quorum præcipuus Saſvar Aga duplici Aga-Lucatus ſeu Centurionis ſtipendio donatus, Publicani in Regno Boſnæ filius, Lupo Præfecto datus quinque millibus nummuûm argenteorum, quos talleros vocant, inſigni etiam elegantioriſque operis Perſici militaris Papilionis lytro perſoluto, deinde libertatem accepit. Nec multò poſt vidua inter-

empti Badancovicij funeſtam viri mœrens cœdem, litteris ad Frangepanum datis, ac nobili tranſmiſſo equo ſupplex obteſtatur, ne caput eius cum reliquis occiſorum conto infixum, ſuorum ignominiæ ac ludibrio pro foribus præſidij propoſitum diutius extare, verùm conditionis humanæ memor, digno nobili milite tumulo recondere velit; cuius ille poſtulationi abundè pro more militum ſatisfecit. Ita celebri hoc reportato de immani hoſte triumpho, cui à condito Carloſtadio ſimilem vix memorant, annus Quadrageſimus nonus ſupra Milleſimum Sexcenteſimum præclarâ Zrinij virtute nobilitatus, finem accepit.

Pax in Imperio & cũ Turcis declaratur.

Anno qui ſequitur Quinquageſimo, in alma quidem Urbe Româ, abrogatâ olim Æthnicæ ſuperſtitionis memoriâ, quæ ſæculari anno ludis inſolitis inſaniebat, Innocentius X. ſtupendo apparatu clauſam quarta ſæculi parte coctilique laterculo obſtructam portam aperuit, & Eccleſiæ theſauros largitèr diſpenſavit, omnibuſque Chriſtianis eo potiundi copiam fecit. Ferdinandus verò Tertius dum ſex prope luſtris toto Imperio tubæ lituique ferales concrepant, feſſam ac quaſſatam iam bellis Germaniam, pactis ac permutatis Monaſterij cum hoſtibus fœderis tabulis, alma deinceps pace fruituram, feſtivis concentibus replet. Hos ſecutus Nicolaus Pro-Rex cum Caniſienſibus ac ijs ſubiectis Turcis, quibuſcum acerrima ſuperioribus annis gerebat prælia, indicto Legradini conventu fœdus percuſſit. Aderant ad indictam diem ſupra ſexaginta Barbari parùm elegantèr inſtructi; at Zrinius cum cœterùm auguſtâ ſpecie, ac procerâ corporis ſtatura ſpectabilis eſſet, ſurgentibus de capite ardearum pennis auro gemmiſque intercluſis, Sariſſam deinde pedeſtrium Ducum inſigne geſtans, ac magno Procerum, nobilium, militariumque virorum comitatus agmine, tubis, tympaniſque concrepantibus (certò interim hoſpitij loco Turcis præſtolantibus) pedibus greſſus advenit ſpectabilior. Mutua peracta ſalutatione Barbarorum primis, quos Agas vocant, ac Decurionibus, Oda-Baſſis eis appellatis, parte ab una conſidentibus, noſtris ab altera, ſupremum Zrinio tenente locum; graves utrinque in medium recitatæ ſuperiorum temporum hoſtilitates, quibus viciſſim exaggeratis pax inita eſt, portus Legradinus liber declaratus, commeandi demùm milibus utriuſque partis, præſentatis Ducum ſuorum litteris, facultas conceſſa; tum demum epulis indultum.

Eodem

Eodem anno ad finem vergente ſtabilita hæc pax in Thurniſcha, quo Haſanes præcipuus Caniſienſium viſendi Zrinij cupidus advenerat, Vir ſanè elegans atque militaris, niſi fama eius facto antea cum Zrinio certaminis congreſſu, ac in fugam verſo, pileoque cum honore amiſſo decreviſſet. Dum ſumma Orbis Regnorumque capita paci ineundæ conſervandæque ſtudent, Ioannes Waychardus Feterus Germanus Ivanicij Capitaneus, novo Sclavonicorum limitum Præfecto à Cæſare miſſo gratificaturus, compulſis ſuis navalem abſque ordine ſub Dubiciam cogit expeditionem; verum cognito à Turcis noſtrorum adventu eo infelici caſu ſucceſſit, ut centum amplius è noſtris ſint deſiderati, unà cum excubiarum Magiſtro Alemanno expeditionis Præfecto, vix aliquo hoſtium detrimento. Tractatum denuò anno præſenti Valachorum negotium, ad quod complanandum Styriæ quidem Provincia Otthonem Henricum Comitem Trauttmanſtorffium virum politum atque elegantem, Lupum deinde Rinksmaulium acuto inſignem ingenio ſubmiſerant. Ferdinandus porrò Cæſar pro Hungaricæ parte Coronæ in eorum Commiſſariorum locum, qui poſt trigeſimum quintum annum ſupra Milleſimum Sexcenteſimum fatis conceſſerant, ſubſtituit Gaſparem Orehocium Vice-Banum, Joannem Zakmardium Regni Prætorem, ac Ioannem Ruchicium Vice-Comitem Zagrabienſem, Viros opibus ac ingenio potentes, præſidente univerſis Nicolao Pro-Rege; qui etiam Thomæ Miculicio præſentiæ Regiæ Perſonali paulò ante è vivis ſublato, authoritate à Cæſare iam habita, Georgium Rattcaium non ſine fructu ſubrogavit. Et ſanè per trimeſtre ſpatium quàm acritèr, tàm ſublimi ingenio inter eos diſceptatum, bonumque tandem res exitum, annuente etiam Ferdinando clementer, ſortitura credebatur; niſi & innata Thracum inconſtantia, quâ leviſſimi homines fluxa ſemper fide laborantes, Regnum ac Pro-Regem fefellerunt; & Styrorum aſtus, quo continuis epiſtolarum ad Cæſarem miſſitationibus tempus extraxerunt, obſtitiſſent. Itaque cum ſe juſtitiâ ſubſiſtere omninò diffiderent, eo perverſo uſi conſilio, ut apertiſſimam quoque optimi Cæſaris mentem in dubium vocarent, id demùm effecêre, ut mutuo conſenſu in præſentiam Cæſaris negotium dirimendum terminandumque differretur.

Ivanicenſes à Turcis caſtigati.

Stabilita

Digitized by Google

Stabilitâ cum hoſtibus pace anno primo & quinquageſimo ſupra decimum ſextum ſæculum, poſt adoratum à Regibus Chriſtum Prætorium Tribunal Zagrabiæ indixit Banus, quo, nunquam interrupto quadraginta dierum ſpatio, ritè peracto, adulto iam vere, cum pax quæ primo aſpectu ſecura ac florens bona ſpe tranquillitatis atque opulentiæ cunctos impleverat, portento ſimilis, quod vaſtitatem Europæ denunciaret, non ſolum Civile bellum inter Nicolaum Pro-Regem, & Caſparum Comitem Draſcovicium Socerum eius, ſed externum quoque maximè atrox atque formidoloſum, diffudit. Atque illud quidem ut melius explicetur, cauſa atque origo eius altius repetenda veniunt. Iunxerat connubio ſibi Nicolaus Pro-Rex Euſebiam Caſpari filiam, cum qua dotis nomine Tracoſtaniam arcem atque Caſtellum Clenounichium ſub triginta millium ſumma litteris obligata acceperat: nec his contentus pater novis filiæ litteris bona atque ſummam vitâ eius ſuperſtite obſtrinxit; ipſa porrò maritali amoris ac complacendi ſtudio Nicolao Comiti ſub declarata pecunia poſt fata etiam ſua poſſidenda conceſſit. Euſebiâ nullis ex ſe relictis liberis fatis concedente, Draſcovicius pater cum prodigentia & luxu enormi effuſè viliſſimis quibuſque miniſtris largiendo, inſanoſque ſumptus & immoderatos faciendo, omnem ſubſtantiam, quæ opulentiſſima à matre Margaretha Alapiana ſibi relicta fuerat, paucorum annorum curriculo profligatam decoxiſſet ac diſſipaſſet, egeſtate atque inopia preſſus à Genero bona repetit; verum is tametſi (ut animo ſemper excelſo eſt) abſque ullo æris onere reſtituere animo ſtatuerat, acerbitate tamen virulentiſſimorum Soceri verborum offenſus & adverſus eum commotus, negat ſe niſi ſummâ depoſitâ bona redditurum. Eo accepto reſponſo varijs deinde Draſcovicius medijs Generi mentem expugnare inſtituit, iam ſiquidem allatis à Cæſare litteris urgebat, iam diverſorum procerum interpoſitionem adhibebat, ſed fluxa ſemper inſtabilique apud omnes fide nutans. Quare ubi doloſis ſe artibus haudquaquam proficere animadvertit, malè cæpta principia peioribus uſus conſilijs, temerario prorſus ac fatuo terminavit exitu. Mutuatus quippè obligatis bonis quatuor florenorum millia, quæ in redemptionem ſaniori conſilio conferre potuiſſet, collecticiam quandam gregariorum hominum manum ſtipendio conduxit, ac primò in Styriam edu-

Bellum inteſtinum inter Banũ & Gaſparẽ Draſcovicium.

ctam

ctam bona ſua Lutumbergica, quæ Provincia Sorori eius Saræ Dyoniſij Comitis Zechij coniugi, ob inexſolutam hæreditariorum bonorum portionem cum poteſtate tradiderat, ferro atque igne devaſtat; Caſtellum ipſum ſub Arce ſitum obſcuris noctis tenebris ſubiecto igne, infami crudelitate pulsâ ex eo ſorore flammis abſumit. Inde quaſi præclaram nactus victoriam, Dravum per Ormoſdinum ſuis remeantibus incendiarijs, celeri feſtinatione Clenounichium obſidet: Verum ubi vel à paucis Comitis Nicolai militibus egregiè locum tueri, ac exploſis per feneſtras pixidibus longioribus aliquot è ſuis interfectos occubuiſſe videret, ſpe potiundi Caſtelli deiectâ, curiam Lypounichiam verſus iter movet, atque inde pecora omnia abigit frumentumque avehit, proviſoris bonorum domum prædonum more diripit, uxorem eius ac plures honeſtas matronas abducens, earumque pudicitiam viliſſimorum prædonum libidini fœdè proſtituens, Tracoſtaniam arcem hominibus vacuam ingreſſus, & advectis ſecum aliquot minoribus colubrinis, obſeratis portarum valuis, extremam ibidem fortunam experiri ſtatuit. Nemo fuerat qui Nicolaum Pro-Regem hac offenſum ignominiâ, extremam quoque Draſcovicio contumeliam irrogaturum dubitaſſet; verùm ille Petovini Styriæ oppido curandæ valetudinis cauſa eò temporis commoratus, feſtinum ad ſuos in Inſulam expedit nuntium, datque in mandatis, ut aſſumptis quoque tormentis omni poſtpoſitâ morâ expugnationi duntaxat arcis incumbant. Eorum Centuriæ aliquot in expeditionem profectæ, cum tormenta iugis protracta opportunis locis collocaviſſent, arcis tamen expugnationem præter ſpem difficiliorem deprehenderunt; quod arx medijs in montibus mediocri ſita rupe, ab ipſis tamen montibus remotior eſſet, quam iuſtus tormenti jactus officere poſſet, nec ad arcem ullus præter unum qui ad portam ducit, pateret acceſſus. Itaque adhibitis in terrorem aliquot tormentorum bombis, Germani deinde milites, qui in itinere equites eſſe, prælia tamen pedites exercere ſolent; conſcensâ rupe cuniculis rem aggredi cœpere; quo inſperato turbati periculo obſeſſi, nuntiant deditionem ſine mora ac tergiverſatione ſe facturos, ſi vitâ ac rebus ſuis ſalvis in tutum evadere liceat. Firmatâ utrinque conditione arce excedunt, tametſi defectu rerum obſidioni tolerandæ neceſſariarum fugam meditarentur. Quoniam

Flagitia Gaſparis Draſcovicij.

Zriniani milites Tracoſtaniam expugnant

niam

Digitized by Google

niam etſi frumenti atque vini pulveriſque nitrati copia abundaſſent, aceti tamen, aquæ, lignorum, atque ſalis penuriâ ſummâ laborabant: & demum, quod non ſolùm diſciplinæ militaris peritiam, ſed rationis quoque ductum arguit, cum multum animalium numerum, ac equos ſupra quadraginta in arce, quinque aut ſex vix fœni plauſtris procuratis, habuiſſent; ea penè omnia macie fameque enecta fœtore intolerabili inſeſſos in deſperationem agebant. Eiectus atque pulſus arce, poſt aliquod deinde tempus hinc inde velut exul divagatus, ægrè tandem amicorum quorundam opera impetravit, ut numeratis Nicolao Pro-Regi quatuor millibus in bona reſtitueretur. Ita Draſcovicius militiæ ac prudentiæ leges æquè prætergreſſus (cuius alioquin facinora maiorem ſanè animadverſionem promerebantur) audaciæ atque inconſideratæ temeritatis ludum exhibuit.

Hasan Aga Kys Comarinum expugnandū impetrat.

Dum hæc domi geruntur Haſan Aga Caniſienſium primus, quem anno ſuperiore Nicolaum Pro-Regem inviſiſſe retulimus, ipſo vere ad Selymum Budenſem Vezirium profectus, eundem muneribus corruptum, multis verbis edocet; Kys Comarinum duabus diſtans Caniſâ leucis ſummo eis promovendæ amplianddæque ditionis obſtaculo eſſe, exiguum tamen locum nec ullis naturæ artiſvè munimentis firmatum, paucis duntaxat militibus præſidium teneri; facili proinde ac expedito prorſus negotio expugnari atq; in poteſtatem redigi poſſe. Quare ſummis precibus obteſtari ſe Vezirium, ut expugnandi loci poteſtate ſibi conceſſâ, fines Regni ſui prolatare nullatenus intermittat, ſpondere ſe exiguâ militum manu nullo è ſuis amiſſo locum obtenturum: ſolùm impenſi laboris id ſe præmium poſtulare, ut loco in poteſtatem redacto, eidem ipſe, hæredeſque porrò eius perpetuis futuris temporibus præficiantur. Obtinuit Haſan-Aga amicorum ope quod poſtularât, Caniſamque reverſus, collectâ aliquâ militum manu Kys Comarinum, quamvis irrito conatu, obſidet.

Diverſæ Chriſtianorum in Europa victoriæ.

Interea in diverſis Europæ partibus Chriſtiana religio reportatis de immani barbaro haud vulgaribus victorijs magnificè triumphabat; nam & Veneti ſeptennio iam integro pro Candiæ Inſula depugnantes, navali prælio novem Turcarum millibus internecione deletis, ac tribus in poteſtatem acceptis, reliquis fuſis ac fugatis, præclaram omninò palmam retulêre; adeò ut ea

ſibi

Digitized by Google

ſibi tota imminenti hyeme quietem atque otium peperiſſe, ac futuri belli apparatum præparandi tempus comparaſſe viderentur. Et Caſimirus Poloniæ Rex aliquot iam præcedentibus annis Coſacorum & Tartarorum immani rabie, ſeveriſſimiſque armis divexatus ac penè oppreſſus, tandem divini numinis ope, communibus Regni precibus impetrata, quæ à Pentecoſtes feſto, uſque ad tempus reportatæ victoriæ, diem ſcilicet Apoſtolis Petro & Paulo dicatam indictæ ac publicatæ, quotidie quadraginta horarum ſpatio perdurantes frequentabantur, celeberrimum de devictis hoſtibus trophęum reportârit. Ingenti ſiquidem magnus Tartarorum Cham exercitu comparato, cuius centum millia recenſeri ferebantur, eum cum Chmielniczkio Coſacorum Duce eo conſilio coniunxit, ut adunatis in unum viribus Polonorum Regno potiretur. Verum Caſimirus excitis Regni ſui copijs, ac Germanorum Svecorū adiutus auxilijs hoſti obviam factus, plenam pugnæ fecit poteſtatem Hieremię Viſniowieczki legato ſuo præeunte. Dum acerrimus parte ab utraq; conflictus initur, coruſcantibus tormentorum ac ſclopetorum flammis caſtra ipſa in igne arſiſſe credebantur, & tribus propè diebus integris protracto certamine, omne Tartarorum ac Coſacorum robur contritum, proſtratumque per multa viarum milliaria iacuit; ſexaginta hoſtium millia cum pleriſque copiarum Præfectis eo prælio occubuiſſe vulgabantur, & Cham ipſe tormento ſub axilla ictus fugam capturus, equo delapſus extinguitur. Chmielniczky vitato mortis diſcrimine ad ſaltuoſas quaſdam paluſtris loci convalles profugiens, ijs occultatus tantiſpèr hęſit, donec juſſu Regis milites ferro atque igne terribiles, tametſi atrocitate ac diuturnitate pręlij fatiſcentes, eundem cum ſocijs prædam habituri pręſtolabantur. Sed mira fortunæ benignitate ei aſpirante, illuceſcente die nimboſus è cœlo depluens imber, omnem benè gerendæ rei facultatem præcluſit. Quare forum nactus per occultos tramites inde ſe ſubripiens, ſub Turcarum Principis patrocinium confugit, à quo etiamnum eundem Caſimirus repetit, niſi ipſe pariter armorum vim atque eandem Martis aleam experiri malit. Quanquàm nec Polonis incruenta ceſſit victoria, cum viginti quinq; millia eorū deſiderata fuiſſe pro comperto tradatur. Hæc Polonorum pugna maximè atrox atque cruenta, quâ Tartarorum Coſacorumque Duces inauſpicati honoris ac ſuperbæ domina-

tionis inuſitata clade obruti, pœnas dederunt, inter memorabiles ſęculi noſtri, quæ à multis retroactis annis acciderint, meritò numerari poteſt; ſive quis clariſſimorum Duçum inopinatum interitum, ſive numeroſiſſimi exercitus internecione deleti cladem cum deſperato propèmodum Polonorum ſtatu conferat, ſive promptiſſimi cuiuſque funeſtam mortem & cœdem animo contempletur.

Diluvium Zagrabien. Sub idem tempus Zagrabiæ in Illyrico nocte intempeſtâ adeò vehemens nube rupta trium horarum ſpatio ruebat imber, ut exiguę latitudinis fluvius Cirquenſchak vetuſto nomine, nunc Medvednicza appellatus, Vrbem à Collegio Sacerdotum interſecans, in immenſum ſuperatis alveis tumefactus, pleraſque ſuburbanas domos humi locatas inundaverit; duodecim verò imis evulſis fundamentis unà cum hominibus ſomno ſopitis ad Savum uſque detulerit, ut quarundam ne veſtigia quidem apparuerint, & quinquaginta homines eadem aquarum celeri vehementià ſuffocati, partim ſub domorum ruinis, partim campis iacentes aquarum curſu delati reperti fuerint; totus deinde annus cunctis penè terrę frugibus ablatis aut putrefactis, ſummâ annonæ penuriâ laboraverit. Nec Jllyrici finibus vis mali concluſa, ſed eodem penè tempore, in remotiſſimis quoque Belgij partibus Civitates integras undarum copia inſepultas accepimus. Non ſine gravi præpotentis Dei acerrimi ſcelerum vindicis uſque adeò in nos ſui oblitos irati, ac magnâ divinæ ultionis urgente pœnâ hæc accidiſſe potiores interpretabantur.

Vna hac diluvij infelicitate Zagrabienſium ac vicinorum animi graviter perculſi, novâ inſigni, nec vulgari Nicolai Pro-Regis de Coſtanicienſibus Turcis relatâ victoriâ recreati exhilaratique fuêre. Coſtanicia ſacræ Rhodiorum Equitum Militiæ olim dominium, poſtea Zrinianis Comitibus à Johanne Tahyo pignori data, flumine Hunnâ (quem veteres Valdanum appellavêre) ex Dalmaticis alpibus orto in Inſulæ modum undique circumflua; ita ut difficilem expugnatu locum, unus qui citra flumen arci ſupereminet Dedus mons, quod ex eo tormentis peti poſſit, infirmiorem reddere videatur. Verùm ubi iuratus Chriſtiani nominis hoſtis Crovatiam expugnare progrederetur, quod armis ſe comparaturum non confidebat, eo auro tenaci hominum viſco penetravit. Quoniam fraude ac proditione Simonis Lo-

Zrinius Banus Coſtanicienſes prętio fundit.

ſtohar

ſtohar è Carnis oriundi, cum è manibus Zriniorum accepta in præſidium fuiſſet commutata, duorum millium aureorum nummûum pretio cum perfidiæ ſcelere divendita eſt. Coſtanicienſes tametſi crebriùs noſtros infeſtis armis, ac præcipuè Siſcienſes etiam flammis afflixiſſent, ut libro ſuperiore retulimus, à noſtris tamen invidente fortuna quieti ac propè ſecuri tranquillam agebant vitam, nec ullo adverſæ fortunę metu à Draſcovicianæ oppugnationis tempore tenebantur. Inde Zrinius aucupatâ identidèm invadendi eos opportunitate, tandem ad pridie nonas Augusti ad Petriniam conventum ſtipendia merentibus indixit. Sparſo itineris rumore alij quoque Pro-Regi obſequij cauſa gratantes advenêre, inter quos Georgius Comes Frangepanus ſelectâ Carloſtadianorum Centuriâ adductâ, & cum eodem Paulus Cholnicius, & Chriſtophorus Delyſimunovieius, viri fortes equitumque Magiſtri: Hic Georgius cùm anno quadrageſimo nono ſupra Milleſimum SexcenteſimumPoſonienſium Comitiorum tempore Cubicularius Regius conſtitueretur, anno præſenti Conſiliarij munus obſequiorum meritis, ac in iuvenili ætate maturitate prudentiæ, elegantiſſimiſque moribus, quibus ſe Ferdinando Cæſari ac univerſis aulicis gratum fecerat, eſt conſecutus. Accurrit & Georgius Rattcaius, ad quem tametſi ſeriùs futuræ expeditionis fama pervenerat, celeritate tamen uſus, ac meridiei propè tempore Zagrabiâ iter inſtituens, eodem die inclinato jam ſole Petriniam, quod octo Germanicorum milliarium ſpatium continet, ac inde ad primam noctis vigiliam ad exercitum jam quieti deditum advenit. Ladiſlaus quoque Comes Racocius Romano itinere fortunâ redux, quod viſendæ Italiæ ſtudio ſuſceperat, ne obviam videndæ primum militiæ ſortem per ignaviam tranſmittere videretur, viæ comitem ſe Pro-Regi adiungit; adfuere & alij complures, ut numerus omnium mediam Legionem omninò conſtitueret. Traiecto pars ad Siſcium, pars ad Petriniam Colapi magno per circuitum facto itineris flexu, ad locum equis ſarcinarijſque jumentis adaquandis opportunum exercitus ſubſtitit; ibique non modò ea nocte, verùm diei quoque imminentis multis horis inſumptis, ac corporibus cibo refectis, paululum deinde ante meridiem lento paſſu progreditur. Modico demùm intervallo Coſtanicia diſtante opportuna exercitui locando valle, tertijs caſtris ventum ac pernoctatum eſt, ita tamen

Proceres quidam ſe Bano adiungunt.

2000. in Caſtris Bani.

ut peditatus univerſus Petro Patacicio viro forti atque impigro Pro-Regis legato ductante ad ſupercilium montis Dedi arci ſupereminentis eo quidem conſilio deduceretur, ut cum pugnæ tempus adeſſet, equitatus à fronte, peditatus à tergo prodeuntes oppido hoſtes intercluderent. Præmiſſus interim fuerat intempeſtâ nocte manipulus militum, qui illuceſcente die quacunque arte poſſet, hoſtem in certamen eliceret. Atque ille quidem ſilenti paſſu progreſſus, molam frumentariam Valdano fluvio ſuperimpoſitam, perfractis ſecuri foribus ingreditur, binoſque ibidem repertos & tantiſpèr reluctantes, opprimit tamen & ad Patacicium captivos perducit. Duo erant, quæ magnam noſtris proſperi ſucceſſus difficultatem ingenerabant, nam imprimis plerique rebantur, vix poſſe accidere, ut duarum noctium ac integræ diei in eorum ſolo tanti exercitus facta mora eoſdem lateret, unde graves & occultas veriti inſidias malè cum noſtris actum iri formidabant. Deindè paulò ante auroram lenis decidere pluvia cœperat, quare maiorem obducto undique nubibus cœlo pertimeſcentes ingruituram, ne viris armiſque madefactis, expedito boni militis officio prohiberentur, anxij dolore premebantur; dumque hoc ipſum à Georgio Rattcaio Pro-Regi proponeretur, forti etiam bonæ (ſuo alludens ſymbolo) aliquid tribuendum eſſe repoſuit. Verùm enimverò & ea Dei erga nos affuit benignitas, ut de adventu noſtrorum ab hoſtibus penitùs ignoratum fuerit, & ea cœli clementia ac peramœna temperies ſecuta, ut ceſſante quidem pluvia, nubes tamen totius diei æſtivi fervorem ſolis, magno militum commodo, prohibuerit. Perfractam à noſtrorum manipulo præmiſſo molam, abductoſque homines, quamvis equitatui in valle matutinam lucem præſtolanti ignotum adhuc fuerit, hoſtibus tamen jam probè perſpectum erat; verùm incertum quibus de cauſis miro omnes ſilentio continebantur: neque enim noſtros pro more ſuo inſecuti; neque ullum tormenti ſignum edidêre. Clara apertaque iam lux albeſcebat, cum diuturno hoſtium ſilentio pertæſi, ambigui quid facto foret opus hærebant omnes; tum accito Juraſſinio viarum ductore, ac collato cum eo conſilio, duas Banus præmittit turmas, quæ vagabunda per paſcua quaquaverſum animalia homineſvé intercipiant: cœteri verò per declive collis celeriori paſſu decurrentes, lata planicie inter Valdanum & colles

Difficultates futuræ pugnæ.

pulchris

Digitized by Google

pulchris conſertos vinetis palàm in Coſtanicię conſpectum longo ordine protenſi conſtitêre. Nec mora, dato tormenti ſigno, puncto temporis Turcæ Thracibus mixti erupêre; ac equites quidem planiciem occupabant, pedites autem ad dextram ducente viâ, veterem, qua Coſtanicia rivus in Hunnam decurrebat, alveum aqua vacuum ſubintrabant, quo ex inſidijs noſtros veluti vallo protecti longioribus ſclopetis petere poſſint; verùm ij ab militibus Germanis Comitis Zriniani qui pedites præliari ſolent, ad fores alvei collocatis, ne plures ſuccederent reditumque noſtris eâ quâ venerant præcluderent, prohibiti ſunt. Vbi Turcæ equites planicie fuſi iuſto numero ſeſe invicem contuentur, accelerant greſſum ad conſerendas cum noſtris manus; tum verò Prætoriana Bani turma quæ dexteram tenebat, ac Carloſtadiana ponè ſita acerrimè cum hoſte congrediuntur; in ipſo noſtrorum in hoſtes impetu tres è Carloſtadianis, duo è Zrinianis à Thracibus in alveo occultatis glandibus petiti cadunt, duo vulnerantur: cœterùm ubi ad manus ventum, hoſtium plurimi bis repetitâ pugnâ occubuêre, captis etiam nonnullis, nullo ne læſo quidem noſtro; ex certamine verò reduces, eos quos alveo ex hoſtibus occultatos diximus, omnes obtruncant. Fervente prælio adeò crebris tormentorum reboatibus vicina ciebant auxilia, ut univerſo internecione deleto præſidio Coſtaniciam ipſam amittendam ſignificarent, tormentorumque fragor Banialucam uſque, atque ad multa in partes noſtras milliaria facilè exaudiretur. Sat iam hoſtis pleriſque caſtigatus exiſtimabatur, reditumque Banus receptui canere iubens apparabat; cum ecce opportunè admodùm peditatus noſter è Dedo monte ab altera fluminis parte denſa veluti nebula devolvitur, ac ponte pertranſito quoſcunque planicie hærentes, & equitum noſtrorum abitum proſpectantes deprehenderant, magno ſublato clamore atque acri in eos invecti impetu in profluentem propinquum Hunnam impulerunt. Audito noſtri clamore, denuò hoſtes ſubſequi rati, eorum aliqui pedem referunt; verùm agnitis militaribus noſtrorum ſignis jucundum cum ijſdem habuêre ſpectaculum, dum anatum inſtar ſupernatantium Hunnæ Turcarum capita, brevi deinde gurgitibus aquarum hauſta proſpectant; nec minus octuaginta aquis abſorptos conſtat. Omer Aga Caſtellanus arcis quem Diſdarium ipſi cognominant, viſa duplici ſuorum ſtrage, univerſos

Primus cũ hoſtibus congreſſus.

Secundus cum hoſtibus congreſſus.

arce

arce oppidové ſub diræ mortis, aut perpetui exilij interminacione exire, ac noſtros inſequi, prælium que totis viribus redintegrare iubet; neque ullum ex eis pugnam detrectaturum Imperatoris ſui pane deinceps ſuſtentandum minaci voce conteſtabatur. Quibus auditis tum verò Turcæ, Thraces, ac Chriſtiani eorum poteſtati ſubiecti, quos ipſi Magyaros appellant glorioſa magis cum hoſte confligendo morte occumbere, quàm ſine honore atque ſtipendio vivere, aut turpi fame enecari malentes, aut mori aut vincere conſtituunt. At peditatus noſter recenti victoria factus alacrior, animis præſentiſſimis in novos invectus hoſtes, aliquot ex eis neci datis, cæteros in turpiſſimam coniecit fugam; nec à perſequendo deſtitit uſque ad ipſas arcis portas, ut Diſdarius occupandæ arcis metu perculſus ſublicium pontem ſuper Valdanum ſtructum, arci ipſi attiguum levare, ac ſuos retro fugâ delatos ingredique conantes, noſtris trucidandos relinquere atque excludere ſit adactus. Evacuato penè viris ac præſidiarijs oppido, mulieres cum infantibus atque pueris, & quod quælibet urgente tempore auferre poterat, viſa in ipſo ponte miſeranda ſuorum cæde, proximos colles caprearum inſtar conſcendunt, gemituque, lachrymis, atque clamore metus ac doloris teſtibus vicinas valles complent. Facili prorſus negotio univerſum oppidum prædæ noſtrorum cedere, imò in poteſtatem redigi potuiſſet, ſi & occupare per Cæſarem, & expilationi immorari per advenientes è vicinis præſidijs Turcas licuiſſet. Satiatis hoſtium ſangvine noſtris per Dedum montem iter pugnante adhuc peditata inſtitutum, univerſi abſoluto prælio proſequuntur. Diſperſi interim hoſtes in unum denuò confluentes, in furorem ac rabiem converſi, & coniuratione per impia Mahometis numina facta non ſe niſi victores retroceſſuros, veſtigijs noſtrorum inhærentes poſtremum inſequuntur agmen; & brevi poſt duobus prælatis militaribus ſignis in remotiore colle, ne fugam noſtri accelerarent, eos adhuc die illa experturos quid negotij cum Coſtanicienſibus eſſent habituri, clamitantes conſpiciuntur. Eadem hæc verba elegans quidam Turca oblongam Skarlatinam indutus veſtem, ac equum ſpadiceo colore ex Ægyptia radice tinctum in orbem gyrans, tum propius noſtris accurrens ingeminabat. Accidit non iniucundè ut Germanus Zrinij Comitis

Tertius cũ hoſtibus congreſſus.

miles

miles minitantem conſpicatus Turcam, deſtinato longioris ſclopeti ictu peritiſſimè deponeret equo facetè ſubiungens; nunc, inquit, experiris optime militum, quid hodie futurum ſit. Cœterùm convolantibus plurimis nec poſtremo noſtrorum agmine ſatisfaciente, cuiusvis turmæ (cùm in decem diviſus univerſus fuiſſet equitatus) quinque milites Banus redire iubet, quibus regreſſis ac in hoſtem obvium acriter ſeſe inferentibus, iterato interfectis nonnullis, atque captis aliquot, cœteris repulſis, incœptum iter continuatur. Subſtitêre tantiſper hoſtes, donec angusto in tranſitu noſtri ſtructo exiguo ſuper Moſevnicium rivum ponte cunctantur, in quo ultra binos non dabatur tranſitus. Interea novi accurrerant è Zrinia arce tantis tormentorũ boatibus exciti Turcæ, & â fronte, ubi captivi cum præda ducebantur, infeſtant noſtros; verùm unius Zriniani equitis Georgij Ivanovicij virtute ac magnanimitate cœco in eos impetu invecti, ac Bani nomen atque auxilium inclamantis, pulſi fugatique ſumma cum ignominia pedem retulerunt, quo ultra eos perſequente unum in fuga captum retraxit. Sub hæc recurrit Georgius Rattcaius, qui cum Georgio Frangepano primæ aciei intererat ad Pro-Regem, eundem admonens, ut feſtinato gradu maturaret, novos quoque à fronte adveniſſe hoſtes ac periculum amittendæ prædæ noſtrorumque in medio hoſtium claudendorum imminere; Jam quidem ſemel pulſos atque reiectos eſſe, ſed nequaquam advenientibus ſemper novis aliam intermiſſuros pugnam. At ecce eo hæc referente terribili in cœlum ſublato ululatu, atque inconditis clamoribus Dei ac Mahometis propitium numen linguâ ſuâ vociferantibus, acerrimo in pedites noſtros à tergo conſtitutos impetu invehuntur, atque ſi antea fuerat, maximè atrox atque cruentum prælium recrudeſcit; exacerbatis planè ac deſperatis Turcarum animis ſemihora pugnatum eſt, adeò ut pedites noſtri diuturno ac irrequieto prælij labore feſſi, ulterius certamen detrectarent; neque ulla Pro-Regis authoritate vel imperio ad reſiſtendum adigi poſſe viderentur: eo tempore & à fronte & à tergo graviter à noſtris laboratum, neutra parte alteri opem ferre valente. Qua animadverſa Banus difficultate, ac peditum præſertim fracto animo ſubito deſiliens equo, & militibus fratrum nomine compellatis, ne deiecti animis deciderent, neque quaternam iam hodie reportatam victoriam poſtremò fœdè commaculent,

Quartus cum hoſtibus congreſſus.

Quintus & acerrimus cũ hoſtibus congreſſus.

maculent, ſed ut fortes deceret milites ſtrenuè & honeſtè æternâ memoriâ dignum certamen glorioſo exitu terminarent, acri voce cohortatur; ſe quoque pedibus uſurum, & æquato periculo peditem cum peditibus pugnaturum, vitam demùm æquè ac mortem pro fide atque Patria cum ijſdem poſiturum. Mirum dictu quantum animi omnium audientium in prælium exarſerint, nec iam ullum aut præteriti laboris memorem, aut futuri periculi pavidum vidiſſes, ſed novos quaſi recenteſque ſubmiſſos in novum ruere bellum: tantum quippè refert generoſi atque magnanimi Ducis exemplum. Quatuor è noſtris, amplius verò ſupra ſexaginta Turcarum eo in congreſſu deſiderati, nec tamen ceſſatum ab hoſtibus. Atque cum iam multum verticalem ſol lineam ſuperaſſet, ac longum adhuc noſtris iter ſuperandum eſſet, Banus conſilio quorundam aſtu atque arte certamen diremit: præcedentibus quippè progredi juſsis agminibus, pedites quoque celeri feſtinatione pontem tranſire intermiſsâ pugnâ jubet, collocatis interea parte ab altera pontis bifariam diviſis, ac extra viam occultatis triginta Germanis ſclopetarijs; Turcæ noſtros ab armis ceſſare, & feſtino procurſu pugnâ excedere animadvertentes, fugam rebus noſtrorum deſperatis arbitrati, eoſdem reſumptis recreatiſque animis inſequuntur: verùm ubi ad Germanos pedites ventum in inſidias præcipitati, pleriſque è ſuis eveſtigiò amiſſis, à proſequutione ulterioris prælij abſtinere, pedemque ſemper victi referre coacti ſunt. Horis octo plenis à matutina luce cœptam pugnam continuatam fuiſſe, obſervatum ab ijs qui penſile ex collo geſtaverant horologium, quâ ponticulo multorum ſanguine ſuperato abſolutâ, hilares deinde ſub ſerum crepuſculum Petriniam feſtivis ſclopetorum bombis per vaſtas ſylvas reſonantibus advenêre: Cœſi eo prælio hoſtium quinquaginta ſupra ducentos, & ad pontem quidem quinque primi Ordinis, quos ibidem ſepultos haſtis tumulo ſuperinfixis ſocij honoravêre; unus verò cognomento Chate militum ſcriba indomitâ barbarâque in Chriſtianos captivos uſus ſemper feritate, præciſo capite omnium gaudio interfectus eſt. Capti triginta octo ex quibus præcipuus Deli Mahmut ſuperſtitionis eius ſacrificulorum Antiſtes, Temeſvario Pannoniæ oppido Coſtaniciam veluti patriam inviſens, qui Bano muneris loco datus, quemadmodum & pater eius ſuo quoque Patri ſub Coſtanicia

captus

Digitized by Google

captus in ſortem ceſſerat. Duo etiam Caniſienſes, quorum unus à Caniſienſibus ſubmiſſus nuntium attulerat, Banum ex Inſula eo profectum animo, ut Croatiæ partes armis infeſtaret; Sauciati plurimi, qui deinde vulneribus debilitati domi mortem omnes ex æquo ſubiêre. Signa militaria capta tria, equi ſeptemdecim, pecora maiora 200. prædæ noſtrorum ceſsêre, quæ omnia die inſequenti Petriniæ ex veteri more diviſa militibus. Duo præcipuè toto hoc prælio memoratu digna acciderant, primum quod nullis occultatus inſidijs, ſed palàm equitatus aperto campo in conſpectum Coſtanicienſium ſeſe præbuerit; tum deindè quod ipſis arcis portis noſtris incumbentibus clauſo levatoque ponte, hoſtis vix loci ſalutem obtinuerit. Sed maiori penè ignominiâ quam detrimento accepta, Omer Aga Diſdarius ad Paſzliam Boſnæ Præfectum Banya Lucam ſubito profectus arcem officiumque ei reſignat, nec ſe deinceps cuſtodiam curamq; eius habiturum, niſi emendato & colubrinis aliquot impoſitis, quibus hactenus omninò caruerant, loco communito per ſacra omnia affirmabat; pudore prorſus ſe ſuffundi memoriâ eius cœdis atque cladis à Zrinio acceptæ, cui ſimilem Mahometani milites ab eo tempore, quo locum illum obtinerent, nunquam ſuſtinuiſſent. Paſzlia tametſi & ipſe furore exagitatus, blandioribus tamen Diſdarium verbis conſolatus, curæ ſibi negotium fore pollicitus eſt, nec longam paſſurum elabi moram quò Coſtanicienſibus tutioris permanſionis cauſa quàm optimè conſulatur, non demum temporis multum decurſurum, quin ſe de iniurijs Zrinianis ad ſatisfactionem ulciſceretur; pergeret in præſens bonis avibus, atque vigilias tàm domeſticas quàm forenſes gnavitèr obire non intermitteret.

Diſdarius arcem cum officio Baſſæ reſignat

Vix Zrinius Inſulam repetiverat, cùm ſpeculatores referunt Haſan Agam Caniſienſem per abſentiam Zrinij magis ſtimulatum Kys Comarienſem denuò obſidionem repetendam animo ſuſcepiſſe; in quem finem Caniſienſium, Berſencianorum, ac Seguſdianorum mediam penè in caſtra exciverat Legionem, & admotis aliquot colubrinis ſecundis caſtris expugnationem inſtituit: Præerat loco Ladiſlaus Pethö genere Illyricus, vir impiger atque ſtrenuus, & animadverſo oppugnationis periculo, à priore iam cautior redditus, ad tolerandas obſidionis neceſſitates vires animumque adijcit; & primo quidem oppugnationis die

Haſan Aga denuò Kys-Comar nũ oppugnat.

Digitized by Google

tentatâ irruptione multa ſtrage hoſtis repreſſus in vicinos pagos ſauciato truncatoque milite ſeceſſit. Ea nocte à tributarijs ac dedititijs eorum locorum incolis intelligit Adamũ Comitem Batthianium cis Danubianarum partium Præfectum, ac Comitem Nicolaum Zrinianum juſtis cum copijs Kys-Comaromienſibus auxilio adventare. Itaque ne multiplici affectus incommodo, ac ſupervenientium diſtractus prælio, & tempus expugnandi præſidij amittat, & ſuorum vires imminutas accipiat, eorum adventum prævenire, ac ſummo diluculo nec opinato mœnia conſcendere ſtatuit. Quare prima luce & colubrinis promotis mœnia quatere, & militibus dato irrumpendi ſigno, quamvis non eadem qua heſterna die animorum alacritate, veluti fortunam minus ſecundam præſagientes, inire pugnam occœpêre; quorum deinde pars una ſuburbij domos pecoribus abductis flammis abſumpſit. At noſtri heſternæ victoriæ divinitus partæ memores in irrumpentes, viri quidem colubrinis ac ſclopetis rem gerere, mulieres verò ſaxis, ac ferventi aqua ſubeuntem hoſtem magno detrimento afficere pergebant, ac eadem noſtrorum virtute viribuſque hoſtes repulſi ac reiecti iterum ſe recepêre frendente ac fremente Haſan Aga, quod is & cubitotenus dextræ manus brachium colubrinæ ictu avulſum, & plurimos ſuorum temeritatis ſuſceptæ caſtigatos amiſiſſet. Quare omiſsâ quam temerè intulerat obſidione, & amiſſis è ſuorum numero non minus mille, ac in ijs aliquot clarioris nominis Centurionibus atque manipularijs re infecta, cœteris in eum gravi odio atque ira ferventibus Caniſam retroceſſit; ac non multò poſt vulnere in peius vergente, nec chirurgorum medicamine opitulante è vivis exceſſit: quamvis & à ſuis præfocatis faucibus, crudeli ſed Turcis uſitato mortis genere, ob expeditionem malè geſtam, niſi honeſtiori fato ante ſubreptus fuiſſet, vitam poſuiſſet.

Haſan Aga vulneratus extinguitur.

Facto ab hoſtibus bellandi principio, noſtri pari conſilio vices rependendas cenſuêre; quare Ioannes Chriſtophorus Comes Puchamius Comaromienſis, ac Cæſarianarum Legionum (quem nunc campi Mareſcalcum vocant) Præfectus, conſilijq; bellici Vice-Præſes, vir non minùs togâ quam ſago præſtantiſſimus, & qui ſuperioribus bellis magnanimitate animi, ac pulcherrimarum famâ victoriarum inclaruerat; cum Comitibus Nicolao Zriniano ac Batthianio collectis in unum copijs, quarum ad

Noſtri Seguſdiũ oppugnandũ ſuſcipiunt.

ſeptem

ſeptem penè coiverant millia, ad Segusdium ampliſſimum Pannoniæ oppidum, quod ab incolis Segeſticæ Illyrij Inſulæ, Dacorum incurſionibus olim pulſis, mutatis ac in Pannoniam tranſlatis ſedibus, nomen accepit; oppugnandum profecti ſunt. Ferdinandus quoniam expeditis per celeriores equos ad Puchamium Comitem ex conſilio ſuo literis, eidem demandabat, ut ſi hoſtis contempto induciarum fœdere, ruptiſq; pacis quas confecerant tabulis, KysComarinum occupaſſet, is è veſtigio vi, machiniſque adhibitis illud recuperaret; ſin verò deſtructa quæpiam militari inſolentia reperiſſet, ea reſtaurare quam primum maturaret. Exceſſum nihilominus quàm inopinum tàm gravem aut armorum congreſſu, aut præſidij cuiuſpiam minoris in cendio caſtigare nequaquam intermittat, neque ſe in fortioris munitioriſque expugnatione loci diſtineri ſinat, ubi & militum copiam amittere, & præſidium expugnatum tranſactæ vi pacis reſtituere neceſſum foret. Itaque Seguſdium cum ijs quos diximus profectus, quod KysComarini hoſtes feciſſe didicerat, ſuburbiorum duntaxat domibus incenſis pecoribuſq́e abactis, nec ullo maiore operæ pretio facto, Zrinio febrium caloribus æſtuante, ac potiori ex parte curru per exercitum vecto, KisComarinum reditum eſt; ac ijs quæ Turcarum violentiâ deſtructa repererat reſtauratis, ad ſua quiſq; reverſus eſt. Cæſar collaudatis per literas Puchaimio atque Zrinio, quod celeritate uſi ſingulari univerſa è mente ſua expeditè confeciſſent, admonet poſtremo ut quieſcentibus hoſtibus à noſtris quoque pax atque quies concedatur; ijs porrò ulterius inſoleſcentibus, quod ijſdem optimum è re viſum fuerit, ſe arbitrio, prudentiæque eorundem intelligant commiſiſſe.

His omnibus per Europam affecti barbari cladibus, nec minore accepto rerum ſuarum in Aſia incommodo, quod Spahogliani, quos illi nobiles, ſeu fundorum ac villarum poſſeſſores appellant, adverſus Ianicaros iuſtis odijs ad inferendum civilem tumultum exarſiſſent, quibus mitigandis aut ſopiendis, neque magnum Veziriorum Divani concilium, neque Imperatoriâ authoritas ſufficiebat, metu haud mediocri rerum ſuarum perturbandarum tenebantur. Quare Caniſienſibus novandis motibus intentis ſcriptæ Byzantio litteræ, & à militibus Zriniani Comitis Legradino experiundæ fortunæ cauſa profectis

unà cum Chauſio interceptæ, & ad eundem delatæ hunc „reddebant ſenſum. Primus Vezirius Caniſienſibus ſalutem. „Inſolentias, quas præteritis hiſcè temporibus exercuiſtis, admira„tiſſimus; quas ſi adhuc continuare perrexeritis, ſciatis capitibus „veſtris vos perſoluturos. An ignoratis Tartaros à Polonis in„genti cœde profligatos, eoſdemque novos in nos conari motus; „Aſiam quoque Ianicerorum atque Spahiarum turbidiſſima con„tentione periclitari, ut nullo imperio cohiberi poſſint: nec ex „alijs partibus bona accepimus nova; non eſt iam tempus ſuper„biendi. Breviſſimis ſed nervoſis hiſce litteris calamitates atque miſerum rerum Turcicarum ſtatum exponebat barbarus, quo uno feliciſſimè oblato tempore quam opportunè Chriſtiani Principes mutuis poſitis odijs, & coadunatis in unum viribus, exagitandum eum, remque Chriſtianam promovendam ſuſciperent, nemo eſt qui non videat: verùm ij execrabili vecordia diducti ac perpetuis infeſtiſque inter ſe armis dimicantes, de vicinæ Pannoniæ Illyricique ſalute ac permanſione, nihil penſi habere videntur; tàm diuque inſanient, donec ipſi debellatis calamitoſorum Regnorum reliquijs, eorundem barbarorum armis iniuriæque expoſiti, aut ab extremo ignominiæ pudore ad pietatis decus revocati neceſſaria arma ſumere, aut ſimilem ſibi, ac ſuis populis & regnis calamitatem cladémque expectare condidicerint.

Primus Vezirius Caniſienſes per literas corripit.

Chriſtianorum victorijs conſternati Turcæ ad ſua reſtaurandaBoſnenſes præſertim vires omnes contulerunt, ac imprimis accepto nuper ad Coſtaniciam detrimento, eam & colubrinis impoſitis, & veteri collapſo reſtaurato ædificio fortiorem munitioremque reddiderunt. Inſiſtentes operi & inopinatam noſtrorum irruptionem metuentes, magnis accitis interioribus etiam auxilijs longiorem ibi moram protraxêre; quamquam frequens nec falſa omnium penè aures fama pulſaret, firmiſſimè eos ſtatuiſſe, aut Turopoliam lateſuſam uberemque inter Savum & Colapim planiciem populari, aut Petriniam expugnatione obtinere. Verùm Paſzlia Boſnenſis, cum Bani copias ex Sclavonicis limitibus vehementèr auctas, Lupi Leſzelij earum partium Præfecti iamPetriniam cum mille equitibus adventu, ac ſuppares à Lupo Frangepano ſuppetias indies ex Croatia adventuras certis nuntijs fuiſſet edoctus; noſtrorumque copias robore, animo, diſciplinaque firmiſſimas, vera tum primùm æſtimatione metire-

tur,

tur,& præſentis maximè Pro-Regis nomen, vimque eius cum ſumma felicitate coniunctam, in tanta ſuorum fortunæ inclementia, quam anno præſenti experirentur, magnoperè formidaret, quando etiam paratis omnibus victricia arma vix ſumenda viderentur; ab propoſito deſtitit conſilio, ac parte ab utraque propinquante iam hyeme ex caſtris diſceſſum; præſertim quandoquidem Colapis aquæ, quæ fervore ſolis imminutæ pleriſque in locis tranſvadari poterant, decidentibus autumnalibus pluvijs ſuccreviſſent.

Hæc fuêre, Rex Apoſtolice, quæ Draſcovicio Bano authore ſcribenda, eo Palatino impulſore perficienda ſuſceperam; nunc annuentibus Superis, deducto ad calcem opere, cuius pallentem ſæpè, ac inclinatam feſſa pagina excepit faciem, in benignas tuas id repono manus: & ſanè biennium iam ſolidum inter lucubrationes meas detentum tenebras ſuas gemebat, publicæ lucis avidiſſimum. Sed tempori aptari decet. Nunc ad orexyn multorum aut ſedandam, aut acuendam, anni ſuperiores prodeunt; cœteros vitâ ſuperſtite (ſi hos lectori placuiſſe cognovero) diligentia maturiori proſecuturus. Imperij quidem Draſcoviciani fuit, ut ſcriberem, ſed obſervantiæ & amoris in te mei (nam & noſter te metus amat) ut tibi ſcriberem, atque tuum in Illyricarum Provinciarum curam amorem fortius impellerem. Non quod putem non amare, cui conceſſum ut tuos parentum more ames, & à tuis filiorum more ameris: cum ſcias fruſtra terrore ſuccingi, qui ſuorum amore ſeptus non eſt, armiſque arma irritari, amore amorem: ſed ut Numinis more, cum eminus nos videris iactari, protector adſis. Finio, Rex Apoſtolice, ita Maiorum Regiæ Maieſtati Veſtræ offerens ac relinquens memoriam, ut mei quoque apud ipſam, quam felicibus ariſtis tot Regnis ac Provincijs glorioſam ac ſuperſtitem imperare deſidero; noſtra demùm apud poſteros virens ſemper floreat MEMORIA. *Epilogus totius Operis.*

FINIS LIBRI SEXTI.

Digitized by Google

APPROBATIO VNIVERSITATIS VIENNENSIS.

OPus clarum & eruditum, cuius eſt hæc inſcriptio: Memoria Regum, & Banorum Dalmatię, Croatiæ & Sclavoniæ inchoata ab origine ſua, & uſque ad præſentem annum 1652. deducta, Auctore Georgio Rattcay de Nagy Thabor, Lectore & Canonico Eccleſiæ Zagrabienſis, relectum & accuratè reviſum eſt, & cenſeo publici Juris multorum emolumento fieri poſſe; remque non ingloriam fore dictis Illyricis Regnis. Ex Monaſterio noſtro ad SS. Sebaſtianum & Rochum die 29. Ian. 1652.

Fr. NICOLAVS DONELLANVS,
Ordinis Eremitarum S. Auguſtini,
SS. Theologiæ Doctor, eiuſdemque
in Vniverſitate Viennenſi Profeſſor
publicus, & p. t. Facult. Theologicæ
Decanus.

Imprimatur.

MICHAEL WIRSING,
p. t. Rector Univerſitatis.

Digitized by Google

Digitized by Google

INDEX RERVM MEMORABILIUM,

Per ordinem Alphabeticum digeſtus.

A.

AGro Illyrici Rex gaudio & ebrietate moritur. folio 12
Alexandri regiminis principium, eiusq; difficultates. 7
Alexander Illyricos devincit. 10
Alexandri privilegium Illyrijs datum. *ibidem*
Alexander Philippi pater pacta mercede ab Illyrijs bellum redemit. 4
Alexandri Miculicij facinora. 256
Ambitio divini honoris in Philippo, ac eiusdem pœna. 6
Amynthas Philippi pater Illyrijs vectigalis fuit. 4
Andreas Bothus Banus ſub Zrinia interficitur. 108
Apardis à noſtris profligatur. 169
Apologeticon contra Ioannem Baptiſtam Verum. 217
Auſpergus Crupam Turcis permittit. 143
Eius defenſio. *ibid.*

B.

Bani cur aliquando plures, aliquando unus. 39
Banus expectatur ab Hungaris ut Rex declaretur. 102

Digitized by Google

Bardylis Illyriorum Rex à Philippo vincitur. 5
Battho Dalmatiæ Regulus per triennium Romanis reſiſtit. 21
Blaſius Forgach Carolum Regem interficit. 81
Blaſius Magyar latrones in Bohemia ſupplicio afficit. 100
Blaſius Magyar Brunenſem arcem expugnat. ibid.
Blaſius Magyar cum 300. Croatis præclaram contra Turcas victoriam obtinet. 101
Blaſius Magyar magnis muneribus ab Aragonio donatur. ib.
Branimirus Rex ſe ſubditum S. Petri profitetur. 47
Bela Rex varia in Croatia ædificat. 66
Bellum atrox inter Ferdinandum & Racocium. 240.
Bellum inteſtinum inter Oſualdum Epiſcopum, & Joannem Corvinum. 112
Bellum inteſtinum inter Zrinium Banum & Caſparem Draſcovicium. 262
Benco Bani magnanimum facinus. 64
Idem regis ſententia abſolvitur. 65
Benedictus Thurocius brevi Banatum finit. 187
Benedictus Kattcay à Corvino bona obtinet. 116
Lupoglavæ ſepelitur. ibid.
Benedicti Vincovicij encomium. 198
Budimerius Dal. Croat. & Scl. Rex & Apoſtolus. 36
Bulgari Philippum profligant & vulnerant. 6
Bilitus Banus Croatiæ à Rege deficit. 45

C.

Canimerius Rex à Croatis interficitur. 44
Carloviciorum origo. 128
Carlovicij mors. ibid.

Caſpa-

Digitized by Google

Caſpari Alapi felix à Turcis eliberatio. 148
Caſparus Rattcaius regij corporis cuſtos. 121
Caſparus Koinskius Vicebanus. 200
Caſpari Frangepani militaris virtus. 213 & *ſequ.*
Caſparus Iancovicius vir inſignis. 223
Caſpari Draſcovitij flagitia. 263
Cheanus Rex Sclav. à S. Stephano interficitur. 48
Chriſtophorus Frangepanus defenſor Dal: Cro: & Scl: 121
Chriſtophorus Frangep. ſub Varasdino tormento ictus. 126
Eius pietas Chriſtiana. 127
Chriſtophori Frangep: morte Ioannis Regis res cadunt. ib.
Chriſtophorus Mernavicius Petriniæ Capitaneus, & Vicebanus. 179
Cliſsia à noſtris occupatur. 164
Cliſsia Paradiſij fraude Turcis deditur. 166
Cliſsia à Venetis occupatur. 217
Crapina arx ſedes Zagoriæ. 23
Crapina natale ſolum Chebij ac Lebij. *ibid.*
Croatia multos habet Martyres. 35
Croatarum 300. plenam victoriam reportant. 100
Croatiæ miſerabilis ſtatus capta Coſtanicia. *ibid.*
Croatæ Ferdinandum Tertium à morte liberant. 243
Ciriakius in Croatia Ludovico rebellat. 74
Cocianus à Zrinij famulis interficitur. 129
Collatio regum Illyrij cum primis Hungariæ regibus. 42
Colomannus rex noctu virgis cæditur. 60
Conſpiratio Hungarorum contra Draſcovicium Palatinum. 250
Coſtanicia à Draſcovitio obſidetur. 168
Coſtanicienſes Turcæ Siſcianos noctu invadunt. 223

D.

Dalmatia unde dicta. 27. eius quantitas. ibidem:
Dalmatæ contra Julium Cæſarem pugnant. 18
Dalmatæ cum Pannonibus Rom: & Macedonas ſimul inuadunt. 19
Dalmatæ per deditionem ſe Tiberio ſubmittunt: 21
Dalmatia à Ludouico à Venetis recuperata. 76
Demetrius Romanis Illyrici urbes proditione tradit. 13
Sed poſtea ab iiſdem deficit. ibidem.
Defenſio Joannis Bani. 83
Dignitas & officium Bani. 40
Dignitas & officium ViceBani. 200
Diſgreſſio aduerſus Petrum Opmerum. 20
Diligentia Ioannis Draſcouicij. 231
Diluuium Zagrabienſe. 266
Diſpoſitio caſtrorum in pugna Varnenſi. 92
Diuiſio Regnorum Jllyricorum, ac eius partium. 22
Duronius Romanus contra Dalmatas conqueritur. 14

E

S. Emericus Dux Sclauoniæ. 50
Emericus Perenius Palatinus, Banus, & Segnienſis Capitaneus. 118
Emericus Derencenius ad Hunnam Turcas fundit. 107
Emericus Derencenius Bernardum Frangepanum Briniæ obſidet & compeſcit. 108
Emericus Derencenius à Iacuppe fuſus & captus. 109
Emericus Derencenius Conſtantinopoli in carcere moritur. 111
Emericus Bebek Banus. 67

Digitized by Google

Erdődiana Familia. 142
Emericus Erdődius captiuos Coſtanicia feliciter eliberat. 228
Exhortatio ad bellandum cum Turca. 184
Euſtachius Banus. 68
Europa Iapheto in diuiſione obtigit. 1

F

Ferdinandus Tertius fugam Græcium meditatur. 217
Ferdinandus Tertius caſtra ad Sacolciam indicit. 239
Ferdinandus Tertius ad caſtra Imperialia proficiſcitur. 143
Fidelitas Illyricorum erga Auſtriacos. 181
Frangepana Familia. 66
Franco de Thalocz Banus ad Varnam egregiè pugnat. 93
Franco de Thalocz Vlricum Comitem Ciliæ in fidelitatem patriæ compellit. 94
Franco Banus in campo Merulæ fortiter prœlians occumbit. 95
Franciſcus Batthianius Banatum reſignat. 129
Franciſcus Slunius Banus terno prælio Turcas fundit. 146
Eius laus atque mors. ibidem.
Franciſcus Erghelius inſignis Eccleſiæ adiutor. 198
Franciſcus Chiculinius ac eius origo. 247

G

Gentius Rex pacis impatiens Romanos vexat. 14
Gentius Rom: Legatos in vincula conijcit. 15
Gentius ab Anitio vincitur. ibid.
Ab eodem Romæ pro triumpho ductus. 16
Gentius à Perſeo deſeritur. 15
Georgius Draſcovicius Banus & Epiſcopus Zagrabienſis

Ru-

Ruſticorum ſeditionem prælio ſedat. 148
Georgius Lencovicius Cliſſianis ſubſidio veniens profligatur. 165
Georgius Zrinius ligna Caniſæ vendit. 195
Georgius Zrinius veneno tollitur. 199
Georgij Frangepani talenta. 213
Georgij Rattcay ad Palatinum Draſcoviciũ Oratio. 234
Sub Erfordia pugnat. 245
Commiſſarius Cæſareus Thomæ Miculitio ſubſtituitur. 264
Orator ad Comitia Poſonienſia deſtinatur. 256
Georgius Racocius bellum Ferdinando Imper: infert. 240
Georgius Racocius Homonajum exagitat. 241
Georgius Racocius moritur. 252
Georgius Lippaius Archiepiſcopus Synodum celebrat. 253
Georgius Draſcovicius ab Epiſcopatu ſuſpenditur. 254
Eius mors. ibid.
Gregorius Frangepanus moritur. 118
Grebeniam arcem Frangenus occupat. 191
Godeſcalcus Rex Sclavoniæ & Martyr. 53
Goſtumilus Rex. 48
Georgius Drevodelicius loco Bani in pugnam ſe offert. 204
Grebeniam Pernarius deſerit. 193

H

Haſanis in Illyricum irruptio ac eius cædes. 155
Haſanes rurſum Illyrico damna infert. 157
Haſan Aga Caniſienſis Kys Comarinum oppugnat. 273
Ibidem lethaliter vulneratur. 274
Henricus Sclavoniæ Banus Monaſterium Caproncæ extruit. 68

Digitized by Google

Hermannus Sclavoniæ Banus Lupoglavæ Monaſterium fundat. 115

I

Iaphet filij Illyricæ linguæ authores. 1
Ioannes Bittowecz Banus. 98
Illyricorum virtus bellica. 244
Illyrici Ferdinando Auſtriaco adhærent. 131
Illyrici regna authoritate Apoſtolica Coronæ Hungaricæ adiunguntur. 57
Illyrij Auguſto bello moleſtiſsimi. 20
Illyricum unde dictum. 2
Illyrij late ſumpti quantitas. 3
Illyriorum Oratio ad Alexandrum. 10
Illyrij Auguſti exercitum vincunt. 19
Illyriorum gens altera ex omnibus à S. Paulo converſa. 29
Immunitas Eccleſiaſtica in Illyrico ſancita. 38
Iſtri in Romanos irrumpunt. 14
Ioannes Banus Palatinum Garam ac Reginam Eliſabetham occidit. 82
Eius ſupplicium. 83
Ioannes Marotta Sigiſmundum à morte liberat. 85
Ex Illyrico in Hungariam reducit. ibid.
Ioannes Marotta in Boſna pugnans capitur. 87
Ioannes Hunniades Demetrij Epiſcopi Zagrabienſis ſtipendiarius. 90
Ioannes Thalocz Belgradum ſtrenuè tuetur. 90
Ioannes Corvinus Gubernator Hungariæ conſtituitur. 95
Ioannes Thuz Banatu privatus Venetias migrat. 99
Ioannes Frangepanus Inſulam Vegliam Venetis tradit. 101

Ioan-

Ioannes Corvinus ex pacto Illyricum poſsidet. 105

Ioannes Corvinus Iacobum Siculum prælio fundit, & Zagrabien: in poteſtatem recipit. ibid:

Ioannes Corvinus Banatu ſe abdicat. 107

Ioannes Giulanus Iaiciam tuetur. ibid:

Ioannes Corvinus rurſum Banus conſtituitur. 113
Sub Iaicia Turcas profligat. 114

Ioannes Corvinus arces ducibus ſuis donat, ac eius mors. 115

Ioannes Banffius Scepuſienſi regi adhæret. 127

Ioannes Lencovicius Turcas fundit. 142

Ioannes Draſcovicius bis Szerdarium profligat, & Petriniam obſidione ſolvit. 169

Ioannes Draſcovicius Valachos è Turcia educit. 178

Ioannis Rattcaij fortitudo & clementia. 179

Ioannes Draſcovicius Sclavoniam & Hungariam contra Bochcaianos defendit. 181

Ioannis Voicovitij inſignis virtus. 195

Ioannes Draſcovicius Palatinus creatur. 234

Ioannis Homonai in Sclavonia exilium. 241
Eius mors ibidem.

Ioannes Draſcovicius Ovarinum acquirit. 250
Eius mors & virtutes. 251

Ioannes Puchamius Segusdium oppugnat. 274

Iuanus Goſtumili Croatiæ Regis filius, Eremita in Bohemia. 48

L.

Ladislaus Gara Vicegradienſi Præfectura ac cuſtodia Coronæ privatur. 89

Ladislaus Eghervara Banus Turcas prælio fundit. 102

La-

Digitized by Google

Ladiſlaus Caniſianus Banus conſtituitur. 111
Oſvaldum Epiſcop: & Corvinum ad pacem reducit. 112
Moritur ibidem. 273
Ladiſlaus Bucovaccius duellum cum Turca parat. 205
Ladiſlaus Pethô Kys Comarinum ſtrenuè defendit.
Libertate alios privare periculoſum. 4
Loſoncius Banus in Valachia pugnans interficitur. 88
Lucius Æmilius Demetriũ profligat, & Illyricũ occupat. 13
Ludovici amor in Illyrica Regna. 97
Ludovicus Pecrius in cuſtodiam conijcitur. 120
Lupus Pernarius Grebeniam deſerit. 139
Lupus Criſanicius terno prælio victor. 196
Lupi Erdôdij virtus militaris. 107
Lupi Mernavicij forte facinus. 202
Lupi Frangepani encomium. 212
Lupus Frangepanus à Venetis aureo torque donatur. 217
Lupus Erdôdius junior à Turcis interficitur. 249
Lupi Mernavicij ad duellum animus. 203 *item.* 205

M.

Mattco de Thalocz Banus Vladislaum Regem è Polonia adducit. 88
A Regina in cuſtodiam conijcitur. 89
Matthias Rex arte Wylachum ſibi allicit. 97
Matthiæ amor in Wylachum. ibid.
Matthias Gerebus duello cum Turca confligens victor evadit. 104
Matthias Gerebus Turcas prælio fundit. ibid.
Matthæus Gubecius ruſticorum Rex ſupplicio Zagrabiæ afficitur. 148
Marci Miſlenovicij infelix caſus. 117

Digitized by Google

Martinus Frangepanus Banus multarum Eccleſiarum fundator. 67
Martini Frangepani magna eleemosyna. 231
Maximilianus vi bona in Sclavonia occupat. 150
Medvedia arx ab Eccleſia Zagrabienſi abalienatur. 96
Mladini Bani crudelitas & impietas. 70

N

Niliptius Regulus in Croatia Ludovico rebellat. 74
Nicolaus Gara Banus & Palatinus. 78
Nicolaus Gara ortus ex Sclavonia. ibid:
Nicolaus Wylachus affectat regnum Hung: 69
Nicolaus Wylachus contra Matthiam Regem Frid: Imperatori ſe coniungit. 97
Nicolaus Wylachus diverſis à Matthia honoribus decoratur. ibid:
Nicolaus Wylachus Boſnæ Rex creatur. ibidem.
Nicolaus Frangep: multa pecunia ſe à Turcis redimit. 111
Nicolaus Zrinius Tartaros profligat. 134
Nicolaus Zrinius improſperè ad Conſchinam pugnat. 136
Nicolaus Zrinius egregiè ad Baboczã Turcas ſternit. 140
Nicolai Frangepani turbulenta Præfectura. 190
Nicolaus Frangepanus Zagrabiæ Seminariũ fundat. 194
Nicolaus Zrinius Caniſienſes cædit. 247
Eius brevis & cordata cohortatio. 248
Nicolaus Zrinius Coſtanicienſes fundit. 266
Nicolaus Zrinius equo deſcendit pedes pugnaturus. 271

O

Occaſio provocationis Turcarum. 203
Officium Bani. 40
Officium Vice-Bani. 200

Digitized by Google

Omer Aga Diſdarius Coſtanicium Baſſæ reſignat. 273
Origo Banorum. 38
Origo Equitum Ordinis Redemptoris. 159
Oratio Nicolai Zrinij habita in Comitijs. 255
Oſtervicia à Turcis capitur. 119
Oſvaldus Epiſcopus Corvini Caſtella occupat. 112
Oſvaldus Epiſcop: cum 200. equitibus ad Comitia venit. 113

P

Pauli Rattcai præclara facta. 137
Eius infortunatus obitus. 138
Pecunia hominum viſcus. 220
Perſeus ultimus Macedoniæ Rex. 16
Perdiccas Rex Macedoniæ ab Illyrijs prælio occiſus. 2
Parmenio Illyricos compeſcit. 6
Pax in Imperio declaratur. 260
Petri Opmeri impudentia. 20
Petrus Beriſlauus Epiſcopus & Banus prælio Turcas fundit. 116
Idem à Turcis occiditur. 118
Petrus Keglevicius Banus conſtituitur. 132
Idem officio privatur. 133
Petrus Erdôdius Gradiſcam & Velicam diripit. 141
Petrus Erdôdius contumelioſus in patrem. 142
Eius pœna. ibid:
Petrinia à Szerdario obſidetur. 117
Petrus Rattcaius Sigiſmundum Erdôdi in Banatum introducit. 200
Petrus Patachicius ad duellum comparet. 225
Eius virtus militaris. ibid:
Petrus Zrinius aprum ſingulari ictu proſternit. 242

Digitized by Google

Petrus Zrinius in flumine Turcam occidit. ibid:
Petrus Zrinius ad Imperiale bellum proficiſcitur. 245
Petrus Zrinius Bibacianos Turcas cædit. 257
Privunius Banus Miroslaum occidit. 51
Privilegium Frangepanorum. 105
Privilegium Præpoſiti Zagrabienſis. 198
Polonorum contra Tartaros & Coſacos victoria. 265
Philippus Alexandri pater obſes Illyriis datus. 4
Philippus prudenter regimen orſus. ibid:

R

Radoslaus à filio regno pulſus. 45
Radoslaus à Pontifice in regnum cum benedictione dimittitur. 47
Razimerij gentilis pulchrum dictum. 36
Raszina à Turcis concrematur. 180
Item à Frangepano devaſtatur. 124
Romani Dalmatarum quoſdam ſecuri feriunt. 13

S

Sapientiæ munus. 217
Sarmatiæ Provinciæ. 2
Scandinaviæ ſitus & quantitas. ibid:
Sclavonica lingua mater Bohemicæ & Polonicæ. 24
Sclavicæ linguæ principium à filijs Japhet. 1
Sclavoniæ Regnum Hungariæ auxilio eſt. 239
Seislaus Rex patrem Regno expulit. 45
Idem miſera obit morte: 46
Sigiſmundus Rex incarceratur. 86
Sigiſmundus Erdôdi à Turcis profligatur. 201
Sigiſmundus Erdôdi à Turcis ad duellum provocatur. 202
Eius deſcriptio. 210

Simon

Digitized by Google

Simon Erdôdy Epiſcopus Zagrabienſis adhæret Joanni Scepuſienſi. 127
Simon Loſtobar Coſtaniciam Turcis vendit. 267
Stephani Regis Boſnæ vaticinium. 90
Stephanus Scepuſienſis vi Samoborinum occupat. 112
Stephanus Brodericus Cancellarius. 119
Stephanus Baletitius Bildenſtanium à præſenti ſubmerſione liberat. 136
Segnia Metropolis Croatiæ. 80
Stephanus Loſoncius in Valachia occumbit. 88

T

Tartari Sclavoniam depopulantur. 179
Teuta Romanos claſſibus invadit. 12
Teuta Romanorum Legatos interficit. *ibidem.*
Teuta cum Romanis conditionibus pacem init. 13
Tiberius ab Illyrijs cæſus. 19
Tiberius Illyrios ac Pannones devincit. 21
Thomas Bacocius moritur. 118
Thomas Erdôdius cum Thurriano Turcas profligat. 154
Thomas Erdôdius Haſanem profligat. 158
Thomas Erdôdius Ordinis Redemptoris miles creatur. *ibi.*
Petriniam ſingulari exemplo oppugnat. 159
Tandem expugnat. 160
Thomæ Erdôdij mors ac ſepultura. 163
Thomas Erdôdius junior in colle arenario Turcas profligat. 206
Thomas Miculicius Vice-Banatu privatur. 200
Thomas Miculicius homo vafer Banatum affectat. 238
Thomas Miculicius è Comitijs ſe ſubducit. 257
Eius mors. *ibidem.*

Tra-

Digitized by Google

Trakoſtaniæ arcis ſitus, eius à Zrinianis expugnatio. 263

V

Valachi Draſcovicio Bano obedientiam ſpondent. 167
Valachorum cõmiſſio tentatur ſub Sigiſmundo Erdôdio. 207
Item ſub Draſcovicio. 231 *Item ſub Zrinio.* 270
Varasdinenſis Civitas. 23
Veligianes à Paulo Rattcai cæſus. 137
Veneti Cliſſiam à Turcis occupant. 217
Vezirius per literas Caniſienſes corripit. 276
Vlamanes à Zrinio cæſus. 138
Vincentius Malagrudicius transfuga capitur. 206
Vngnadius Zriniam arcem recuperat. 153
Vngnadius Samoborinum vi occupat. 154
Vngnadius Banatum reſignat. *ibidem.*
Variæ Regni afflictiones. 229

Z

Zagrabienſis Eccleſiæ laus. 59
Zagrabienſis Eccleſia fulmine tacta conflagrat. 197
Zagrabienſe iteratum incendium. 229
Zrinium arx à Turcis occupatur. 151
Zriniana Familia. 133
Zudomir Banus Croatiam occupat. 50
Zuonimerus Rex teſtamento legat uxori Illyrici regna. 57
Zelus fidei Catholicæ Draſcovicij Palatini. 251

Digitized by Google

Digitized by Google

QVæ calentibus olim adhuc Rhetorum ſtudijs, ſcholaſticis quibuſdam floribus oratoria arte luſimus, ac pleriſque deinde placuiſſe cognovimus; ea nunc amicorum precibus ſollicitati in publicum damus. Multò quidem plura declamatoriè diximus, quæ nobis per incuriam interciderunt, has binas poſtremò â nobis declamatas orationes ne omninò perirent, amici obtinuêre; quas etſi parùm profuturas, in tanta eruditorum copia, intelligamus; ijs tamen qui poſtulaverant, negare non potuimus.

PANEGYRIS
D. LADISLAO
HVNGARIÆ REGI,

Inclytæ Nationis Hungaricæ, in Celeberrima & Antiquiſſima Univerſitate Viennenſi Patrono tutelari, in Baſilica D. Stephani Protomartyris declamata Anno 1641.

CVm ab ijs, quorum curæ intereſt, mihi commendatum eſſet, Auditores Ornatiſſimi; ut hodierno die pro Antiquiſſimæ ac Celeberrimæ Vniverſitatis huius more ac conſuetudine, de anniverſaria memoria D. Ladiſlai Pannoniæ Regis aliquid in publico dicerem, quò & laudatiſſima â majoribus noſtris inſtituta conſuetudo conſervaretur, & in poſteros noſtros perennatura deſcende-

ret: cœpi oneris ſuſcepti magnitudinem cum viribus meis ſollicitè comparare. Nam ſi hoc dicendi munus in eius Regni conſeſſu ſubire deberem, cujus aliquando D. Ladiſlaus Rex victorioſiſſimus extitit, nihil mihi arduum aut difficile commiſſum crederem, facile ſiquidem, ut Socrâtes dixit, eſt Athenienſes Athenis laudare, quòd quæ quiſque amat, ea libentiſſimè laudari audiat. Et quemadmodum Cyrenæus Poëta facilè ait eſſe omnibus Appollinem laudare, in quo tot, tantaque laudum argumenta ſint; ita facilè videbitur, homini quamlibet infanti ac indiſerto eum laudare Regem, in cujus laudes ſi totius Pannoniæ quotquot eloquentiſſima habet ora, reſoluerentur, haberent quod poſteritati cum gloria commendarent. Et verò ſi veteres illi, qui errore ducti, plures eſſe Deos opinabantur, quem cuique eorum diem conſecrârant, eo laudes eius commemorare ac concinere ſolebant: multò nobis profectò juſtior cauſa eſt, quicunque Chriſtiano nomine cenſemur, Sanctorum ſolemnes dies, majorum ſapientia & authoritate conſtitutos, debitis honoribus ac veneratione proſequi; eoſque celebrare, quos nobis viciſſim aliquid vtilitatis allaturos eſſe confidimus. Sed interdum occurrebant alia quæ mentem affligerent, nec quieto eſſe ac ſecuro animo ſinerent. Quod ſi enim Socrates præſente Phædro amorem vituperaturus, facere id non audebat, niſi ſibi prius pallio caput obvelaret; ſanè multò me magis verecundari par eſt in tanto eruditiſſimorum Virorum conſeſſu de eo dicere, in cujus virtutum prędicatione ipſa Tulliana eloquentia majori cum dignitate verſaretur, quàm olim in Cæſaris aliorumque Regum commendatione ſit verſata. Cogitabam deinde mecum: in tàm ubere ac copioſa materia neceſſe eſt unicuique audientium multa in mentem venire, quæ commodè dici queant; neque fieri poteſt ut quidquid omnes cogitant, id dicat unus. Ita dùm pro ſuo quiſque captu quid ipſe dicturus fuiſſet, cogitat, & alia propè omnia faſtidiens, dum id unum dicatur auidè expectat, quidquid dixeris ſemper videberis omiſiſſe præcipua. Ego verò quomodo aut quidquam

alla

Digitized by Google

allaturum eſſe me ſperem, quod novitate audientium animos teneat, cum ijs in rebus mea verſatura ſit oratio, in quibus præſtantiſſima ſe præcedentium ætatum ingenia exercuerunt: aut ita dicturum, ut non plurimi alij ijſdem de rebus ornatiùs ac copioſiùs dixerint? Sed non mihi valde laborandum exiſtimo ut noua conquiram, non enim cantilenæ ſunt iſtæ, quibus nouitas, ut ait Telemachus, conciliat gratiam: ſed exempla virtutùm, quibus vel commemoratio ipſa authoritatem parit. Proinde ſi vera, ſi utilia, ſi digna huius loci authoritate, digna auribus veſtris attulero; quibus ea cunque verbis demùm extulero, hoc ipſo me ſatis ornatè dixiſſe arbitrabor: Veſtramque mihi gratiam adfuturam polliceor Auditores Ornatiſſimi ſi memineritis non mèa me voluntate locum iſtum conſcendiſſe, ſed quemadmodum parendi obſequium ſine nota alieni animi declinare non potui, ita pro multorum in me propenſione tacere non volui, pro clientum in Patronum affectu non debui. Quamquam & mihi ſingularis neceſſitudo dicendi de D. Ladiſlao incumbat, nõ ſolùm quod bellicoſiſsima Jllyrici Regna taſtamento ſibi à ſorore legata, Coronæ conjunxerit Vngaricæ; ſed etiam, quod ad Vicum Italicum Zagrabiæ ſitum Baſilicam magnificentiſſimam, paucis æmulam, Divo Stephano Vngariæ Apoſtolo dicatam, cum adjuncto Canonicorum Collegio (cuius & ego membrum ſum) totius Vngariæ ampliſſimo celeberrimoque, munificentiâ cæteris Regibus rarâ, fundaverit & extruxerit. Quare dicam ea quæ in tanta eorum, quæ ad dicendum ſe offerunt copia potiſſimum dicenda judicavi; & primum quidem quo pacto victorioſiſsimum de hoſtibus animum, in eoſdem clementem oſtenderit: tùm deinde quanam animi fortitudine ad res ſibi aduerſas ſubeundas comparatus fuerit; quid per iſta gloriæ, quid ornamenti Regnis ſuis attulerit, brevi aperiam dictione.

Fœlicitati clementiam in aliquo ſummæ dignitatis viro conjunctam eſſe, ſemper mihi admirabile viſum fuit. Nam ſi Divo Bernardo teſte, rara eſt humilitas hono-

rata, raram profectò & ego dixerim pietatem Chriſtianam, ac moderationem ſingularem in felicibus rerum eventibus. Viuendi leges ſtatuere felicibus inutile quaſi videtur, regi prudentiâ nolunt res proſperæ; cum pleno ſinu ſecundos flatus excepêre vela, nulla vi navem, nulla arte ſiſtas, etiam in ſcopulos verticeſque ituram. D. Ladiſlaus eam fuerat in omnibus prælijs felicitatem conſecutus, ut tametſi quàm plurima geſſerit; ex nullo tamen niſi victor redierit. Veniam dabitis Auditores compendioſæ præliorum narrationi. Chuni terno prælio, numeroſiſsimo ad internecionem deleto exercitu, Capulcho & Aco eorum Ducibus occumbentibus fugati, ac ſeſe impoſterum inter ſuos limites continere coacti ſunt: Rutheni in deditionem accepti: Poloni, quos neque neceſſitudo ſanguinis, neque vetus amicitia, neque vicinitatis jura in officio continere poterant; cum ad Sarmatiæ fines ſigna cum D. Ladiſlao contuliſſent, adeo fuſi palanteſque domum rediére, ut D. Ladiſlaus quouſque Cracoviam Polonorum Regiam eos inſequendo non perveniſſet, nuſquam pedem ſiſtere voluerit: Bohemi ob veteres quaſdam inimicitias captivitate mulctati: Carinthi ex Dalmatia ſororis ſuæ adhuc tùm Regno veluti importuniſſimæ muſcæ abacti: Salomon frater eius triplici devictus prælio tandem fratri regias ceſſit habenas. Omnia prælia iſta, ac eorum triumphos, ſi oculis noſtris nos ipſi ſpectaviſſemus Auditores Ornatiſſimi, ſtupuiſſemus profectò in Ladiſlao celeritatem Alexandri, conſilium Epaminondæ, ingenium Annibalis, fortunam Themiſtoclis, terrorem Africani. Verùm in omni hac felicitate, quâ quæſo D. Ladiſlaum clementiâ, quâ Chriſtiana animi continentia uſum putatis? Cum Rutheni facti ſupplices armorum injuſtè aſſumptorum veniam petijſſent, veniam omnem impetrarunt. Cum Polonos Cracoviam uſque inſecutus fuiſſet, urbe per expugnationem accepta, caſtigatâque eorum pervicacia, jus omne cum Civitate reſtituit, eoſdem admonens, ne contempto amplius amicitiæ jure in Vngaros quidquam molirentur: Cum fraternum exercitum partim

cæci-

Digitized by Google

cæcidiſſet, partim profligaſſet, Salomone fugâ ſibi conſulente, intuens ac miſeratus hoſtilium cadaverum adverſàm vicem, in uberrimas reſolutus lachrimas, & fortunæ prius viciſſitudinem incuſans, ipſorum deinde hoſtium cadavera honeſtæ ſepulturæ mandari curavit. Deniq; cum infenſiſsimos Hungariæ hoſtes Chunos tertio jam prælio in turpiſſimam conjeciſſet fugam, fugienteſque plurimos occumbere videret, pietate motus ad militem inclamavit: Parcite humano ſanguini, parcite milites, ſat cruoris hoſtilis effuſum, fugientem capite multitudinem, ut ſi forte ad orthodoxam fidem animum advertere voluerit, Dei populum amplificemus, qua re nihil Deo gratius ac nobis ſalutarius facere poterimus. O ſingularem clementiſſimi Regis indulgentiam! parumnè putatis Auditores Optimi in ipſo exacerbatiſſimo Martis furore pietatis ac miſericordiæ meminiſſe? parumnè erat hoſtibus cædem ac necem inferre meditantibus, mortem tamen condonare? ſæviebat eo temporis Mars omnium crudeliſſimus, maximeque hoſtilis ſanguinis avidus; effuſi per vias milites, ut in quemq; inciderant, ſine ullo ætatis ac dignitatis diſcrimine obvios trucidabant: undique gladiorum fulgor perſtringebat oculos, undique circumfuſa hoſtium multitudo miſerrimè cædebatur: fugientium eiulatibus, cadentium lamentis, morientium gemitibus, perſequentium clamoribus omnia circumſonabant: ipſe campus penè dimotus ac ſedibus ſuis convulſus, funeſtiſſimorum cadaverum in cæde ac ſanguine natabat: cum unius pientiſſimi Regis invicta virtus non cædem aut ſanguinem, ſed vitam hoſtium ſalutemque cogitabat. Noverat ſiquidem, ut quemadmodum fortem & invictum militem nihil niſi in certamine victoria, ita Chriſtianum Regem in victoria nihil niſi moderatio & clementia decet. Attulerat olim aliquid laudis Iulio Cæſari clementia illa, quâ Tullio pro roſtris deprecante Ligarium, quâ Deiotarum Regem, quà Marcum Marcellum perduellionis reum in gratiam recepit: ſed facile erat tranquillo compoſitoque animo, à viro diſertiſſimo, eo optimis adduci

ratio-

Digitized by Google

rationibus, ut ignoſceret: at verò abrepto Martiali fervore animo, ac tot injurijs ultionem ſuadentibus miteſcere tamen, & veluti concitatiſſimi maris fluctus in repentinam tranſire malaciam, exemplum clementiæ dixero ego ſine exemplo. Verum D. Ladiſlaus ut alijs mitis & clemens, ita ſibi ſemper durus & aſper eſt viſus: quo in genere ut quàm plurima ſilentio prætercam, dum tacitus omnia quà publica, quà privata mecum conſidero, quibus Deus animum eius exercuit; neſcio an ex omnibus majus quidquam, ad animi eius fortitudinem declarandam vel cogitari poſſit, quàm cum fratrem proprium bello ſibi perſequendum intellexit. Quid, amabo, triſtius, quid acerbius Ladiſlai animo accidere poterat, quàm eum, qui tot jam clarus victorijs euaſerat, nunc infelici gloriæ ſuæ epilogo, fraterno ſanguine manus maculare, fratricidæ nomen obtinere? an non animum eius cogitatio ſimilis ſubire poterat: quid agis Ladiſlae? Principem cogitas interimere? O crimen! eum morti dare, cujus antehac tot benevolentiæ argumenta perſpecta habuiſti; cujus unitis viribus tot potitus es triumphos? O inhumanitas! interficere innocentem & quidem fratrem, aliorum duntaxat ſeductum conſilijs? O crudelitas! his inquam & ſimilibus menti eius obverſantibus, quis animum eius in contrarium abiturum non putaſſet? nihilominus tamen ubi id & Divinæ voluntatis eſſe, & è Reipub. commodo judicavit: vicit Divinæ voluntati obſequendi ſtudium, innatam amoris erga ſanguinem vim, vicit utilitas Reipub. amorem fratris, publicum bonum privatum affectum. Vidiſſetis ibi Auditores Ornatiſſimi ut olim Abrahamum Patriarcham Dei juſſu filium unigenitum, acceptiſſimam Deo victimam ad aras immolare paratum: Ita D. Ladiſlaum fratrem chariſſimum voluntate numinis perſequi ad necem uſq; promptiſſimum, non enim in exiguis virum ad maxima toleranda natum, voluit Deus exercitum, ſed ut olim ignem experiebatur in Mutio, paupertatem in Fabricio, exilium in Rutilio, tormenta in Regulo, venenum in Socrate, mortem in Catone; Ita Chriſtianam parendi

prom-

Digitized by Google

promptitudinem in hoc novo Abrahamo poſteris teſtatam eſſe voluit. Sed ecce, nunc ut diei tempus eſt, non datur moræ amplius de Divi Ladiſlai virtute dicendi, non datur in eis ornamentis commemorandis ſpatium diutius immorandi, quibus & alij pientiſſimi Reges Hungariam ſuam glorioſam reddiderunt. Ergo cum temporis anguſtiæ, & Veſtra in audiendo humanitas Auditores Ornatiſſimi ceſſare me compellat, illam ſolum unam, ſed tuam ô Hungaria fœlicitatem commemorabo, quæ ut tantorum, ac talium Regum præclara fuiſti Mater, ita ab eorundem fota es amore, defenſa fortitudine, exculta laboribus, conſervata induſtria, virtutibus exornata: ut quod olim Romæ Apoſtolorum Principes gloriæ attulerunt, hoc idem tibi Stephanus & Ladiſlaus contuliſſe viſi ſint: ut quemadmodum Petrus & Paulus orbem terrarum legem Dei docuerunt, ita Te hi duo ſanctiſſimi Reges ad omnem Divini cultus obſervantiam effinxerint: denique ut in Corinthiorũ populis Paulus & Apollo, ita in te Stephanus fidem ac virtutem plantavit, rigavit Ladiſlaus; Deus verò Opt. Max. illud fidei ac pietatis incrementum dedit, quod nunc oculi noſtri ſummo gaudio intuentur. Reſpicite enim obſecro Auditores atque oculorum aciem reflectite in eam, quæ divino benificio virtuteque ſanctiſſimorum Regum, conſecuta eſt rei Chiſtianæ, in ampliſſimo Pannoniæ Regno commutationem. Proh Deum immortalem, quæ rerum facies? quæ urbium, quæ Provinciarum, quæ gentis totius quaſi è cineribus reſtaurata imago! univerſæ Hungariæ ſtatus quantum quæſo à ſe ipſo diverſus eſt! nam quæ aliquot retro ſæculis errorum tenebris, ignorantiæ ſquallore, gentilitatis ſuperſtitione obſita jacebant: ea nunc libera ac in luce conſtituta, nulli penè urbi ac Provinciæ de cultu Sacrorum, de frequenti Myſteriorum uſu, de pietate in Deum, de virtutum omnium ſplendore concedunt. Quapropter, ut paucis ego omnium nomine, qui tui quovis modo eſſe cenſemur, tibi vota animorum noſtrorum explicem & aperiam: utinam felicitas iſta militaris pietati ac clementiæ

con-

Digitized by Google

coniuncta, utinam virtus omnis, ut in DD. Stephano & Ladiſlao prima cæpit exordia, in Bela, Geyſza, Carolo primo, utroque Corvino adolevit; ita tecum in roboris firmitudinem adulta, ad extremam uſque conſeneſcat ætatem: ipſa ſibi ſemper præſtet magis, donec plenitudine quadam abſolutioneque gloriæ perficiatur. Verùm ut hæc, quæ commemoravimus, inſignia ſunt laudatiſſimorum Regum decora, & præclara ævi vetuſtioris ornamenta: ita in nepotes ac ævum tenerius non derivantur cum laude, niſi eorum omnium in poſteris expreſſa ſit indoles, & felicitas in eodem laudis gradu atq; gloriæ æqualitate conſiſtat. Quare vos hujus inclytæ gentis Proceres atque Alumni, eo eſſe animo oportet, ut per ea majorum veſtigia, quæ laudata ſuſpicitis, ad ſummam gloriæ contendatis, & illud ſolum vobis diſplicere omnes animadvertant, vitam ſine vera gloria, ac digna nominis commendatione reliquiſſe: ut quemadmodum in hac honoris celebritate, quam adhuc retinetis, eorum indefeſſis laboribus relicti, vigilijs ac diligentia protecti, patronicio conſervati eſtis; ita eorum imitatione vobis ipſis pacem, tranquillitatem, concordiamq; afferatis; patriæ fines amplificetis, ac perpetuam apud poſteros gloriæ famam comparetis.

D I X I.

Digitized by Google

ORATIO
In Synodo Zagrabienſi habita, 26. Auguſti 1642.

SÆpius iam quidem graves ac difficiles Oratoris partes me ſubiviſſe memini, ſæpius in hoc dicendi munere verſatum recordor; Præſul Reverendiſſime, Patres venerandi, Fratres dilectiſſimi: nunquam tamen tam ſublimem ac honorificam ſortitus cathedram imperitiam meam detegere, magis quam in præſenti, erubeſcebam. Etenim quoties verba feci, ſemper inter homines, & ad homines me dicere intelligebam; hodie verò eam Deus Opt: Max: illuceſcere diem conceſſit, quâ ego ex hoc honoris loco omnium veſtrum ſacrum conſeſſum, non aliter intueor, quā Sapientiſſimorum coronam Cherubinorum, quam advocatum totidem Deorum Concilium. Vos Patres venerandi, ac fratres dilectiſſimi Ignatio Martyri pluſquam reges eſtis, nempè qui in dignitate veſtra, quidquid in humanis dignitatibus nitet, poteſtatibus valet, ſplendoribus æſtimatur, collectā habetis & compendiariam honorum omnium univerſitatem: Vos Chryſoſtomo mundi Atlantes ac viva cœli fulcra, quibus beatæ perennitatis domus æterno robore firmata eſt. Vos eidem Chryſoſtomo Angeli ad paradiſi fores flammeo excubantes gladio, aditum indignis omnibus prohibentes: Vos Auguſtino intemerata Virgo Deipara, in quorum manibus velut in utero Virginis, Dei filius in tremendis myſterijs reponitur, vobiſque nutritijs candidis ſpecierum faſcijs, quaſi infantilibus pannis obvoluitur, veſtitur, geſtatur ulnis, pectori admovetur: Vos Innocentio, Bernardo, Areopagitæ Dij eſtis & filij excelſi omnes ut proinde omnibus nobis aliud hic intueri non liceat, niſi quia Deus ſtetit in Synagoga deorum. Quam præclarè modo in circuitu Domini Dei veſtri eſtis, & in conſpectu eius affertis & offertis munera non corruptibilium auri & argenti, ſed pretioſi ſanguinis & corporis agni immaculati. Vbi inquit, duo aut tres in nomine meo congregati fuerint, ibi ego in medio eorum ſum:

in eius vos nomine in hunc coiviſſe locum, ſanè & Sacratiſſimæ huius ædis magnifica moles, & vultus omnium ad pietatem compoſiti, & materia ipſa tractandorum negotiorum ſatis declarat; an non igitur cum D. Clemente Θεὸν ἐπίγειον hoc eſt ſummum ac verum DEUM in medio terreſtrium Deorum adeſſe credam, & verba faciens in medio deorum non erubeſcam? Quid eſt, quod ex me feciſti, Præſul Reverendiſſime, iuſſiſti me hodie hominem indiſertum, & in dicendo humilem Atlantes neglecti roboris redarguere, reges vincire legibus, Angelos puritatis admonere, Deiparam de munere ſuo ſolicitam reddere, denique deos ipſos diiudicare. Atq; hæc omnia ita cunctis dicenda forent, ut tibi tamen, qui primum inter nos omnes obtines locum, primò dicta eſſe videantur: temeritatis omninò rectè videretur argui debere, qui hæc ſibi dicenda præſumeret, niſi iuſſa tua transgredi prævaricationis eſſet. Itaque eam placuit tenere viam, quâ & mandatis tuis obtemperans eſſem, & in neminem injurius videret. & quoniam in triplici vos ordine magna illa Eccleſiæ lumina paulò ante memorata collocârunt hominum videlicet, Angelorum, & Deorum; primò omnium admonendi eſtis mihi tanquam homines, tùm deinde inflammandi ut Angeli, orandi demùm ac precandi tanquam dij, quò unuſquiſque veſtrum Sacerdotale munus & officium, eius, quam intellexiſtis dignitatis impoſitum humeris, ea tueatur dignitate, ea moderetur ſapientia, ea exequatur fortitudine; quam & DEUM Opt. Max, ſeveriſſimis ſanxiſſe legibus, & vitæ veſtræ rationem ac inſtitutum à vobis poſtulare intelligitis.

Cum iam profudiſſet ſervator Chriſtus vitam pro ovibus ſuis, dieque tertio à mortuis excitatus, propediem in cœlos avolaturus erat., non neminem paſtoritij muneris Vicarium ſibi ſufficere cogitabat. ſolicitus verò atque providus de conſervatione chariſſimi gregis, quem tantis conſervaverat vitæ ſuæ diſpendijs ac tanto redemerat pretio, eos univerſos quorũ ſub poteſtate futuros prævidebat, ſub numero trium perſonarum incluſit: propoſuit enim paſtorem bonum, mercenarium, & fu-

rem,

rem, ſingulorumque adiecit proprietates, ut eorum quiſque clarè perſpiceret, in quorũ numero eũ eſſe oporteat. Atque olim quidem beata illa fuere tempora Apoſtolorum ac Majorum noſtrorum, quibus nõ niſi paſtores boni reperiebantur: nunc autem, eheu! de paſtore bono omninò quaſi ſilendum eſt, & quærendum potius fureſne plures in occulto latitent ac noceant, an mercenarij turpis lucri ac quæſtus gratia ouile perrumpant, & prædam â Chriſto vindicatam & in libertatem aſſertam rurſum direptioni proſtituant. Quam procul modo, & de ultimis finibus paſtoris boni pretium, qui animam ſuam, vel etiam ſua pro ovibus ponat. quam mercenarij multi, qui in domo patris Chriſti panibus abundant, & in proſperitate adhærent Chriſto; ſed tentationis tempore, aut qualibet humana dignitate victi, aut reſpectu territi recedunt; quàm fures innumeri, qui mactant & occidunt, qui quos inſtruunt ac vivificant verbo prædicationis ſanctæ, deſtruunt atque perimunt exemplo operationis pravæ; efficacius animam tollentes opere, quam doctrina animantes. Animarum ſalus reputatur parùm, minus adhuc caſus, inquit Bernardus, eſt qui aſinum aut bovem etiam ſabbatho è puteo extrahat, qui verò animam infernalis putei foveà abſorptam eximat, haud facilè invenire queas: eſt, qui pro modica præbenda longam currat viam, ait Thom. de Kempis, ſed qui zelo animarum accenſus, pro earundem ſalute ac incolumitate vel ſemel pedem levet, paucos admodum reperias. Denique lamentabilem illam anthitheſim quam olim Nanziazenus ſui temporis deplorator plangebat, eam nunc maiori cum noſtro dedecore quam dolore uſurpari vel inuiti cernimus: deſignantur, inquit, Diſcipuli Magiſtrique ſimul pietatis, alios ante purgant quam ipſi purgati fuerint, heri ſacrilegi, hodie ſacerdotes, heri extra ſancta, hodie ſanctorum arbitri, veteres vitio, pietate rudes & recentes, ſcientia vacui; qui cum cætera omnia violenter pervaſerint ad extremum ipſam quoquè pietatem tyrannide premunt; quorum non mores dignitati, ſed dignitas moribus fidem adſtruit, qui denique plura pro ſuis quàm pro populi ignorantijs ſacrificia debeant. Sanè

magnus Baſilius atq; Nanziazenus: cũ plurimos eoſque pulcherrimos Epiſcopalis dignitatis titulos recẽſuiſſent, in eam tandem deveniunt ſententiã ut Epiſcopũ quidem præcipuè, ſacerdotem tamen etiam omnem eum eſſe oporteat, quem univerſi neceſſitatum ſuarum nominibus compellent: nimirum ut Virgines pronubium laudent, coniuges moderatorem; ſimplices itineris ducem, ſpeculationi dediti Theologum; hilares frenum, calamitoſi conſolatorem; canities baculum, iuventus Magiſtrum; pauperes ſuppeditatorem, divites diſpenſatorem; viduæ Patronum, pupilli patrem; peregrini hoſpitem, fratres fratrum amatorem; ægrotantes medicum, ſani valetudinis cuſtodem; omnes denique eum qui omnibus omnia factus eſt ut omnes lucrifaciat; Quæ obſecro dictionis copia, quæ eloquentiæ flumina in huiuſcemodi viri laudes ſufficere poſſe putatis? at vero cum aliter hoc noſtro infelici tempore res accidat, quas tandem pleriſque nobis flammas ad ſupplicia ſuffecturas arbitramur: verendum profecto eſt, ne divini vatis Iſaiæ tonitru illud auribus noſtris intonet: terram meam perdidiſti, & populum meum occidiſti; unde nihil aliud nobis expectandum ſit, niſi ut malos malè perdat uineam autem ſuam locet alijs operarijs. Et hæc quidem mala, quæ nos ita divexant, hæc ipſa religionis Chriſtianæ in multas partes tàm fœda dilaceratio, hæc omnium rerum tam divinarum quàm humanarum ſumma perturbatio; hic ipſe legum, magiſtratuum, iudiciorumque contemptus; hæc inobedentia, atque omnis veteris diſciplinæ diſſolutio, pravi & corrupti mores, unde tandem cauſam & originem habent, quàm à nobis: ipſimet tantorum malorum fabri & auctores ſumus, dũm rudes ac ignaros doctrinâ Magiſtros conſtituimus, dum impuros & omni ſcelere à prima ſua ætate imbutos rebus ſacris ac hominum expiandis vitijs, levis nonnunquam compendij cauſa, præficimus. Sed & tu quiſquis es, ſi rudis es, & in litterarum ſcientijs minimè verſatus, amabo te, aut dum licet recede à tanti oneris pondere; aut ſi non licet dies ac noctes lectioni impendas: melius enim eſt alijs qui artis peritia præſtant habenas noſtri concedere, quam

in-

indoctos ac imperitos aliorum aurigas eſſe; præſtatque candidam aurem melioribus ſubmittere, quam ſtolidam linguam movere. Titus Manlius Torquatus cum Conſul declaratus fuiſſet, excuſaſſe valetudinem oculorum, ac ſummum imperium detrectaſſe fertur, quod indignum duceret ei capita ac fortunas cæterorum committi, qui alienis oculis omnia gerere cogeretur; qui verò alieno ingenio ac ferè lingua ad omnia uti neceſſe habent, iĳne ſatis ad gubernandas non iam capita ac fortunas, ſed animas cœlo deſtinatas, oppignoratas ſibi Chriſti ſanguine, idonei videbuntur? at oculorum quidem lumine carentes nihil prohibet acie ingeniĳ etiam futura cernere, optimeque conſulere; qualem in fabulis Tireſiam, in hiſtoriĳs Appium legimus: cuius vero animus doctrinarum luce careat, quid is tandem conſulere, quid eloqui, quid cogitare præclari poteſt. Quid eſt quod blandimur nobis, an ignoramus quia ſupremus Legiſlator ex ore noſtro legem & ſcientiam requiret, præconis enim officium ſuſcipit, quiſquis ad ſacerdotium accedit, ut ante adventum ſeveri iudicis ipſe clamando gradiatur; quod ſi divinæ legis ignarus exiſtat quàm quæſo clamoris vocem daturus eſt præco mutus. Sed fortaſsè doctus, eruditus, ac difertus es; at vide an & probus: vide ne in te improbo idem ſit ſcientia, quod in phrænetico aut mẽte capto gladius. Temetipſum profectò perimes, & ſocios adhuc necis adſciſces. Dicamne quod ſentio? dicamné quod quidem omnes vident, ſed pleriq; tacent alto ſuppreſſum ſilentio. Heu probrum! nunc iĳ ſunt mores huius ſeculi, ut quod infirmum, quod debile, quod abiectum habet, id pro ſelectiori parte Dominici gregis deſignet; neq; ferè cuiuſquam rei tanta ſeges & ubertas eſt, quàm pro Sacerdotio candidatorũm: tanquã non virtutis exemplum, ſed vitæ adiumentum & ſubſidium hunc ordinem eſſe judicent, ac non munus reddendæ rationi obnoxium, ſed imperium liberum ac referendarum rationum metu ſolutum. Sanè ſi horremus dum judicium id nobis ſubeundum eſt, in quo peccatorum propriorum rationem reddituri ſumus, ut quod ſentiamus nos ignem illum æternum effugere nequaquam poſſe;

quid

quid illi expectandum eſt, qui tàm multorum nomine in regimine poſitus cauſas ſit dicturus, neq; enim minus loci neceſſitas exigit eum ſumma dicere, quam eadem neceſſitas compellat ſumma monſtrare, ne ſubditi in exemplo eius qui præeſt, quaſi in obſtaculo itineris offendant: Sacerdotes namque vocamur, quod ideò præſumus, ut ſacrum ducatum fidelibus præbeamus. Quid? imperfectus tu culmen arripere regiminis audebis? quæſo, qui in planis ſtando titubas, in præcipitio pedem ne figas. Sic enim apud vos conſtitutum habere debetis, P. Ven: Frat: dilect: honores iſtos veſtros, atq; ſummas dignitates Sacerdotij medias quaſdam res naturâ ſuâ eſſe: ſi enim conſtanti virtute, & vitæ innocentia quæruntur, ſi maximis vigilijs & laboribus ſuſtinentur, ſi incredibili fructu & utilitate eorum, quibus præſis, obſignantur; res quædam magnificę ac illuſtres putandæ ſunt, & quæ plurimum decus atq; commendationem illis, in quos conferuntur, adferre ſolent. Sin verò dolo & fraude invaduntur, ſi per luxum & deſidiam produntur potius quam geruntur, ſi aliqua infelici calamitate, ac publicæ ſalutis ruina concluduntur; tùm in iſtis ampliſſimis nominibus honoris non modò dignitas nulla, ſed ſumma etiam deformitas erit. quomodo enim ille vir bonus, qui ut ſuam qualēcunq; adſtruat gloriolam, publicam ſalutem in ſummum diſcrimen adducere non dubitat; quomodo recto iudicio præditus, qui neq; ſeipſum novit, neq; illud diſcernere poteſt, veram laudem & gloriam non tam ex honoribus & dignitatibus pendere, quàm ex earū recta, & ſalutari adminiſtratione, & qui non cernit ſe virtutis prœmium, ſed honoris vocabula ac dignitatis nomen, conſecutum eſſe. Nam & in militia præclarum quidem eſt ducem exercitus creari, turmas & legiones ducere; ſed ſi id virtute tuâ conſequaris, ſi ſtrenuè cum hoſte dimices, ſi præclaram aliquam victoriam Reipub: parias: ſin aliter, quanto plures perdideris, tanto illuſtriora ad omnem poſteritatem excitabis infamiæ tuæ trophæa.

In Comœdia vel Tragœdia pulchrum quidem eſt Priami regis aut Agamemnonis, aut Aiacis perſonam ſuſtinere; ſed ſi Priami imperio dignam ſpeciem geras, ſi

lacer-

in certis firmus ſis, ſi voce valeas: ſin verò horum nihil in te reperias, longè honeſtius & pulchrius eſt, cum decore aut Therſitis, aut Davi, vel Getæ cuiuſquam perſonam ſuſtinere, quàm cum turpitudine ac dedecore Heroas ac ſemideos repræſentare, miſerabiliſq; potius, quàm ſuſpiciendus apparere. Hiſtrio hæc in fabula videbit, & ſacerdos in ſumma ſalutis ſuæ, ac tot populorum incolumitate non videbit? Dicam quod perpetuo animo meo obverſatur: quietem & tranquillitatem noſtram nimium curamus, cœlum ruiturum arbitramur, ſi quid liberius, ſi quid animoſius pro Eccleſia Dei dixerimus vel fecerimus. Nimis timidi ſumus, nimis ocio & deſidio torpemus. Et eo quidem tempore, inquit aureus Chryſoſt: quo aura ſerena eſt & lucida, quo paſcua libera & quieta, quo nulli luporum impetus ac inſidiæ greges vexant; licet fortaſsè paſtori ſub patulæ arboris umbra ſe provolvere; fiſtula dulcè canere: at ubi imbres & tempeſtates inſurgunt, ubi oves diſſipantur, ubi lupus ad præſepia adeſt; tùm paſtor umbram deſerat, tum pro tripudio & choro, curſum; pro fiſtula & tibia, fundam & baculū arripiat oportet. & fuit quidem quoddam tempus Chriſtianorum, cum magna erat Eccleſiæ Dei pax, magna quies, rerumque omnium ſecundiſſimus afflatus: tùm fortaſsè licuit multis ocioſos eſſe, ſuiſque voluptatibus ac quiete perfrui, ſuis lucris & commodis incubare. Nunc tempeſtas adeſt, ſummoſque feriunt fulmina montes, nunc præſentia naufragia ubique ante oculos verſantur noſtros, nunc dura bella & conflictus imminent, nunc alia eſt ratio omnium rerum. alia tempora alios poſtulant mores. excutiendus eſt iſte ſopor, voluptates reijciendæ: ad arma, ad gubernacula vobis recurrendum, priusquam extremum naufragium vos, gregeſque veſtros abſorbeat. Neque illorum temporum exemplis abutendum, ſed illi potius imitandi ſunt vobis primi fortiſſimi ac inſuperabiles viri, Patres & Fundatores veſtri, qui omnia humana & divina excellenti animi virtute ſuperarunt, qui omnia mundi huius ut lutum exiſtimarunt, ut Chriſtum lucrifacerent. Verum cum multa adhuc peragenda hodie ſint, diutius detinendi

non

Digitized by Google

non eſtis, ſolumque ſupereſt illud, ut ſummis vobiſcum agam atque contendam precibus, ut animos veſtros ad vos tantiſper revocetis, & diligenter perſcrutemini; num opibus ad ſublevationem Eccleſiarum ac pauperum, num dignitate ad ſalutem & ornamentum populorum, num poteſtate ad defenſionem afflictorum, uſi ſitis. Num veſtris quidem fulcimento & præſidio, alienis vero terrori & trepidationi fueritis, ut ruant qui noxiè ſtant, digni erigantur. Per DEUM immortalem, per ſalutem veſtram oro atque obteſtor vos P. Ven. Fratres dilectis: proſpicite vobis cõſulite Patriæ. Cogitate quia D. DEUS veſter ſanctus eſt, quoniam impoſitio manuum quæ facta eſt ſuper capita veſtra ſancta fuit, quoniam unctio quâ uncti eſtis ſancta eſt, quoniã verba, ſigna, & operationes conſecrationis veſtræ non modo ſancta ſed etiam ſanctiſſima ſunt. Sancti igitur & vos eſtote dateq; omnẽ operam ne ſancta impurè, ſublimia demiſſè, honore digna turpiter, & ut uno complectar verbo ſpiritualia terrenè celebretis: ne hæc ipſa mẽbra veſtra, organa divina, inſtrumenta quæ à præclaro artifice Spitritu S. concinnantur atq; pulſantur, ambitionis, ac turpitudinis arma efficiatis; ne templum DEI tàm ſanctè conſecratum polluatis ac contaminetis; ne parietes aut ſepulchra dealbata ſitis & dicamini: denique ne, cum omnia ſancta habeatis, vos ipſi prophani ſitis. O ſi hæc & ſimilia in ipſa cordis noſtri intima penetrarent! o ſi altas in animo radices agerent! quanta vitæ innocentia, quanta morum inculpata probitas, quantus in Eccleſiaſticis rebus fervor, quanta ſalutis animarum ſollicitudo refloreſceret. Vtinam magnus ille DEUS, qui die hodierna in Synagoga deorum conſtitit nos omnes manu ſua teneat, in conſilio deducat, & cum gloria ſuſcipiat: utinam paſtores paſcat, ductores ducat, ut ipſius gregem ſcite ac peritè paſcatis, & videatis filios filiorum miniſterij & functionis veſtræ, pacem ſuper Iſrael, Dicat nunc omnis populus Amen.

DIXI.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

MENTEM ALIT ET EXCOLIT

Restaurierung
ermöglicht durch

**Bibliotheksinitiativen
Wien**

ÖSTERREICHISCHE
NATIONALBIBLIOTHEK

Österreichische Nationalbibliothek

+Z1

INSTITUT FÜR RESTAURIERUNG
Restaurator: Weißinger-
Jahr: 2006

Digitized by Google

Digitized by Google